

THE NEW YORK • BOTANICAL • GARDEN
PRO SCIENTIA
POPULIQUE
SALUTE
• 1891 •

FLORA SARDOA

SEU

HISTORIA PLANTARUM

IN SARDINIA ET ADJACENTIBUS INSULIS

VEL SPONTE NASCENTIUM VEL AD UTILITATEM LATIUS EXCULTARUM

AUCTORE

JOSEPHO HYACINTHO MORIS

IN R. TAURINENSI ARCHIGYMNASIO BOTANICES ET MATERIEI MEDICAE PROFESSORE, R. HORTI BOTANICI PRAEFECTO, ARCHIATRORUM MAGISTRATUS A CONSILIIS, R. SCIENTIARUM ACADEMIAE ET R. SOCIETATIS AGRARIAE TAURIN., R. AGRARIAE ET OECONOMICAE CARALITANAE, ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATURAE CURIOS., INSTITUTI SCIENTIARUM BONON., SOCIETATIS LINN. LUGDUNENSIS ETC. SODALI.

VOL. I.

TAURINI

EX REGIO TYPOGRAPHEO

1837.



CAROLO ALBERTO

SARDINIAE REGI

Rex Augustissime

Nobilissima Mediterranei maris insula, quam paterno regis imperio magnam nullo non tempore vegetabilium, quae aleret, exspectationem sustinuit. Caeterum ne dicam praetermissa, vix explorata fuerat, antequam Rex Carolus Felix, augustus Antecessor tuus, praeclaro beneficio munus mihi

demandasset: quo quidem functus, plantarum, qua late, insula patet inspectarum historia exaranda supererat. Hanc jampridem Botanici exoptabant, quippequae complementum fere caeteris Mediterraneo mari finitimarum regionum accederet: exspectabat Sardinia propriae feracitatis, et gignendi maturitatis conscia. Idcirco operae pretium erat Floram sardoam perscripturum paratissima illustrandarum stirpium praesidia sedulo versare. Haec vero propter eam gratiam, qua apud TE, Rex augustissime, ingenuae quaeque disciplinae florent, assecutus sum. Quare, TE auspicante, factum est, ut scientiae, Sardiniaeque utilitati Floram pro viribus accommodare valuerim, quam Sacrae Majestati Tuae in grati, atque venerabundi animi documentum nunc offero, supplexque rogo, ut regali munificentia tua excitatam clementer excipias.

Sacrae Majestatis Tuae

Fidelissimus et obsequentissimus subditus
JOSEPHUS MORIS.

PRAEFATIO



Mediterraneo mari finitimae regiones Botanicorum industriam ab exeunte elapso saeculo sic exercuerunt, ut stirpium historia magnis auctibus creverit: accedit nunc Flora sardoa, cujus de ratione pauca praemoneam.

Anno MDCCCXXIV itinera per sardoas provincias ingressus sum. Comes mihi primum fuit Doctor J. Baptista Berterus a botanica eruditione haud minus paratus, quam clarus ob stirpes in scientiae incrementum inventas, atque illustratas; trimestri autem spatio postquam in insulam advenerat, adversa valetudo in patriam reducem fecit; recordationem amici, quem acerbum in Oceano fatum premebat, grato animo nullo non tempore repetam. Post Berterum sardoas stirpes assidue mecum perquisivit Dominicus Lisa strenuus, atque oculatissimus juvenis, cui complures species acceptae referendae

*

sunt: egregiis insuper viris PHILIPPO THOMAE (1) et FRANCISCO MULLERO Sardiniae provincias meridionales, et montanam centralem perlustrantibus plantae se praebuerunt, et MULLERO quidem Musci praesertim, benevole mihi collati.

Sardiniam, minoresque ad eam attinentes insulas peragrans, ubi primum lectarum stirpium copia mihi fuit, etsi privata admodum exigua adstrictus Bibliotheca, qua descriptas, vel iconibus illustratas assequerer, tamen Elenchos (2) publici juris facere consultum duxi; species deinde librorum, herbariorumque praestantiore subsidio expensas, atque Botanicorum suffragio probatas in Floram recepturus, quamobrem vitio ne vertas, si sublatas, vel ad alias adjectas, revocatasque Elenchi nonnullas nunc praebuero.

Ordines naturales, ut in Elenchis coeperam, secundum clarissimum CANDOLLEUM, paucis mutatis, composui. Ad singulas autem species etiamque vulgares contractas descriptiones adjunxi, complures e vivente planta, omnes fere ex plurimis inter se collatis speciminibus depromptas, nec quidquam subdidi, quod ipse non inspexerim: sic errores, in quos lapsus fuerim, facilius patefieri, Sardiniae autem expeditiori usui opus meum fore speravi. Circa stirpes, quarum de specifica progenie praeclari viri dissentiunt, hanc mihi proposui viam ut alteram alteri tamquam varietatem adsociarem, quacum per intermedios gradus complura aequo jure ad utramque referenda specimina abire ostenderent, secus inter diversas species reciperem, quod nisi recte, et ex naturae legibus praestiterim, a graviore Botanicorum judicio etiam nunc lubenter emendatum tenuero.

Synonyma complura adduxi post authentica specimina inspecta, alia in Herbario BALBIS, nunc Horti regii taurinensis, alia in Herbariis ALLIONII, et BELLARDII apud equitem MATHAEUM BONAFUSIUM, alia in Herbariis CANDOLLEI, BERTOLONII, VIVIANII, aliaque a TENORE, et

(1) PHILIPPUS THOMAS, postquam ad multos annos plantis comparandis incumbebat, gravi morbo captus, inter labores, quorum nullo non tempore patientissimus fuerat, vitae finem Carali, septembri anni MDCCCXXXI, implevit.

(2) Stirpium sardoarum Elench. fasc. 1. 2. Carali 1827. Append. ad Elench. Taurini 1828. et Elench. fasc. 3. Taurini 1829.

Gussone accepta, vel demum post sardoa cum africanis Herbarii Desf. ab Adriano a Jussieuo collata; quae quidem lubenter commemoro, ut longe praestantissimis viris grati animi significationem offeram. Pauca de Botanicis, qui me in stirpium sardoarum investigatione praeiverunt, dicenda sunt.

Sardinia, vena olim vitalis reipublicae romanae, inter 39 et 41 gradum latitudinis septentrionalis, a 5. 45′ ad 7. 35′ longitudinis ad orientem meridiani parisiensis patens, etsi magnam polliceretur indigenarum stirpium copiam, tamen vix antea explorata fuerat; siquidem numero paucas species in dioecesi caralitana lectas a Michaele Antonio Plazza chirurgo recensuerat anno MDCCLIX (1) praeclarus noster Allionius, atque Botanici, qui postea ad insulam appulerunt, ejusdem oras vix sunt praetergressi, quare vastus se mihi ad Floram sardoam animum adjicienti se se obtulit campus, per quem exspatiarer.

Res postulare videtur, postquam ea commemoravi, quae ad rationem suscepti operis spectabant, ut ea persequar, quae ad insulae chorographiam physicam, agriculturam, geographiam, vel geognosiam attinent; sed haec omnia sic concinne tradidit (2), appositisque libris latius proferet eques Albertus a Marmora, ut iisdem enarrandis locus mihi amplius esse nequeat. Caeterum regiones Sardiniae, quod spectat ad vegetabilia, breviter expensurus, thermometricas, atque barometricas ex eodem auctore acceptas observationes memorabo, ei interea, qui a labore invictus Sardiniam etiam nunc illustraturus peragrat, mihique itinerum socius amantissimus fuit, ob praeclara in me merita sinceras ago gratias.

Quamquam editioribus montibus, et humilioribus vallibus pariter communes species quaedam in Sardinia deprehenduntur, triplex tamen ratione plantarum regio constitui potest: altera scilicet *inferior*, altera *intermedia*, tertia *montana*.

(1) Fasciculus stirpium Sardiniae in dioecesi Calaris lectarum a Michaele Antonio Plazza chirurgo taurinensi, quas in usum Botanicorum recenset Carolus Allionius. In Miscellan. philosophico-mathemat. Societat. privatae taurin. tom. 1. p. 88.

(2) Voyage en Sardaigne ou Description statistique, physique etc. de cette île par le Chev. Albert de la Marmora. Paris 1826.

Regio *inferior* nunc *plana*, nunc *collina* ejus indolis est, ut propter mitem coeli temperiem haud intermissas plantarum florentium vices offerat, ita tamen, ut aestate, ob penuriam aquarum, paucae eaeque tempestalis propriae vegetationis phases absolvant, caeterae herbaceae quaeque pereundo, aut arescendo, solis ardore exustam, squallidamque tellurem relinquant: exeunte octobri, seu novembri, post effusas quotannis pluvias, reviviscunt herbaceae perennes plantae, flores, fructusque nonnullae iterum adducturae: herbaceae annuae suo quaeque tempore se se proferentes, ab autumno ad majum vernalem tempestatem, nulla interposita mora afferunt. Non alia magis, quam hujusce regionis vegetabilia naturam offerunt eorum, quae etsi ad utramque Mediterranei maris oram, africanam, atque europaeam spectent, cognationis tamen vinculo jungi animadversa sunt. Quandoquidem vero feracissimam hanc Sardiniae regionem non omni anni tempestate, omnique sui parte incaute licet adire, non inutile fuerit rei caussas, rationemque obiter pervolvisse.

Humiliores Sardiniae campos a junio ad decembrem peragrantibus, alienigenis praesertim, incumbit sic dicta *intemperies*. Hoc nomine caussae morbi, ipseque morbus appellari consueverunt, nunc scilicet gastro-enteritis, nunc et potissimum autumno, periodica febris, phlogosi gastro-enterica, aliave identidem stipata. Caussae, prout ex locorum, adjunctorumque diutina observatione judicium mihi esse potest, duae sunt. Alteram, eamque praecipuam praebent miasmata e resolutis vegeto-animalibus principiis promanantia, quibus foecundiores terrae abundant, illaeque praesertim, ubi hyeme, et vere aquae consistunt aut palustres manent: alteram praestat insigne, quod intercedit discrimen inter diurnae, atque nocturnae temperiei maximum gradum, seu illius in hanc quotidiana celeris conversio. Quare nomine dumtaxat, nec suapte natura, nec propter caussas quibus adducitur, sardoa *intemperies* a morbis differt in aliis orbis regionibus simili sub telluris conditione promanantibus, eo quidem gravioribus, quo magis ad circulum aequinoctialem accedimus. Ea vero Sardiniae loca, quae supra maris superficiem eminent, collina praesertim, atque montana, omni anni tempestate saluberrima sunt: et postquam

autumnales imbres atmosphaeram refrigeraverunt, et aestus defervescere coeperunt, abit intemperies, cum calidiore anni tempestate, et miasmatum exhalatione iterum apparitura. Juvat ad prophylaxim in cibo, et potu temperantia, potissimum vero corpus a miasmatibus tueri, et ad aequabiliorem temperiem laneis vestibus componere, quarum utilitatem saeculorum experientia sic confirmavit, ut pelliceae per ipsammet aestatem sardois villicis familiares jamdiu factae sint. Si autem locus hic non est, ubi commemorem, aliis arefactis paludibus, terrisque culturae accommodatis, aliarum aquis in profundo sinu tamquam in centro cohibitis, vel ubi maritimo litori adsideant, perenni cum ipso mari instituta communicatione, miasmatum fomitem averti, aut imminui posse, at vero silentio non praeteribo, arboribus in humilibus Sardiniae regionibus opportune consitis utramque intemperiei caussam moderatum iri. Quamquam enim quinta circiter Sardiniae pars sylvis est obsita, spatia tamen camporum, eaque amplissima, ubi *intemperies* regnat, arboribus fere nuda sunt. Arborum autem proceritate, quam in Europa temperata praestantiores sardoae sylvae, montanae potissimum, ad ampla identidem spatia propter accensiones quotannis fere iteratas, perinde ac in insulis Canariis (1) et Balearibus (2), absumuntur. Praecipites e nudis montibus, collibusve ruentes aquae subjectos planitiei patentes campos invadunt, magno, ubi consistant, agriculturae, atque salubritatis detrimento.

Altera Sardiniae regio, *intermedia*, sive *plana*, sive *collina* ratione propriae sedis, majorisque, ac in praecedente, supra maris superficiem elevationis, praeterea deductarum fluentium aquarum, quibus aestiva etiam tempestate interluitur, ad regionem Europae temperatae inferiorem vegetabilibus proxime accedit.

Atmosphaerae temperies inter hactenus memoratas regiones intermedia, ex observationibus ab equite a Marmora (3) Carali (ad ele-

(1) De Buch, Coup d'œil sur la Flore des îles canaries in Guillem. Arch. bot. 1. p. 294.

(2) Cambessedes, En. plant. insul. balear. p. 17.

(3) La Marmora, Voyage en Sardaigne p. 126. et Atl. tab. E.

vationem 101,42 metr. supra maris superficiem) a septembri anni 1822 ad augustum anni 1825 sedulo peractis sic se habet

autumno + 14,17 hyeme + 8,35
vere + 11,65 aestate + 19,05 (Therm. Reaum.)

Postrema venit regio *montana* in *inferiorem*, et *superiorem* dividenda, minus autem in Sardinia, quam in vicina Corsica eminens. Siquidem hujus mons *rotundus* (monte rotondo) 2672, mons *aureus* (monte d'oro) 2652 metra supra mare efferuntur: nec ultra 1917 metra supra maris superficiem attollitur Sardiniae praecipuus mons *Genargentus:* ex hoc ineunte aestate jam nix evanuit, montes autem Corsicae ad septentriones spectanti aeterna nive splendentes se praebent. Frutices, et arbores *Alnus glutinosa* W., *Sorbus Aria* Crantz, *Prunus prostrata* Bill., *Berberis aetnensis* Presl, *Juniperus nana* Willd. etc. in ipsamet superiore Genargenti parte perbelle vegetant.

Ordo montium, quos *Genargentus* supereminet, conjuncta serie ab insulis cuniculariis (*isole intermedie*) ad promontorium *carbonarium* per insulae longitudinem procurrens, declivitatis spatium multo majus ad latus occidentale, quam ad oppositum, relinquit. Asperrima hujus lateris pars carbonate calcis abundans plurimas raras stirpes mihi praebuit: et quamvis calcareae quaeque Sardiniae regiones vegetabilium copia caeteris antecellant, ea potissimum cujus nunc memini ad tyrrhenum mare spectans, Botanicis se se commendat, quos Florae sardoae auctioris faciendae amor ceperit post me. Notandus interea in hactenus adducta montium serie se offert calcareus *Olienae* mons, 1338 circiter metra supra mare se efferens: praeterea conspicui rami ad occasum procedentes, montes *Limbarae* 1313 et montes *Goceani* 1224 metra circiter, supra mare evecti. Ab hisce ratione elevationis 1242 metrorum, parum differt mons *lignorum* (*Linas*) ad eam seriem spectans, qui in Sardinia meridionali a promontorio quod *Fraschae* appellant, usque ad promontorium *Tegulariae* (*Teulada*) extenduntur. Minus ac nuper memorati caeteri evehuntur, *Nurrae* scilicet in Sardinia septentrionali; *Ales* sic dicti, qui ad *Trebinam* usque per 838 circiter metra efferuntur, et ii, qui a *S. Luxorio* ad altitudinem 1013 metrorum

eminentes, hinc ad *Marghinem* flexi, illinc per *Bosam* inter *Puteum majorem*, et *Chelemalum*, nec non inter *Algherium*, et *Itterim* moxque per *Plovacam*, *Nulvum*, et *Castrum sardum* ad mare corsicum usque pertingunt. Ex minoribus adstantibus insulis nonnullae montes offerunt, sed multo minus editos, ac sint Sardiniae plerique.

Quae cum ita sint, palam fit, cur alpinae, aut alpinarum vicariae species pauciores in Sardinia, quam in Corsica, insint, atque illis aequiparandae, quarum minus excelsa in alpibus est sedes.

Elenchum specierum pro statione, nec non ratione, et copia, qua inter se, et cum Mediterranei maris insulis, vel adjacentibus regionibus se habent ad totius operis calcem absolvam. Unde Sardiniam europaeo litori intermediis insulis tamquam annulis fere conjunctam vegetationis indole cum mediterranea europaea magis, quam cum africana, consentire videas: ne ullum quidem genus illi plantarum, quod Africae, nec aliarum Mediterranei maris regionum indigena sit: generum ratione specierum proportionem paullo majorem, quam in Continente, species tamen arborescentes atque species dicotyledoneas, in Sardinia, perinde ac in Sicilia, ratione superficiei, ita se proferentes, ut quo magis ad circulum aequinoctialem accedimus, eo auctiorem earum numerum fieri in ipsismet Continenti propioribus maris nostri insulis ostendant.

Hactenus praefatis finem faciens, voti demum me compotem profitebor, ubi ex opere meo qualicumque consilium saltem se prodat, quo adlaboravi, ne scientiae, Sardiniaeque inutile foret; nec memoria dimittam, ubique Sardiniae ex animo singulos me excepisse, praeclaraque illic benevolentiae accepta testimonia tempus in omne toto pectore recolam.

SIGNORUM EXPLICATIO



① Planta annua.

② Planta biennis.

♃ Planta perennis.

♄ Suffrutex altitudine pedalis, bipedalisve.

♄ Frutex 2-10-pedalis.

5 Arbuscula 10-25-pedalis.

♄ Arbor 25 pedes superans.

Vern. m. — Vernaculum nomen in Sardinia meridionali.

Vern. s. — Vernaculum nomen in Sardinia septentrionali.

Signa ✦ et ⁂ post citatas icones adducta, ubi eadem, easdem significant icones ab auctoribus iterum iterumque editas.

Ordines, genera, et species ad plantas cultas spectantia, signo +, nec numero notantur.



Vernacula nomina alia inter peregrinationes ipse accepi, alia benevole mihi collata sunt a viris de re herbaria sardoa optime meritis, spectatissimisque, Equitibus DD. Antonio et Thoma Grondona, Doctore Joanne Meloni-Baïlle historiae naturalis Professore, et Doctore Lessona, quibus omnibus grati animi testimonium debeo.

FLORA SARDOA

PARS PRIMA

PLANTAE PHANEROGAMAE

Plantae quarum organa sexualia stamina atque pistilla manifesta, involucris foliaceis, symmetricis plerumque stipantur. Semen obvio utroque sexu perfectum, plantulam absolutam radicula, plumula et corpore cotyledoneo conflatam proprioque spermodermate inclusam profert. Textus organicus cellulis et vasis coagmentatur stomatibusque donatur.

CLASSIS I.

DICOTYLEDONES SEU EXOGENAE

Plantae foliis primariis seu cotyledonibus duabus oppositis, raro pluribus verticillatis praeditae (aphyllis vix ullis exceptis).

Caulis stratis concentricis, heterogeneis confectus, in centro fovens medullam, e qua lamellae oriuntur medullares, radiantes, ad corticem usque pertingentes. Strata lignea (in arborescentibus) numero quotannis augenda, interiora solidiora, exteriora juniora minusque solida. Cortex epidermide obductus, stratis, ubi numero augentur, intimis junioribus.

Folia plerumque angulinervia. Flores numero partium utplurimum quaternario aut quinario donati, involucro saepe duplici, calice et corolla stipati.

SUBCLASSES

I. THALAMIFLORAE. Sepala inter se libera aut coalita. Petala inter se libera rarove basi coalita staminaque toro inserta, nec calici accreta.

II. CALICIFLORAE. Sepala plus minusve inter se coalita. Petala inter se libera aut coalita. Torus sic calici aduatus, ut corolla et stamina toro inserta, e calice originem ducere videantur.

III. COROLLIFLORAE. Sepala in calicem liberum, petala in corollam liberam coalita. Stamina corollae basi adhaerentia. Ovarium liberum.

IV. MONOCHLAMYDES. Involucrum florale (Perigonium) unicum.

SUBCLASSIS I.

THALAMIFLORAE

Sepala inter se libera aut coalita. Petala inter se libera rarove basi coalita staminaque toro inserta, nec calici accreta.

THALAMIFLORARUM ORDINES

I. RANUNCULACEAE. Sepala 3-6, raro plura, plerumque petaloidea et decidua. Petala sepalis numero saepe aequalia et alterna, vel dupla triplave, decidua, nunc plana, nunc tubulosa, bilabiata, aut difformia, interdum nulla. Stamina hypogyna, libera, indefinita, multiplici serie plerumque disposita: antherae adnatae. Ovella modo plurima libera et uniovulata toro hemisphaerico vel conico in spiram insidentia, modo sepalis numero aequalia pauciorave multiovulata connataque aut libera in verticillum simplicem disposita: styli tot quot ovella, saepe persistentes: stigmata simplicia. Carpelli raro carnosi, saepe sicci atque vel monospermi indehiscentes (*akenoidei*), liberi, in capitulum spicamve dispositi, vel polyspermi (*folliculares*) liberi, aut in capsulam coaliti, juxtaque internam suturam duplici serie seminiferam dehiscentes. — Herbae, suffrutices aut frutices, foliorum petiolis basi dilatatis. Stipulae nullae.

II. BERBERIDEAE. Sepala 4-6, decidua, plerumque petaloidea et basi squamis stipata. Petala decidua, sepalis numero aequalia iisdemque opposita, intus ad basim glandulis squamulisve saepe aucta. Stamina hypogyna, tot quot petala iisdemque opposita: antherae adnatae loculis a basi ad apicem valvula subelastica dehiscentibus. Ovarium uniloculare: stylus brevissimus: stigma crassum, suborbiculatum. Fructus indehiscens, saepe oligospermus. — Frutex (apud nos). Folia primaria in spinas saepe mutata.

III. NYMPHAEACEAE. Sepala 4-6, persistentia. Petala plurima, toro extus inserta, serie multiplici, singula cum sepalis petalisque exterioribus alternantia, interiora sensim in stamina abeuntia. Stamina indefinita, multiplici serie: antherae adnatae. Ovarium toro urceoliformi receptum. Fructus indehiscens, carpellis polyspermis in capsulam multilocularem connatis, raro liberis torique foveolis inclusis et 1-2-spermis. — Herbae aquaticae, foliorum limbo subrotundo, supernatante.

IV. PAPAVERACEAE. Sepala 2, foliacea, caduca. Petala 4, decidua. Stamina hypogyna, libera, raro petalis numero aequalia, saepe multiplicia. Ovarium liberum. Fructus polyspermus, capsularis; vel obovatus, disco stigmatum stellatorum operculatus porisque lateralibus infra operculum dehiscens; vel sili-

quaeformis in stylum simplicem duplicemve, seu in stigma sessile desinens, juxtaque longitudinem in valvas binas, aut transverse in articulos plures secedens. Semina vel in articulis solitaria, vel inserta placentis parietalibus, nunc compresso-planis dissepimenta incompleta efficientibus, nunc, in fructu siliquaeformi, lineari-filiformibus inter se liberis aut dissepimento in quod abeunt connexis. — Herbae succo croceo aut lacteo scatentes. Stipulae nullae.

V. FUMARIACEAE. Sepala 2, exigua, plana, decidua. Corolla decidua, tubulosa, ringens, e petalis 4 inaequalibus inferne coalitis aut liberis, superiore (galea) in calcar recurvum basi abeunte. Stamina hypogyna, diadelpha. Ovarium liberum: stylus filiformis: stigma bilamellatum. Pericarpium siccum, vel (ut in nostris) globulosum, indehiscens, monospermum, vel siliquaeforme, bivalve, polyspermum. — Herbae foliis decompositis; stipulis nullis; racemis florum spicaeformibus.

VI. CRUCIFERAE. Sepala et petala 4. Stamina hypogyna, tetradynama. Stylus 1, stigmate bilobo. Pericarpium vel capsulare biloculare, bivalve, modo longum, *siliquosum;* modo breve, *siliculosum;* placentis dissepimenti marginibus adnatis: vel *lomentaceum*, dissepimentis inter semina transversis, et in articulos demum secedens: vel *nucamentaceum* uniloculare, monospermum, indehiscens. — Herbae alternifoliae, raro suffrutices: stipulae nullae.

VII. CAPPARIDEAE. Sepala 4, basi interdum coalita. Torus a calice liber eidemve interdum ima basi adhaerens, hemisphaericus aut in thecaphorum gracilem productus. Petala 4, cruciata, saepe inaequalia, decidua, tori basi inserta. Stamina hypogyna, definita vel indefinita. Ovarium saepe stipitatum, placentis lamelliformibus, parietalibus, multiovulatis: stylus unus, columnaris, brevis, vel nullus: stigma plerumque disciforme. Pericarpium uniloculare, polyspermum, vel bivalve siliquaeforme dehiscens, vel (ut apud nos) baccatum indehiscens. — Frutex (apud nos). Folia alterna petiolata, simplicia: stipulis spinosis persistentibus, vel setosis deciduis.

VIII. RESEDACEAE. Calix 4-6-divisus, persistens. Petala 4-6, decidua, inaequalia, palmatifida, antica subinde indivisa. Stamina 10-26, hypogyna. Torus discum exserens annularem, carnosum, liberum, staminum filamenta et petala interpositum. Styli 3-6, brevissimi, placentis alternantes, persistentes. Pericarpium (in nostris) siccum, nuncque uniloculare, 3-6-valve, polyspermum, apice hians, nunc e carpellis folliculiformibus, 3-6, plus minusve liberis, mono-dipolyspermis, interno latere dehiscentibus. Placentae medio valvularum carpellorumve adnatae. — Herbae (apud nos). Folia basi saepe biglandulosa. Stipulae nullae.

IX. CISTINEAE. Sepala persistentia, interiora 3 aestivatione contorta, exteriora 2

interioribus vel subaequalia vel multo minora. Petala 5, ephemera, aequalia, per aestivationem contorta, directione sepalis contraria. Stamina hypogyna, indefinita. Stylus 1, filiformis: stigma simplex. Pericarpium capsulare, subglobosum, 1-3-5-10-loculare, 3-5-10-valve, valva quaque ad axim vel placentam nerviformem, vel dissepimentum interno margine placentiferum referente. Semina indefinita. — Frutices, suffrutices aut herbae. Folia indivisa, integerrima aut vix crenulato-dentata, basi nuda vel stipulis foliaceis, liberis praedita.

X. VIOLARIEAE. Sepala 5, persistentia, ima basi interdum coalita, saepe deorsum producta. Petala 5, raro aequalia, inferiore (in nostris) in calcar basi abeunte. Stamina 5, hypogyna; filamentis brevibus; antheris introrsis, ad latera contiguis adglutinatisve. Stylus simplex, stigmate subgloboso acutove. Pericarpium capsulare, uniloculare, trivalve: placenta linearis valvae cujusque axi intus adnata. Semina plerumque indefinita. — Herbae (apud nos). Folia petiolata, stipulata.

XI. POLYGALEAE. Sepala 5, ima basi quandoque coalita, persistentia, duo lateralia interiora saepe majora petaloidea. Petala 3-5, sepalis alterna, irregularia, decidua, libera vel tubi staminiferi ope inter se coalita. Stamina hypogyna, saepe 8, filamentis in tubum superne fissum coalitis: antheris unilocularibus, apice poro hiantibus. Stylus 1, stigmate plerumque bilabiato. Pericarpium (in nostris) capsulare, compressum, biloculare, valvis septiferis dehiscentibus. Semina in loculis solitaria. — Herbae (apud nos). Folia indivisa, integerrima. Stipulae nullae.

XII. FRANKENIACEAE. Calix persistens, tubulosus, 4-5-fidus. Petala calicis laciniis numero aequalia et alterna, libera, longe unguiculata. Stamina hypogyna, antherifera totidem ac petala iisdemque alternantia, libera, filamentaque sterilia cuique petalorum ungui adnata, apice ad corollae faucem dentes sistentia, unum alterumve subinde antheriferum. Stylus 2-4-fidus. Pericarpium capsulare, ovato-oblongum, 1-loculare, 2-4-valve, valvarum marginibus parum introflexis placentas nerviformes gerentibus. Semina indefinita. — Herbae vel suffruticuli. Folia indivisa, basi subconnata. Stipulae nullae. Flores sessiles.

XIII. CARYOPHYLLEAE. Calix vel profunde 3-5-partitus, patulus; vel tereti-tubulosus aut vesiculosus, 5-dentatus, persistens. Petala, in calice partito, 3-5, toro, discum subannularem, plus minusve hypogynum, saepe efficienti, inserta (raro abortiva): in calice tubuloso, 5, toro columnari (seu anthophoro), crasso inserta, longe unguiculata, et ad faucem appendicibus saepe aucta. Stamina hypogyna, petalorum numero vel dupla quorum alterna petalorum

unguibus adhaerent; vel petalis numero aequalia paucioraque, libera. Styli 2-5, stigmate subulato terminati. Pericarpium (apud nos) capsulare, 1-5-loculare, valvis numero stigmatum simplici duplicive dehiscens. Semina saepe plura columnae centrali, raro pauciora fundo loculi affixa. — Herbae vel suffruticuli. Caules ramique nodoso-articulati. Folia rarissime verticillata, plerumque opposita et basi connata, indivisa. Flores raro axillares, saepe terminales.

XIV. MALVACEAE. Calix persistens, 3-5-fidus aut partitus (lobis aestivatione valvatis), plerumque involucratus. Petala saepe 5, calicis lobis alterna, aequalia, ima basi inter se staminumque tubo plerumque cohaerentia. Stamina hypogyna, monadelpha, antheris unilocularibus, pollinis granulis hispidis. Ovella plura: styli distincti aut connati et stigmata tot quot ovella. Carpelli vel subliberi mono-dispermi, circa axim e toro exsertum saepe verticillati, raro in capitulum aggregati; vel in capsulam multilocularem, multivalvem (raro subbaccatam) coaliti, mono-polyspermi, uniloculares, suturave introflexa interdum subbiloculares. Semina carpellorum angulo centrali affixa. — Herbae aut frutices (apud nos). Folia saepe palmatinervia. Stipulae liberae. Pubes plerumque stellata.

+ AURANTIACEAE. Calix persistens, brevis, 3-5-divisus. Petala laciniis calicinis numero aequalia iisdemque alterna. Stamina petalis numero aequalia, dupla aut multiplicia, libera aut filamentis varie coalita, unica serie disco hypogyno inserta. Stylus unicus, cylindraceus, stigmate crasso, sublobato. Fructus indusio crasso, indehiscente obductus, multilocularis, loculis (seu carpellis) secundum longitudinem arcte connatis, utriculis succulentis farctis. Semina loculorum angulo centrali adfixa, solitaria aut plura. — Arbusculae aut arbores. Folia coriacea, perennantia, glandulis oleum aethereum continentibus praedita. Stipulae nullae.

XV. HYPERICINEAE. Calix profunde 4-5-partitus, persistens. Petala calicis divisionibus numero aequalia et alterna, per aestivationem et post anthesim in spiram convoluta. Stamina hypogyna, plurima, filamentis basi tri-pentadelphis, Styli 3-5, filiformes, plerumque liberi. Pericarpium (apud nos) capsulare, 3-5 loculare; loculis (aut carpellis) apice distinctis, interne ad suturam dehiscentibus. Placenta centralis, seu valvarum margini introflexo centrali affixa. Semina plurima, teretia. — Herbae aut suffrutices. Folia saepe opposita glandulisque in parenchymate punctiformibus pellucentibus praedita. Stipulae nullae.

XVI. ACERINEAE. Calix deciduus, saepe 5- (raro 4- vel 9-12) divisus. Petala calicis divisionibus numero aequalia et alterna. Stamina disco hypogyno inserta, saepe 8 (nonnumquam 4-7 vel 9-12), filamentis liberis. Styli 2,

inferne connati. Pericarpium Samara dicarpellaris, carpellis nempe binis, indehiscentibus, plerumque compressis, mono-, raro dispermis, basi coalitis, postice in alam membranaceam productis, ab axi e toro exserto atque persistente demum secedentibus. Semina in angulo carpellorum centrali sessilia. — Arbores. Folia opposita plerumque palmatinervia. Stipulae nullae. Flores hermaphroditi, unisexuales vel polygami, racemosi aut corymbosi.

+ AMPELIDEAE. Calix minimus, 4-5-dentatus integerve. Petala 4-5, toro disciformi extus inserta, calicis dentibus alterna. Stamina totidem ac petala iisdemque disco inserta et opposita. Stylus unicus, brevissimus. Fructus baccatus, succosus drupaceusve, plerumque demum unilocularis. Semina 4-5 pauciorave, erecta, ossea, columnae demum liberae basi affixa. — Frutices sarmentosi, scandentes. Folia petiolata, stipulata. Flores perexigui, virescentes, racemosi.

XVII. GERANIACEAE. Calix persistens, 5-sepalus aut profunde 5-partitus. Petala 5, calicis divisionibus alterna, per aestivationem contorta. Stamina petalorum numero dupla, hypogyna aut subperigyna, filamentis basi plerumque monadelphis. Styli 5, planiusculi, columnae e toro exsertae sulcis recepti, apice in stigmata filiformia, divergentia desinentes, e columna demum a basi ad apicem secedentes, se se convolventes, carpellosque maturos e calice avellentes. Carpelli 5, membranacei, uniloculares, 1-2-spermi, sutura rumpentes. — Herbae (apud nos). Folia petiolata, oppositorum altero minore. Stipulae membranaceae.

XVIII. LINEAE. Calix persistens, 5-sepalus aut profunde 5-partitus, raro 4-fidus. Petala tot quot calicis divisiones iisque alterna, per aestivationem contorta. Stamina hypogyna, petalis numero aequalia et alterna, filamentis basi saepe monadelphis, dentibus (filamentis sterilibus brevissimis) interjectis. Styli 3-5, distincti, filiformes. Pericarpium capsulare, subglobosum, 3-5-loculare, loculis carpellisve dissepimento plus minusve completo, ex endocarpio dorsali introflexo, duplicato, subbilocularibus, subbivalvibus. Semina in quoque carpello duo, dissepimento secundario segregata, loculorum angulo centrali affixa. — Herbae aut suffrutices. Folia sessilia, integra. Stipulae nullae.

XIX. OXALIDEAE. Calix persistens, 5-sepalus aut profunde 5-partitus. Petala 5, sepalis alterna, per aestivationem contorta. Stamina 10, hypogyna, filamentis basi plerumque monadelphis. Styli 5, a basi distincti, filiformes. Pericarpium 5-loculare, (in nostris) capsulare externisque angulis in valvas 5, medio septiferas juxta longitudinem dehiscens. Semina loculorum angulo centrali affixa, pauca plurave, striata, juniora inclusa arillo carnoso elastice demum dehiscente. — Herbae (apud nos) acidulae. Folia alterna, petiolata.

XX. RUTACEAE. Calix 4-5-partitus. Petala 4-5, calicis divisionibus alterna. Stamina petalorum numero dupla, glandulis squamulisve ad basim plerumque stipata. Ovarium 4-5-loculare, 4-5-costatum, toro stipitiformi, brevi aut discoideo saepe superimpositum. Stylus unicus. Pericarpium capsulare, loculis petalorum numero aequalibus et oppositis, oligo-polyspermis, modo osseo-crustaceis, indehiscentibus intusque in loculos secundarios monospermos transverse divisis; modo valvis septiferis dorsoque juxta longitudinem dehiscentibus; modo in capsulam semi-4-fidam coalitis, apice intusque dehiscentibus. Semina loculorum angulo centrali affixa. — Herbae aut suffrutices (apud nos). Folia pinnata vel decomposita.

ORDO I.

RANUNCULACEAE

Ranunculaceae Juss. Gen. p. 231. DC. Syst. nat. 1. p. 127. et Prod. 1. p. 2. Ranunculaceae et Paeoniaceae Bartl. Ord. nat. p. 251. 252.

Sepala 3-6, raro plura, plerumque petaloidea et decidua. Petala sepalis numero saepe aequalia et alterna, vel dupla triplave, decidua, nunc plana, nunc tubulosa, bilabiata, aut difformia, per aestivationem imbricata, interdum nulla. Stamina libera, indefinita, multiplici serie plerumque disposita: antherae adnatae. Ovella modo plurima libera et uniovulata toro hemisphaerico vel conico in spiram insidentia; modo sepalis numero aequalia pauciorave, rarissime solitaria, multiovulata, libera aut basi connata et in verticillum simplicem disposita. Styli tot quot ovella saepe persistentes, stigmata simplicia. Carpelli raro carnosi, plerumque sicci, atque vel monospermi indehiscentes (*akenoidei*) liberi, in capitulum spicamve dispositi; vel polyspermi (*folliculares*) modo liberi, modo in capsulam coaliti, ad internamque suturam, duplici serie seminiferam, juxta longitudinem dehiscentes. Semina exarillata, ubi solitaria erecta aut pendula, ubi plura horizontalia. Albumen corneum. Embryo. minimus. — Herbae, suffrutices aut frutices. Folia petiolata, alterna, (in Clematitidibus opposita) petiolis basi dilatatis. Stipulae nullae. Pili nulli aut simplices.

GENERA RANUNCULACEARUM

SECTIO I.

AKENOIDEAE

Carpelli liberi, sicci, monospermi, indehiscentes, in capitulum spicamve dispositi.

I. Clematis. Calix 4-5-sepalus, petaloideus. Petala nulla. Akenia plura, compressa, caudata, caudis (in nostris) barbato-plumosis. Involucrum sub flore nullum vel caliciforme. — Frutices (apud nos) sarmentosi, scandentes. Folia opposita.

II. Thalictrum. Calix 4-5-sepalus, petaloideus. Petala nulla. Staminum filamenta longa. Akenia plura, ecaudata, striato-sulcata vel triquetro-alata. Involucrum sub flore nullum. — Herbae perennes. Folia (nostrae sp.) triternatim secta.

III. Anemone. Calix 5-15-sepalus, petaloideus. Petala nulla. Akenia plurima, caudata vel ecaudata. Involucrum a flore distans, triphyllum foliis saepe incisis. — Herbae perennes. Folia radicalia, petiolata, lobata, aut decomposita. Scapi plerumque uniflori.

IV. Adonis. Calix 5-sepalus. Petala 5-15, ungue nudo. Akenia plurima, subovata, stylo brevi acuminata, secus gonophorum imbricata, spicata. — Herbae. Caulis foliosus. Folia in lacinias lineares multipartita.

V. Ranunculus. Calix 3-5-sepalus. Petala 5 vel plura, ungue foveola seu squama nectarifera praedito. Akenia plura, saepe compressa, mucronulata uncinatave, raro obtusa. — Herbae acres.

SECTIO II.

CAPSULARES

Carpelli liberi aut plus minusve coaliti, polyspermi, interno latere seminifero dehiscentes ; seminibus gemino ordine dispositis.

A. carpellis siccis ; petalis tubulosis, bilabiatis aut difformibus.

VI. Helleborus. Calix persistens, 5-sepalus, sepalis subrotundis, magnis. Petala

8-12, brevia, tubulata, inferne nectarifera. Carpelli folliculares, 3-10, sessiles. — Herbae perennes. Folia palmatim pedatimve divisa.

VII. NIGELLA. Calicis sepala 5, pedicellata, unguiculata, petaloidea, decidua. Petala 5-10, oblique pedicellata, bilabiata, parva, ungue foveolato, nectarifero. Carpelli folliculares, 5-10, plus minusve concreti, stylis longis rostrati. — Herbae annuae. Folia pinnatisecta, multifida.

VIII. AQUILEGIA. Calix 5-sepalus, petaloideus, deciduus. Petala 5, tubulosa, postice calcarata, superne hiantia, bilabiata, labio exteriore magno plano, interiore minimo. Carpelli folliculares, 5, stylis acuminati. — Herbae perennes. Folia ternatim biternatimve secta.

IX. DELPHINIUM. Calix 5-sepalus, petaloideus, deciduus, sepalo superiore basi in calcar producto. Petala 4, coalita vel libera, duo superiora in appendices calcare inclusas (calcar internum) abeuntia. Carpelli folliculares, 1-5. — Herbae radice annua aut perenni. Folia caulina, palmata, partita. Flores racemosi.

B. carpellis crassiusculis; petalis planis.

X. PAEONIA. Calix 5-sepalus, foliaceus, inaequalis. Petala 5-10, maxima. Stamina antheris extrorsis. Discus carnosus ovaria cingens. Ovella 2-5, stigmatibus bilamellatis, crispis, crassis instructa, in carpellos folliculares abeuntia. — Herbae perennes. Folia biternatim ternatimve secta.

SECTIO I.

AKENOIDEAE

Carpelli liberi, sicci, monospermi, indehiscentes, in capitulum spicamve dispositi.

I. CLEMATIS

Clematis. LINN. Gen. pl. ed. SCHREB. n.° 950. JUSS. Gen. p. 232. TOURN. Inst. tab. 150. GAERTN. Fruct. 1. tab. 74.

Calix 4-5-sepalus, petaloideus. Stamina plura. Petala nulla. Akenia plura, compressa, caudata, caudis (in nostris) barbato-plumosis. Involucrum sub flore nullum vel caliciforme.

1. CLEMATIS FLAMMULA

C. scandens; foliis pinnatisectis; segmentis glabris, indivisis trilobisque, ovatis, oblongis sublinearibusve, acutiusculis; paniculis axillaribus; sepalis margine tomentosis.

Clematis Flammula. LINN. Sp. p. 766. WILLD. Sp. 2. p. 1293. DC. Syst. nat. 1. p. 134. et Prod. 1. p. 2.

DESF. Fl. atl. 1. p. 433. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 377. CHAUB. et BORY. Exped. Mor. p. 154. PRESL. Fl. sic. 1. p. 2. GUSS. Fl. sic. Prod. suppl. p. 183. TENOR. Fl. nap. 1. p. 309. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 282. SAVI. Fl. pis. 2. p. 21. et Bot. etr. 4. p. 118. DC. Fl. fr. 4. p. 873. LOIS. Fl. gall. ed. 2. vol. 1. p. 402.

C. maritima. ALL. Fl. ped. 1. p. 297. ex ejusd. Auct. ad Fl. ped. p. 20. et Herbar. non LINN.

Ic. — Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 57.

Flammula. DOD. Pempt. p. 404. ic. 2. ✦ (*)

(*) Signa ✦ et ⅄ post citatas icones adducta, ubi eadem, easdem significant icones ab auctoribus iterum iterumque editas.

Clematis altera urens vulgi flammula. LOB. Stirp. obs. p. 346. ic. 1.* et icon. tab. 627. ic. 1.*

C. sive flammula scandens tenuifolia alba. J. BAUH. Hist. 2. p. 127. ic. 1.* CHABR. Sciagr. p. 117. ic. 2.*

C. maritima repens. ZANICH. Ist. p. 69. tab. 129. (ad varietatem sequentem ab auctoribus relata, huc spectare videtur, foliorum enim segmenta ovata nec lineari-lanceolata).

β. *maritima*, foliorum segmentis linearibus.

C. Flammula *maritima*. BADAR. Pl. ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 8.

C. maritima. LINN. Sp. p. 767. WILLD. Sp. 2. p. 1293? DC. Fl. fr. 4. p. 873. et 5. p. 632.

Caules 4-5-pedales, sarmentosi, lignosi, flexiles, scandentes vel procumbentes, angulati, ramis oppositis. Folia opposita, petiolata, pinnatisecta; segmenta plus minusve petiolulata, forma admodum varia, in foliis inferioribus utrinque duo tria opposita cum impari, infimis cujusque folii saepius trisectis trilobisve, in foliis caeteris numero sensim pauciora minusque divisa indivisave: folia floralia superiora indivisa. Petioli cirrhorum more apice contorti. Flores suaveolentes, versus extrema caulis ramorumque dispositi in paniculas plures, axillares, oppositas, di-trichotomas, vel pedicellis, nonnumquam circa axim subverticillatis. Sepala oblonga, margine tomentosa, reliqua parte glabra, albescentia, raro pallide rosea. Genitalia subaequalia, erecta, sepalis breviora: filamenta glabra: styli barbati apice nudiusculi, persistentes; stigma simplex. Carpelli 6-10, ovato-oblongi, acuminati, oculo armato, pilosi, caudis longe barbato-plumosis.

Planta versus summitates, oculo armato, pilosiuscula, caeterum glabra.

In campis maritimis ad sepes et dumeta, et in montanis; ab 1 ad 820 circiter metr. supra maris superficiem.

Fl. vere atque aestate. ♄

Ital. *Vitalba piccola. Viticcio. Fiammola.* EX TARGIONI TOZZETTI diz. bot.

Vern. s. *Tetti* — Arizzo, Barì. *Urzula.*

Herba foliaque recentia dentibus carie laborantibus admoventur ad dolores sedandos (Barì): acria caustica et rubefacientia sunt, ipsis animalibus interno usu infensa, sicca vix acria nec herbivoris ingrata.

2. CLEMATIS VITALBA

C. scandens; foliis pinnatisectis; segmentis glabriusculis, ovatis, dentato-incisis integerrimisque, basi cordatis truncatisve; paniculis axillaribus; sepalis tomentosis.

Clematis Vitalba. Linn. Sp. pl. p. 766. Willd. Sp. 2. p. 1291. DC. Syst. 1. p. 139. et Prod. 1. p. 3.

Forsk. Fl. arab. p. cxiv. n.° 348. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 377. Presl. Fl. sic. 1. p. 4. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 39. et Suppl. 2. p. 183. Tenor. Fl. nap. 1. p. 309. et Syll. (ed. in 8.°) p. 264. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 181. Savi. Fl. pis. 2. p. 20. et Bot. etr. 4. p. 118. Badar. Pl. ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 8. All.! Fl. ped. 1. p. 297. DC. Fl. fr. 5. p. 872. Lois. Fl. gall. ed. 2. 1. p. 402.

Ic. — Engl. bot. tab. 612. Lmck. Ill. gen. tab. 497. ic. 2. Bull. Herb. tab. 89. Fl. med. 3. tab. 124. Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 58. et vol. 25. tab. 24.
Atragene Theophrasti. Clus. Hist. 1. p. 122. ic. 2. ✱
Vitalba. Dod. Pempt. p. 404. ic. 1. ✱
Viorna. Lob. Stirp. obs. p. 345. ic. 1. ✱ et Icon. tab. 626. ic. 1. ✱
Clematis latifolia dentata. J. Bauh. Hist. 2. p. 125. ic. 1. ✱ Chabr. Sciagr. p. 116. ic. 6. ✱

β. *integrata*, segmentis integerrimis.
Ic. — Jacq. Fl. austr. tab. 308.
Vitis nigra. Fuchs. Hist. p. 97. ic. ✱
C. latifolia integra. J. Bauh. Hist. 2. p. 125. ic. 2. ✱ Chabr. Sciagr. p. 116. ic. 5. ✱

Caules longissimi, angulosi, sarmentosi, scandentes, ramis, ut in praecedente, oppositis. Folia etiam opposita, pinnatisecta; segmenta utrinque duo, raro tria, cum impari, majuscula, petiolulata, ovato-acuta vel ovato-lanceolata, integra vel inciso-dentata, basi ut plurimum cordata vel rarius truncata, non attenuata ut in plerisque speciei praecedentis; petioli cirrhiformes. Flores albidi, majores et minus fragrantes quam in praecedente, in paniculas axillares, oppositas, di-trichotomas, foliis subbreviores dispositi. Sepala subcoriacea, cineraceo-tomentosa, margine albida, genitalibus erectis vix longiora. Stamina glabra. Styli barbati ut in C. Flammula. Carpelli

plurimi, 20-40, ovato-oblongi, pilosi; caudis longe barbato-plumosis. Planta pubescens.

In sylvestribus, ad sepes et dumeta: var. β frequentior.

Fl. vere atque aestate. ♄

Ital. *Vitalba comune. Clematide.*

Vern. m. *Benzigliu. Zara* — Arizzo, Lanusei. *Isterzu. Sterzu* — Iglesias. *Auciada* — Cuglieri. *Bidighinzu* — Fonni. *Vitichingiu.*

Herba foliaque recentia contusa moxque cuti admota, rubefacientium, vel vesicantium vices explent. Species uti praecedens sequensque venenata nec ad usum internum a prudentioribus medicis hactenus adhibita. Caudis ejus barbatis chartam confecit SCHAEFFERUS.

3. CLEMATIS CIRRHOSA

C. scandens; foliis dentatis incisisve, indivisis, trifidis, trisectisve; pedunculis unifloris; involucro sub flore caliciformi.

Clematis cirrhosa. CAMBESS. En. pl. balear. p. 1.

C. polymorpha. VIV. Fl. cors. diagn. 1. p. 9.

α. *vulgaris*, foliis indivisis, vel indivisis et trifidis trisectisque.

C. cirrhosa. LINN. Sp. p. 766. WILLD. Sp. 2. p. 1287. DC. Syst. 1. p. 163. (*excl. syn.* SCOP.) et Prod. 1. p. 9.

DESF. Fl. atl. 1. p. 432. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 377. et Fl. graec. 6. p. 14. CHAUB. et BORY. Exped. Mor. p. 154. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 40. et Pl. rar. p. 217. TENOR. Fl. nap. 1. p. 307. et Syll. p. 264.

C. semitriloba. LAG. Cat. h. matrit. p. 17. n.° 225. DC.! Syst. 1. p. 163. et Prod. 1. p. 9. TENOR. Fl. nap. 4. p. 331.

Atragene cirrhosa. PERS. Syn. 2. p. 98.

Cheiropsis cirrhosa. PRESL. Fl. sic. 1. p. 4.

Clematis cirrhis scandens. ALL. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taurin. 1. p. 91.

Ic. — Fl. graec. tab. 517.

Clematis altera baetica. CLUS. Hist. 1. p. 123. ic. 1. ✢

C. baetica Clusii. LOB. Stirp. obs. p. 347. ic. 1. ✢ et Icon. p. 628. ic. 2. ✢ J. BAUH. Hist. 2. p. 126. ic. ✢ CHABR. Sciagr. p. 117. ic. 1. ✢ (*Icon iterum iterumque edita ramum exhibens foliis indivisis*).

β. *triloba*, foliis omnibus tripartitis trisectisve, segmentis ovatis, medio saepe petiolulato, lateralibus sessilibus, omnibusve petiolulatis.

C. polymorpha. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 40. et Suppl. 2. p. 183. Tenor. Fl. nap. 4. p. 331.

γ. *multifida*, foliis omnibus trisectis, segmentis lanceolatis, petiolulatis, multifidis.
C. calicina. Ait. H. Kew. ed. 1. vol. 2. p. 259. Willd. Sp. 2. p. 1289.
Atragene balearica. Pers. Syn. 2. p. 98.
C. balearica. Juss. Rich. in Journ. phys. an. 1779. tom. 4. p. 127. DC.! Syst. 1. p. 163. et Prod. 1. p. 9. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 14.

Ic. — Rich. in Journ. phys. an. 1779. tom. 14. tab. 2. Iconogr. taurin. vol. 42. tab. 102.

Caules fruticosi, sarmentosi, ramosi, implexi, in singulis varietatibus supra arbores fruticesve scandentes, vel ubi interdum hae desint, prostrati, juniores pilosiusculi, fusco-flavescentes, aetate purpurascentes, glabrati, striati vel angulati. Folia opposita, e singulis nodis saepe fasciculata, perennantia, atro-viridia, subcordato-ovata, basi juxta nervos pilosiuscula, reliqua parte glabra, plus minusve serrato-crenata, magnitudine formaque admodum varia: in varietate α nonnulla interdum suborbiculata, vel omnia indivisa, vel in ramis junioribus interdum trifida, tripartita trisectaque, in adultis indivisa, vel in variis trunci ramorumque nodis aut in iisdem indivisa et trisecta aut saepius trifida, lobis ovatis medio interdum petiolulato, lateralibus sessilibus obliquis. Varietas β foliis omnibus interdum inciso-lobatis vel frequentius trilobatis, lobis ovatis, indivisis, sessilibus, vel petiolulatis, vel medio saepe petiolulato triloboque, lateralibus obliquis, bilobis, omnibus inaequaliter serrato-crenatis ad varietatem γ gradum facit, in qua lobi vel ut in praecedente vel magis divisi, omnes autem lanceolati. Petioli longitudine circiter limbi; cirrhi oppositi simplices, vel apice trifidi, originem ducunt e petiolis anni praecedentis, glabratis, auctis, productis, contortisque. Pedunculi axillares saepe plures, inaequales, filiformes, villosi, uniflori. Flores penduli, involucro caliciformi sub aestivatione tecti in eodemque sessiles, anthesi vero peracta plus minusve longe pedicellati, pedicello tomentoso (quamobrem var. β *pedicellata* DC. Syst. 1. p. 163. ableganda, uti jam animadvertit clar. Cambessedes l. c.). Involucrum campanulatum, pubescens, virens, magnitudine varium, emarginato-bifidum, bipartitum, vel rarissime duas, quibus

conflari videtur, bracteas integras, ovato-acutas, distinctas referens, post anthesim persistens, auctum, et a flore plus minusve remotum: in var. α interdum exiguius. Sepala quatuor ovalia, trinervia, albescentia, apice saepe mucronulata, extus tomentosa, intus glabra, maculisque purpurascentibus exiguis interdum adspersa. Genitalia sepalis breviora: filamenta compressa, apice attenuata, pilosiuscula: pistilla barbata, apice incurva. Fructus, akenia ovata, utrinque attenuata, subcompressa, rubescentia, villosa, caudis barbato-plumosis, in capitulum pedicellatum, 30-40, aggregata.

Ad sepes et dumeta in collinis montanisque, praesertim maritimis Sardiniae, insulae S. Pietro et insulae Tavolara.

Fl. augusto novembri. ♄

Vern. s. *Pidighignu Pidighinzu.*

Vern. m. *Pintirizzu* — Muravera. *Trezzu* — Iglesias. *Mussorgia.*

Herba foliaque recentia acria caustica.

Obs. Var. nostra β *triloba*, cultura perstat ex clariss. Guss. Supp. l. c. Caeterum in ejusdem plantae ramis tot interdum se mihi praebuerunt foliorum formae et in eodem etiam ramo folia alia trisecta segmentis omnibus petiolulatis; alia trifida, alia indivisa totque praeterea inter singulas varietates intermedia specimina, ut naturam inter eas limites non posuisse constantes arbitratus sim.

II. THALICTRUM

Thalictrum. Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 951. Juss. Gen. p. 232. DC. Syst. 1. p. 168. et Prod. 1. p. 11. Tourn. Inst. tab. 143. Gaertn. Fr. 1. tab. 74. Lamk. Ill. tab. 497.

Calix 4-5 sepalus, petaloideus. Petala nulla. Stamina plura longaque. Akenia plura, ecaudata, striato-sulcata vel triquetro-alata. Involucrum sub flore nullum.

4. THALICTRUM MINUS

T. caule flexuoso, aequaliter folioso, basi vaginato; foliorum segmentis subrotundis, obtusiuscule trifidis subdentatisque, subtus

glauco-pruinosis; paniculae laxae, aphyllae floribus 4-sepalis; carpellis utrinque attenuatis, sulcatis.

Thalictrum minus. LINN. Sp. p. 769. WILLD. Sp. 2. p. 1297. DC. Syst. 1. p. 178. et Prod. 1. p. 13.

SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 378. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 265. et Fl. nap. 4. p. 332. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 157. et Fl. alp. apuan. ibid. p. 375. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 8. ALL. Fl. ped. 1. p. 295. DC. Fl. fr. 4. p. 875. LOIS. Fl. gall. 1. p. 404.

Ic. — Engl. bot. tab. 11. (*absque fructu*). JACQ. Fl. austr. 5. tab. 419. Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 63.

(*Huc ab auctoribus allata icon* Thalictrum alpinum saxatile rutae folio staminibus luteis. SEG. Veron. 1. tab. 11. *foliorum segmentis acutioribus a nostra planta differt*).

Caulis simplex, tenuis, erectus, cubitalis, teres, basi vaginis tectus, flexuosus atque rubescens, pilis, oculo armato, brevissimis apice glanduliferis praeditus, superne glaber. Folia caulina 4, alterna, tripinnatim secta, petiolis basi leviter vaginantibus, segmentis facie virentibus, glabris, margine revolutis, subtus glaucis pruinosisque, suborbiculatis, subindeve basi nonnullis subcordatis, apice trilobis, lobis ovatis obtusis, indivisis et nonnullis 2-3-crenatis, superiorum foliorum angustioribus, acutiusculis. Flores in paniculam terminalem dispositi; rami paniculae alterni, ascendentes, laxe pauciflori ramulique basi bracteati, bracteis lanceolato-linearibus, exiguis, supremis simplicibus, inferioribus partitis. Sepala 4, oblonga, membranacea, concava, caduca. Stamina 10-15, filamentis glabris, antheris linearibus acutiusculis. Carpelli 3-6, pilis glanduliferis brevissimis, oculo armato, viscido-subpubescentes, sessiles, oblongi, utrinque attenuati, striato-sulcati, stigmate apiculati.

In sylvestribus circa Fonni; 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aestate. ♃

Thalictrorum radices flavicantes, amarae, Rhabarbarum virtute aemulari olim creditae (DOD. Pempt. p. 59.) atque in arte tinctoria adhibitae, nunc obsoletae.

III. ANEMONE

Anemone. Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 948. Juss. Gen. p. 232. Gaertn. Fr. 1. tab. 74. Lmck. Ill. tab. 496. Anemone et Pulsatilla Tourn. Inst. tab. 147. 148.

Calix 5-15-sepalus, petaloideus. Petala nulla. Stamina plurima. Akenia plurima caudata vel ecaudata. Involucrum a flore distans triphyllum, foliis saepe incisis.

5. ANEMONE CORONARIA

A. foliis ternatim sectis, segmentis multipartitis, lacinulis lanceolatis; involucralibus sessilibus, laciniatis; sepalis subsenis, ovalibus obovatisve; carpellis ecaudatis.

Anemone coronaria. Linn. Sp. p. 760. Willd. Sp. 2. p. 1276. DC.! Syst. 1. p. 196. et Prod. 1. p. 18.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 42. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 375. et Fl. graec. 6. p. 11. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 153. Presl Fl. sic. 1. p. 6. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 36. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 263. et Fl. nap. 4. p. 330. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 180. Savi Bot. etr. 2. p. 121. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 8. Bell.! Append. ad Fl. ped. p. 24. DC. Fl. fr. 4. p. 882. Lois. Fl. gall. ed. 2. vol. 1. p. 400. Cambess. En. pl. balear. p. 163.

Ic. — Fl. graec. vol. 6. tab. 514. Lmck. l. c. Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 45. ic. 5.

Anemone hortensis tenuifolia simplici flore II. IV. VI. VII. IX. X. et XI. XIV. Clus. Hist. p. 255. 256. 257. 258. 259. icones.

Anemone III. Dod. Pempt. p. 434. ic. 3. (*eadem ac* Anemone hortens. II. Clusii) et Anemone IIII. p. 435. ic. 1.

A. tuberosa radice. Lob. Obs. p. 145. ic. 1. et Icon. tab. 277. ic. 1. (*eaedem ac* Anemone II. Clusii).

A. italica tenuifolia purpurea foliis floris orbiculatis. J. Bauh. Hist. 3. p. 405. 406. ic. 1. (*mala*) et A. tenuifolia species variae. J. Bauh. Hist. 3. p. 406. 407. (*icones eaedem ac* Clusii *citatae*).

A. italica tenuifolia etc. Chabr. Sciagr. p. 462. ic. 5. (*eadem ac in* J. Bauhino) et Anemone tenuifolia p. 462. ic. 6. et p. 463. (*icones variae eaedem ac in* J. Bauhino et Clusio).

Radix tuberosa fibras laterales agens: folia radicalia, complura, ternatim secta, petiolata, petiolis pubescentibus: segmentis plus minusve petiolulatis, multipartitis, partitionibus inciso-dentatis, glabris, lacinulis lanceolatis, apice mucronatis. Scapus teres, simplex, basi glabriusculus, superne adpresse pubescens, foliis longior. Folia involucralia tria, plus minusve laciniata, margine pilosiuscula. Flores solitarii, violacei, coerulescentes, albescentes, vel rarius purpurei aut pluricolores. Sepala quinque-octo, magna, ovalia vel frequentius obovato-cuneata, extus, basi praecipue, pilosa. Stamina glabra. Pistilla barbata, versus apicem glabra. Carpelli lanati, ecaudati.

Ad margines agrorum et in sterilibus frequens.
Fl. a februario ad aprilem. ♃
Ital. *Anemolo de' campi. Anemone.*
Vern. s. *Anèmone areste.*

Stirps uti caeterae ejusdem generis, acris.

6. ANEMONE HORTENSIS

A. foliis cordato-suborbiculatis, tripartitis, partitionibus cuneatis, primariorum crenato-lobulatis, secundariorum alte incisis; foliis involucralibus sessilibus, oblongo-lanceolatis, subincisis, integrisve; sepalis 10-12, lineari-oblongis, obtusiusculis; carpellis ecaudatis.

Anemone hortensis. Linn. Sp. p. 761. Willd. Sp. 2. p. 1277.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 375. et Fl. graec. vol. 6. p. 12. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 153. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 37. et Suppl. p. 183. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 264. et Fl. nap. 4. p. 330. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 181. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 156. All.! Fl. ped. 2. p. 172. DC. Fl. fr. 4. p. 882. Lois. Fl. gall. 1. p. 400.

A. stellata. Lmck. Dict. 1. p. 166. DC. Syst. 1. p. 198. et Prod. 1. p. 18.

Presl Fl. sic. 1. p. 6. Savi Fl. pis. 2. p. 19. et Bot. etr. 2. p. 122. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 8.

Ic. — Fl. graec. vol. 6. tab. 515.

Anemone hortensis latifolia simplici flore III. VI. XVI. XVII. XVIII. Clus. Hist. 1. p. 249. ic. 2. p. 250. 253. et 254. ic. 1.

Anemone I. Dod. Pempt. p. 434. ic. I. (*eadem ac* Clus. An. III.).

A. tuberosa bulbocastani radice. Lob. Obs. p. 147. ic. 2. et Icon. tab. 279. ic. I. (*eadem ac* III. Clusii) (*In Obs.* Lob., *errore typographico mutatus iconis locus; ic.* I. *debet esse* 2.).

A. italica latiusculis spinosis foliis III. Clusii et Anemone latifolia etc. J. Bauh. Hist. 3. p. 402. ic. 2. et p. 403. 404. ic. 1. 2. 3. (*eaedem ac* Anemone III. VI. XVI. XVII. *et* XVIII. Clusii).

A. stellata purpurea et A. latifolia. Chabr. Sciagr. p. 461. ic. 3. 4. 5. 6. et p. 462. ic. I. (*eaedem ac in* J. Bauhino *et* Clusio, *quarum pleraeque minus bonae ob folia primaria tenuius profundiusque incisa quam in stirpe; sepala vero,* An. III. Clus. *l. c. excepta, nimis acuta*).

Radix tuberosa fibris lateralibus. Folia radicalia, complura, petiolata, petiolis pubescentibus, cordato-suborbiculata, coriacea, tripartita, facie glabra et intense viridia, subtus pallescentia nervosa et adpresse pilosiuscula; primaria partitionibus latioribus crenatis, vel crenato-lobatis; secundaria partitionibus alte incisis, laciniis lineari-oblongis dentibusque apice mucronatis. Scapus teres, simplex, superne praecipue pubescens, foliis longior. Folia involucralia tria, sessilia, oblongo-lanceolata, in inferiori pagina pilosa, integra, vel unum alterumve vix incisum, dentatumve. Flores rosei vel purpurascentes. Sepala 10-12, lineari-oblonga, obtusiuscula, extus pilosa minusque colorata. Stamina ut in praecedente, glabra. Pistilla inferne barbata. Carpelli lanati, ecaudati.

In pascuis et in arvis frequens.

Fl. a februario ad aprilem. ♃

Ital. *Anemolo stellato. Fiore stella.*

Vern. s. *Anemone areste.*

7. ANEMONE PALMATA

A. foliis suborbiculatis, cordatis, obtuse 3-5-lobis, crenato-dentatis; involucralibus sessilibus, trifidis, laciniis apice dentatis; sepalis 10-15, lineari-oblongis, obtusiusculis; carpellis ecaudatis.

Anemone palmata Linn. Sp. p. 758. Willd. Sp. 2. p. 1277. DC.! Syst. I. p. 199. et Prod. I. p. 19.

Desf. Fl. atl. 1. p. 432. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 38. DC. Fl. fr. 5. p. 635. Lois. Not. p. 87. et Fl. gall. 1. p. 400.

Ic. — Anemone hortensis latifolia simplo flore flavo. Clus. Hist. p. 248. ic. 2.✦ (*folia radicalia lobis numero pluribus quam in nostra*).

A. latifolia prima Clusii. Lob. Stirp. obs. p. 147. ic. 1. ✦ (*icon. 2., sub hoc titulo edita , ad* An. stellatam *spectat*) et Icon. tab. 279. ic. 2. ✦

A. latifolia flore flavo 1. Clusii. J. Bauh. Hist. 3. part. 2. p. 401. ic. ✦

A. herba venti. Chabr. Sciagr. p. 461. ic. 1. ✦

A. hortensis latifolia simplici flavo flore 1. Clus. Cyclam. seu malvaefol. Moris. Hist. sect. 4. tab. 25. ic. 3. ✦ (*foliorum lobo medio acutiore*).

A. latifolia flava 1. Clusii. Barr. Ic. tab. 792. ic. *bona.*

Radix tuberosa, fibras plures agens. Folia radicalia petiolis pilosiusculis, tri vel quinqueloba lobis obtusis, raro indivisa, crassiuscula, basi cordata, aut raro truncata, suborbiculata vel reniformia, viridia, glabra, subtus saepe violacea, margine crenato-dentata, ciliata. Scapus teres, simplex (rarissime divisus), uniflorus, basi glaber, superne pilis flavescentibus adpressis tomentosus. Folia involucralia tria, sessilia, in inferiori pagina pilosiuscula, plerumque trifida, laciniis apice dentatis, interdum multifida. Flores flavi: Sepala 10-15 vel interdum plura, lineari-oblonga, obtusiuscula, exteriora extus pilosa et interdum rubescentia paulloque majora. Stamina glabra: pistilla inferne barbata, flava. Carpelli lanati, ecaudati.

In pascuis collinis apricis, calcareis Mara Calagonis.
Fl. a januario ad martium. ♃

IV. ADONIS

Adonis. Linn. Gen. ed. Schreb. n.º 952. Juss. Gen. p. 232. Gaertn. Fr. 1. tab. 74. Lmck. Ill. tab. 498. Ranunculi sp. Tourn. Inst. tab. 149.

Calix 5-sepalus. Petala 5-15, ungue nudo. Stamina plurima. Akenia plurima, subovata, stylo brevi acuminata, secus gonophorum imbricata, spicata.

8. ADONIS AESTIVALIS

A. caule erecto, striato; petalis 5-8, obtusis; carpellis subangulatis, corrugato-scrobiculatis, in spicam ovato-oblongam cylindraceamve dispositis.

Adonis aestivalis. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 155.

A. annua. var. MILL. Dict. n. 1.

ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 1. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 182. DC. Fl. fr. 4. p. 887. α et β.

α. *leptopetala*, petalis 5-8, ovali-oblongis, planis, sepala oblonga, planiuscula duplo superantibus.

A. aestivalis. LINN. Sp. p. 771. WILLD. Sp. 2. p. 1303. DC.! Syst. 1. p. 223. et Prod. 1. p. 24.

DE BUCH Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 499. DESF. Fl. atl. 1. p. 434. DELIL. Fl. aegypt. ill. p. 92. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 379. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 43. et Suppl. 2. p. 184. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 265. et Fl. nap. 4. p. 336. SAVI Fl. pis. 2. p. 23. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 9. LOIS. Fl. gall. 1. p. 398. CAMBESS. En. pl. balear. p. 30.

A. miniata. ALL.! Fl. ped. 2. p. 169.

A. flammea. ALL.! Fl. ped. l. c.

A. citrina. HOFFM. DC.! Syst. 1. p. 233. et Prod. 1. p. 24.

A. flava. VILL. DC.! Syst. 1. p. 222. et Prod. l. c.

Ic. — REICH. Pl. crit. cent. IV. ic. 490-494. Adonis miniata. JACQ. Fl. austr. tab. 354.

β. *brachypetala*, petalis saepe 8, obovatis, conniventibus, sepala subovata, concava paullo superantibus.

A. autumnalis. LINN. Sp. p. 771. WILLD. Sp. 2. p. 1304. DC.! Syst. 1. p. 221. et Prod. 1. p. 23.

DESF. Fl. atl. 1. p. 434. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 379. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 265. et Fl. nap. 4. p. 337. LOIS. Fl. gall. ed. 2. vol. 1. p. 399.

A. micrantha. DC. Syst. 1. p. 222. Prod. 1. p. 24. et Herbar.

Ic. — Engl. bot. tab. 308. Reich. Pl. crit. cent. iv. ic. 497. Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 66.

Flos adonis vulgo. Clus. Hist. p. 336. ic. 1. ✦

Eranthemum. Dod. Pempt. p. 260. ic. 3. ✦

Recentiorum Adonis. Lob. Stirp. obs. p. 150. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 283. ic. ✦

Radix fusiformis, fibras nonnullas ramosve agens. Caulis erectus, foliosus, striatus, teres, simplex vel ramosus, glaber vel basi praecipue villosus. Folia alterna, petiolata, decomposita, lacinulis linearibus acutis; superiora sessilia. Flores terminales, solitarii, erecti. In β sepala subovata, concava, saepius purpurascentia vel atrosanguinea, integra vel denticulata, glabra, vel basi hispidula et plus minusve soluta: in var. α oblonga vel ovato-oblonga planiuscula. Petala in β saepe octo, glabra, obtusa, apice erosa basi attenuata, subconcava, obovata vel oblongo-obovata, conniventia calicem paullo superantia, frequentius rubro-sanguinea, versus unguem nigricantia: in α oblonga, angustiora, plana, patentia, plerumque phoenicea, calice duplo longiora. Stamina plura ad basim gonophori inserta: antherae plerumque atro-purpureae. Carpelli monospermi, glabri, irregulariter ovati, subangulati, corrugato-scrobiculati, stylo concolore, brevi, subuncinati, secus gonophorum plus minusve dense spicati, spicis saepe ovato- aut cylindraceo-oblongis.

Inter segetes vulgatissima.

Fl. a martio ad junium. ①

Ital. *Adonide. Fior d'Adone.*

Vern. m. *Ogu de boi.*

Veneni suspicione non caret. Nomen Adonidis floris natum dicitur ex similitudine cum sanguine Adonidis poetarum, quem apro interfectum Venus amatrix in florem convertit.

Obs. Plurimis *Adonidis aestivalis* atque *autumnalis* L. in Sardiniae arvis frequentissimarum spectatis speciminibus, constantia discrimina quibus specifice sejungantur se haud mihi praebuisse visa sunt. In alterutra caulis calicesque basi modo pilosi, modo glabri. Petalorum numerus, color, forma variant: occurrunt specimina sepalorum petalorumque longitudine formaque adeo inter *Adonidem aestivalem* et *autumnalem* intermedia, ut num ad unam alteramve referas in incerto fueris. Spicas laxas specificum *Adonidi aestivali* characterem tributum a celeberrimo Candolleo rarissime vidi:

easdemque in *autumnali* interdum cylindraceo-oblongas; oligocarpas atque ovatas in *aestivali* nonnumquam observavi: quod et variae utramque referentes icones et auctorum scripta testantur. Willdenowius enim ex Linnaeo, Lamarckius, Villarsius *autumnali* tribuunt spicam subcylindricam; subovatam *aestivali:* contra Candolleus, Smithius aliique. Ipsimet variant carpelli, circa quos botanicorum attentionem sagacissime revocavit cl. Reichenbachius in Plant. crit. l. c. et in Fl. german. excursor. 2. p. 726. Porro specimina mihi sunt petalorum spicarumque forma ad *Adonidem autumnalem* auctorum referenda, quorum in aliis carpelli margine superiore arcuato integerrimi sunt, in aliis bidentati: accedunt alia in quibus (si caeteris missis characteribus, unicum *Adonidem* inter *autumnalem* et *aestivalem* ex fructu eruas discrimen) carpelli maturi eam formam referunt, ob quam ex solo eorum margine superiore et styli directione, dubius sis num ad *Adonidem aestivalem* vel ad *autumnalem* referas. Hisce omnibus adductus *Adonidem aestivalem* ab *autumnali* sejungi non posse ratus sum.

Adonis flammea All. Herbar. non differt ab *Adonide miniata* ejusdem nisi petalis coloratioribus et caule basi valde pubescente, caeterum ob petala oblonga angustave calicem duplo et ultra superantia ad *Ad. aestivalem* Auct. potius quam ad *autumnalem* spectat.

V. RANUNCULUS

Ranunculus. Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 953. Gaertn. Fr. 1. tab. 74. Lmck. Ill. tab. 498. Ranunculi sp. Tourn. Inst. tab. 149.

Calix 3-5-sepalus. Petala 5 vel plura, ungue foveola seu squama nectarifera praedito. Stamina plura. Akenia plura, saepe compressa, mucronulata uncinatave, raro obtusa.

SPECIES

a. *Aquatiles; carpellis transverse rugoso-striatis; foliis submersis capillaceo-multifidis, emersis lobatis.*

Ranunculus aquatilis.

b. *Carpellis verrucoso-tuberculatis; foliis indivisis.*

R. ophioglossifolius.

c. *Carpellis laevibus; foliis indivisis.*

R. Flammula. R. Ficaria.
R. gramineus. R. bullatus.

d. *Carpellis laevibus; foliis dissectis lobatisve.*

R. Chaerophyllos. R. velutinus.
R. sceleratus. R. montanus *major.*
R. aconitifolius. R. bulbosus.
R. Balbisii. R. palustris.

e. *Carpellis tuberculatis muricatisve; foliis lobatis dissectisve.*

R. procerus. R. parviflorus.
R. Philonotis. R. muricatus.
R. trilobus. R. arvensis.

a. *Aquatiles; carpellis transverse rugoso-striatis; foliis submersis capillaceo-multifidis, emersis lobatis.*

9. RANUNCULUS AQUATILIS

R. caule natante vel (in exsiccatis) repente; foliis submersis capillaceo-multifidis, emersis trilobis, lobis cuneiformibus; petalis obovatis, calice longioribus.

Ranunculus aquatilis. Linn. Sp. p. 781. DC. Prod. 1. p. 26.

DC. Fl. fr. 4. p. 894. De Buch Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 499. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 184.

α. heterophyllus, foliis emersis suborbiculatis, subreniformibus cuneatisve, trilobis, lobis cuneato-lobulatis; submersis in lacinias filiformes, dissectis.

R. aquatilis. DC. ! Syst. 1. p. 234.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 385. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 65. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 53. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 266. et Fl. nap. 4. p. 339. Savi Bot. etr. 4. p. 127. All. ! Fl. ped. 2. p. 53. Lois. Fl. gall. 1. p. 391.

R. heterophyllus. Savi Fl. pis. 2. p. 30.

Batrachium peltatum. Presl Fl. sic. 1. p. 10.

Ic. — Engl. bot. tab. 101.

Ranunculus aquatilis. Dod. Pempt. p. 587. ic. 2. ✦

R. aquaticus Hepaticae facie. Lob. Stirp. obs. p. 497. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 35. ic. 2. ✦

R. aquatilis albus lato et foenicul. folio. Barr. Ic. 565.

* *coenosus*, pumilus, uni-biuncialis, erectiusculus, foliis superioribus trilobis, inciso-dentatis, inferioribus in lacinias lineares, breves dissectis.

β. *homophyllus*, foliis omnibus in lacinias filiformes, dissectis.

R. Pantothrix. DC. Syst. 1. p. 235.

Tenor. Fl. neap. Syll. p. 266. Savi Bot. etr. 4. p. 128.

R. aquatilis *var.* Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 159.

R. fluviatilis. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 59.

* *capillaceus*, caule ad basim radicante, natante, foliis omnibus submersis, in lacinias filiformes, divergentes dissectis.

R. capillaceus. Thuil. Lois. Fl. gall. 1. p. 391. Tenor. Fl. nap. 4. p. 340.

Batrachium capillaceum. Presl Fl. sic. 1. p. 11.

R. aquatilis. Savi Fl. pis. 2. p. 29.

R. aquatilis *var.* Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 8.

Ic. — Millefolium Maratriphyllon tertium flore et semine R. aquatici, Hepaticae facie. Lob. Icon. 1. tab. 791. ic. 1.

R. aquatilis omnino. J. Bauh. Hist. 3. p. 781. ic. 2.

R. aquaticus capillaceus. Moris. Hist. sect. 4. tab. 29. ic. 32.

R. aquaticus albus Foeniculi folio. Barr. Ic. tab. 566.

** *peucedanifolius*, caule natante, foliis omnibus submersis in lacinias longissimas, filiformes, parallelas, per iteratas di-trichotomias dissectis.

R. peucedanifolius. All. ! Fl. ped. 2. p. 53. Lois. Fl. gall. 1. p. 392. Tenor. Fl. nap. 4. p. 340.

R. peucedanoides. Desf. Fl. atl. 1. p. 444. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 266.

R. fluviatilis. Willd. Sp. 2. p. 1333.

Ic. — Ranunculus fluitans. Fl. dan. t. 376.

Ranunculo sive polyanthemo aquatili albo affine Millefolium Maratrophyllon fluitans. J. Bauh. Hist. 3. p. 782. ic. 1. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 564. ic. 5. ⍲

Caules plus minusve longi, fistulosi, glabri vel raro pubescentes. Radices capillares, fasciculatae e nodis radicantibus. Folia emersa plus minusve longe petiolata, trifida vel tripartita, rarius trisecta, suborbiculata, reniformia, vel interdum basi truncata aut cuneata,

glabra, vel rarissime subtus pubescentia, lobis crenato-lobatis, vel inciso-dentatis; folia submersa, interdum sessilia, in lacinias plus minusve tenues dissecta, omnia basi, petiolique in vaginam membranaceam dilatata; vagina in superioribus foliis majuscula, amplexicauli frequentius auriculata. Pedunculi oppositifolii, nudi, uniflori, folio plerumque longiores. Sepala ovata, concava, margine membranacea, petalis breviora. Carpelli plurimi, in capitulum sphaericum dispositi, obovati, utrinque convexi, transverse rugoso-striati, setulis hispidi, scabriusculi vel glabri.

In aquis stagnantibus lenteve fluentibus et in limosis palustribusque maritimis montanisque. Var. *coenosus* in coenosis maritimis circa Terralba. Var. *peucedanifolius* in rivis et fluminibus.

Fl. a martio ad junium. ♃

Ital. *Ranuncolo soldinello. Ranuncolo acquatico.*

Obs. Varietatis *peucedanifoliae* longiores foliorum lacinias aquae praeterfluentis rapidiori cursui tribuendas tradunt Sm. in Fl. brit. p. 597. DC. in Fl. fr. et Syst. cit. aliique. Clarissimi a Schlectendal et Meyerus *Ranunculum aquatilem* W. et *peucedanifolium* All. specifice inter se ita differre tradunt ut juxta crescentes, segregato, agmine eodem in rivulo celeriter fluente, eamdem per plures annos formam servantes observaverint (Schlectend. Animadv. Ran. 1. p. 8.). Equidem ejusdem *peucedanifolii* specimina habeo cum illis Herbarii Allionii consentientia lectaque ex iisdem plantis crescentibus in aquis fluentibus circa *Sardara* et Sardiniae centralis, quibus in omnibus folia in lacinias filiformes, longissimas, parallelas dissecta, nonnulla praeterea folium superius vel unicum, vel duo-tria referunt breviter petiolata trilobaque, atque haec quidem (praeter variantem, ex locis, laciniarum filiformium longitudinem) gradum ab ipso *peucedanifolio* nostro ad *R. aquatilem* sic faciunt, ut disjungi nullo modo posse credam (num *Ranunculus peucedanifolius* Auct. german. a nostro diversus?). Carpellos in varietate *peucedanifolia* vidi glabros, in aliis modo hispidulos, modo glabros etiam juniores, character igitur qui inde eruitur haud constans.

Varietas *capillaceus* exstat in Allionii Herbario sine nomine.

b. *Carpellis verrucoso-tuberculatis; foliis indivisis.*

10. RANUNCULUS OPHIOGLOSSIFOLIUS

R. foliis infimis longius petiolatis, ovatis subcordatisve, obtusis, mediis oblongis, summis oblongo-linearibus subsessilibus; caule fistuloso, erecto, ramoso; carpellis verrucoso-tuberculatis.

Ranunculus ophioglossifolius. Vill. Hist. 3. p. 731. DC.! Syst. 1. p. 249. et Prod. 1. p. 43.

Viv. Fl. cors. diagn. 1. p. 9. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 156. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 53. et Pl. rar. p. 221. Tenor. Fl. nap. 1. p. 343. et Syll. p. 266. Fiorini Append. ad Fl. rom. Prod. p. 15. Savi Bot. etr. 4. p. 119. DC. Fl. fr. 5. p. 639. Lois. Fl. gall. 1. p. 394.

R. ophioglossoides. Willd. Sp. 2. p. 1310. Balb.! Misc. ped. alt. p. 53.

R. fistulosus. Brign. Fasc. rar. pl. forojul. p. 25.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Vill. l. c. t. 49.

Radix fibrosa. Caulis erectus vel ascendens, fistulosus, teres pedalis, sesquipedalis, ad nodos infimos interdum radicans. Folia infima longius petiolata, ovata, obtusa, nonnumquam cordata, media oblonga petiolo breviori, summa oblongo-linearia subsessilia, omnia integra aut raro denticulata: petioli latiusculi, basi dilatati et vaginantes, vagina membranacea, scariosa, versus apicem subciliata. Pedunculi oppositifolii et ex dichotomia ramorum superiorum. Flores solitarii, parvi. Sepala ovata, patentia, concava, lutescentia, extus plerumque adpresse pilosa. Petala flava, nitentia, obovata, calice subduplo longiora; squamula unguiculari exigua, integra, cyathiformi. Carpelli in capitulum sphaericum dense aggregati, ovati, marginati, subcompressi, verrucoso-tuberculati, stylo crassiusculo, brevissimo, curvulo. Receptaculum glabrum. Tota planta glabra vel superne adpresse pilosiuscula.

In uliginosis Orri, Tanca di Nizza, Sardiniae centralis, septentrionalis et insulae Asinara.

Fl. aprili majo. ①

Ital. *Ranuncolo ofioglosso.*

c. *Carpellis laevibus; foliis indivisis.*

11. RANUNCULUS FLAMMULA

R. foliis lanceolatis linearibusve, inferioribus in petiolum longe attenuatis; caule declinato, farcto, basi subradicante; pedunculis oppositifoliis; carpellis laevibus, utrinque convexis, stylo brevissimo, deflexo.

Ranunculus Flammula. Linn. Sp. p. 772. Willd. Sp. 2. p. 1307. DC.! Syst. 1. p. 247. et Prod. 1. p. 32.

Desf. Fl. atl. 1. p. 435. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 380. Tenor. Fl. nap. 1. p. 311. *A.* et *B.* et Syll. p. 266. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 183. Savi Fl. pis. 2. p. 24. et Bot. etr. 4. p. 120. All.! Fl. ped. 2. p. 48. DC. Fl. fr. 4. p. 905. Lois. Fl. gall. 1. p. 394.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. t. 387. (*sine fructu*) Fl. dan. t. 575.

Flammula Ranunculus. Dod. Pempt. p. 432. ic. 1. ✝

Flammeus Ranunculus aquaticus angustifolius. Lob. obs. p. 382. ic. 2. ✝ et Icon. tab. 670. ic. 1. ✝

Ranunculus longifolius palustris minor. Moris. Hist. sect. 4. tab. 29. ic. 34.

Radices e fibris longis: caules striati, farcti, basi procumbentes, radicantes, mox ascendentes, plerumque ramosi. Folia linearia vel lanceolata, nervosa, integra, margine et apice callosa, inferiora in petiolum longius attenuata latioraque, superiora angustiora, sessilia: petioli canaliculati, basi dilatati in vaginam margine saepe subciliatam. Flores terminales, pedunculati, erecti, solitarii, lutei, parvi. Calix extus plerumque adpresse pilosus, reflexo-patens. Petala obovato-cuneata, lutea. Carpelli laeves, obovati, stylo brevissimo, deflexo, in capitulum sphaericum aggregati. Receptaculum glabrum. Tota planta non constanter glabra ut apud auctores, sed frequenter, superne praecipue, oculo armato, adpresse pilosa.

Varietates foliis serratis vel ovatis non vidi.

In uliginosis Villanova-Esterzili et Sardiniae centralis.

Fl. majo junio. ♃

Ital. *Ranuncolo longifolio. Ranuncolo delle passere.*

Stirps, uti caeterae congeneres, acris et caustica: ejus aqua destillata praestans emeticum est ex Withering. Quod et dixisse juverit de plerarumque congenerum stirpium aquis destillatis quas veteres utpote emeticas adhibuisse constat.

12. RANUNCULUS GRAMINEUS

R. foliis lanceolatis linearibusve, integerrimis; caule erecto, ad collum crassum fibrilloso; radice fasciculata; carpellis ventricosis, ruguloso-reticulatis, stylo crassiusculo, brevi, recurvo.

Ranunculus gramineus. Linn. Syst. p. 428. Spec. ed. 2. p. 773. Willd. Sp. 2. p. 1309. DC.! Syst. 1. p. 245. et Prod. l. c.

Savi Bot. etr. 4. p. 121. Balb.! Misc. bot. ped. p. 26. DC. Fl. fr. 4. p. 904. Lois. Fl. gall. 1. p. 394.

Ic. — Iconogr. taurin. vol. 37. tab. 68. (*opt.*).

Pumilus Ranunculus gramineis foliis et geniculatus. Lob. Adv. nov. p. 299. ic. ✦ et Icon. p. 671. ic. 1. ✦ (*pumilus caule unifloro*).

R. pumilus gramineis foliis. J. Bauh. Hist. 3. p. 866. ic. 3. ✧ Chabr. Sciagr. p. 471. ic. 4. ✧

R. bulbosus gramineus montanus. Col. Ecphr. tab. 313. ic. 2.

R. gramineo folio, tuberosa radice etc. Moris. Hist. sect. 4. tab. 30. ic. 39. (*a* Columm. *deprompta*).

Radix ex fibris fasciculatis, teretibus, crassiusculis, albescentibus. Collum valde crassum, fibrillis intertextis (nervis veterum foliorum) cinctum. Folia lanceolata vel linearia, juxta longitudinem nervosa, rigidula, integerrima, apice callosa, glabra aut villis raris, mollibus, longiusculis, subvillosa; radicalia infra medium attenuata, basi membranaceo-dilatata, se invicem caulemque vaginantia; caulina sparsa, vel unum alterumve ad caulis divisiones. Caulis tenuis, erectus, basi interdum subvillosus et substriatus, caeterum glaber, simplex (scapus) vel superne bifidus aut dichotomus, pauciflorus. Flores terminales. Petala lutea, obovato-cuneata, squama unguiculari tubuloso-ligulata. Sepala ovato-oblonga, patula, glabra, concava, purpurascentia, margine lutescentia. Carpelli ruguloso-reticulati, gibbo-obovati, margine scilicet altero gibbo, altero subrecto, stylo

brevi, crassiusculo, recurvo, in capitulum ovatum aggregati. Receptaculum glabrum.

Tota planta glaucescens.

In calcareis udis circa Laconi et in montanis pariter calcareis Tonneri d'Irgini: a 500. ad 100. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. a majo ad julium. ♃

Ital. *Ranuncolo angustifolio.*

Obs. Varietatem *Ranunculi graminei latifolium* qualem icones referunt Engl. bot. tab. 2306. (e planta culta fortasse deprompta) et Bull. Herb. tab. 123. et J. Bauh. Hist. 3. p. 866. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 471. ic. 3. ⁂ in Sardinia non vidi.

15. RANUNCULUS FICARIA

R. foliis petiolatis, cordatis, ovatis, repando-angulatis; caulibus procumbentibus; calice plerumque trisepalo; carpellis compressis, obtusis.

Ranunculus Ficaria. Linn. Sp. p. 774. Willd. Sp. 2. p. 1312.

Desf. Fl. atl. 1. p. 436. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 380. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 156. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 157. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 45. et Suppl. p. 184. Tenor. Fl. nap. 1. p. 313. et Syll. p. 273. Savi Fl. pis. 1. p. 25. et Bot. etr. 2. p. 120. All.! Fl. ped. 2. p. 48.

Ficaria ranunculoides. Moench. DC. Syst. 1. p. 304. et Prod. 1. p. 44.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 49. Presl Fl. sic. 1. p. 12. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 182. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 9. DC. Fl. fr. 4. p. 886. Lois. Fl. gall. 1. p. 391. Cambess. En. pl. balear. p. 22.

Ficaria verna. Huds. Angl. 244.

Ic. — Fl. dan. tab. 499. Bull. Herb. tab. 43.

Chelidonium minus. Fuchs. Hist. p. 867. ic. ⁂ Lob. Stirp. obs. p. 323. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 593. ic. 2. ✦ Dod. Pempt. p. 49. ic. ✦ Chabr. Sciagr. p. 484. ic. 4. ⁂ *mala.*

Scrophularia minor. J. Bauh. Hist. 3. p. 468. ic. ⁂ *mala.*

Ranunculus praecox, rotundifolius, asphodeli radice granulata. Moris. Hist. 2. sect. 4. tab. 30. ic. 45.

Radix ex fibris pluribus et tuberibus fasciculatis, aliis oblongis brevioribus, aliis teretiusculis longioribus. Folia longe petiolata,

crassiuscula, viridia, nitentia (subinde maculata), cordata, ovata, interdum suborbiculata vel reniformia, integra vel repando-angulata, nonnumquam crenata: petioli leviter sulcati, basi utrinque membranacei vaginantes et interdum bulbilliferi. Caules ex eodem caespite saepe plures crassi, foliati, simplices (scapi) vel ramosi. Flores solitarii, terminales. Sepàla tria vel raro quatuor-quinque, concava, ovata vel oblonga, plerumque obtusa. Petala 8-12, flava, nitida, oblongo-obovata vel frequentius elliptico-linearia, versus basim attenuata, pallescentia; squama nectarifera obtusa, subintegra. Styli nulli. Carpelli plurimi, irregulariter ovati, laeves, obtusi, subcompressi, in capitulum subrotundum dispositi.

Ad umbrosa humentiaque in campis, et in summis vallibus montis Genargentu: a 2. 3. ad 1700. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. hyeme et aestate. ♃

Ital. *Celidonia minore. Cenerognola minore. Favagello. Ficaria.*

Vern. m. *Erb 'e ranas.*

Species minus acris ac aliae congeneres. Folia cocta, edulia.

14. RANUNCULUS BULLATUS

R. foliis omnibus radicalibus, petiolatis, ovato-subrotundis ovalibusque, dentatis, subbullatis; scapis unifloris, pilosis; carpellis stylo tenui mucronatis, in capitulum ovatum oblongumve dispositis.

Ranunculus bullatus α. Linn. Sp. p. 774. Willd. Sp. 2. p. 1311. DC.! Syst. 1. p. 253. et Prod. 1. p. 27.

Desf. Fl. atl. 1. p. 435. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 65. Viv. Fl. cors. diagn. 1. p. 9. Bivon. Sic. cent. 1. p. 68. Presl Fl. sic. 1. p. 12. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 45. et Suppl. p. 184. Tenor. Fl. nap. 1. p. 312. DC. Fl. fr. 4. p. 903. Lois. Fl. gall. 1. p. 395.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 49.

Ranunculus grumosa radice 1. spec. 11. Clus. Hist. 1. p. 238. ic. 2. ✢

R. lusitanicus. Dod. Pempt. p. 429. ic. 1. ✢ Lob. Stirp. obs. p. 384. ic. ✢

R. autumnalis folio lato rotundo serrato. J. Bauh. Hist. 3. p. 867. ic. 1. ✢ Chabr. Sciagr. p. 471. ic. 1. ✢

R. latifolius autumnalis caule hirsuto flore minimo. Moris. Hist. sect. 4. tab. 31. ic. 51.✦ (*Icones omnes flore parvo, carpellis in capitulum ovatum dispositis*).

* *grandiflorus*, floribus majoribus. (*Icones ad hanc varietatem ab auctoribus allatae.* Clus. Hist. p. 238. ic. 1. Lob. Ic. tab. 673. ic. 1. J. Bauh. Hist. 3. p. 867. ic. 2. Chabr. Sciagr. p. 171. ic. 2. Moris. Hist. sect. et tab. cit. ic. 49. *pessimae: petala enim nimis acuta, folia nimis bullata, nervis longitudinalibus arcuatim et parallele conniventibus carentia*).

Radix ex fibris subteretibus, crassis, longis, plurimis, fasciculatis, inferne attenuatis, fibrillosis. Folia 3-6, in orbem humi jacentia, ovato-subrotunda vel ovalia, acutiuscula, pilosa aut interdum glabra, facie viridia, leviter vel neutiquam bullata, serrato-dentata, nervis 3-5, longitudinalibus parallelis, arcuatim conniventibus, basi in petiolum brevem attenuata. Scapus unicus vel, ex eadem radice, 3-5, erecti, nudi, uniflori, palmares, dodrantales, villis albis plerumque patentibus. Flores odori. Calicis sepala quinque, ovata vel ovato-oblonga, concava, obtusa, extus villosa. Petala quinque vel plura, obovata, obtusa, calicem plus minus superantia. Carpelli gibbo-obovati, interno nimirum latere rectiusculi (maturi neutiquam compressi nec reticulati), laeves vel, oculo armato, asperuli, stylo tenuissimo apice vix deflexo mucronati, in capitulum ovatum vel saepius oblongum aggregati. Rachis glabra.

In solo feraciori flores nonnumquam semipleni.

Secus vias et in incultis praesertim maritimis frequens.
Fl. ab octobri ad januarium. ♃

d. *Carpellis laevibus; foliis dissectis lobatisve.*

15. RANUNCULUS CHAEROPHYLLOS

R. radice grumosa; foliis radicalibus trisectis, segmentis semel aut bis tripartitis sectisve; primordialibus flabelliformibus, ovatis, dentatis vel trilobis; caule uni-paucifloro, oligophyllo; carpellis com-

pressis, punctatis, stylo lanceolato, scabriusculo acuminatis, in spicam ellipticam dispositis.

Ranunculus Chaerophyllos. DC.! Syst. 1. p. 254. (*excl. syn.* Col. Moris. et Tenor.) et Prod. 1. p. 27. Schlectend. Animadv. Ranunc. 1. p. 24.

Presl Fl. sic. 1. p. 12. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 267. et Fl. nap. 4. p. 343. Savi Bot. etr. 4. p. 124. Lois. Fl. gall. 1. p. 397.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

α. *vulgaris*, foliis fere omnibus trisectis, multifidis.

R. Chaerophyllos. Linn. Herbar. ex DC. Urv.! En. pl. archip. p. 61.

Ic. — Ranunculus tenuifolius luteus, grumosa radice sorractensis seu italicus Barr. ic. 581. non ColumN.

β. *flabellatus*, foliis primordialibus, ovatis cordatisve, inciso-dentatis dentatisve, flabelliformibus.

R. flabellatus. Desf. Fl. atl. 1. p. 438. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 383. et Fl. graec. vol. 6. p. 17. Urv. En. pl. archip. p. 61. Biv. Sic. cent. 1. p. 68. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 46. et Suppl. p. 184.

R. asiaticus. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 158.

Ic. — Desf. Fl. atl. tab. 114. Fl. graec. vol. 6. tab. 520.

— *caule pumilo unifloro.*

R. pedunculatus. Viv.! Fl. cors. diagn. 1. p. 8. Spr. Syst. 2. p. 652. Lois. Fl. gall. 1. p. 396.

* *paludosus*, adpressius breviusque pilosus.

R. paludosus. Poir. Dict. 6. p. 108.? Desf. Fl. atl. 1. p. 439.? DC. Syst. 1. p. 255. et Prod. 1. p. 27?

Radix ex tuberculis ovatis vel oblongis, plurimis, fasciculatis, in radiculam fibrosam inferne abeuntibus. Collum fibrillis siccis, intertextis obsitum. Caulis teres, solitarius, simplex vel superne ramoso-dichotomus, digitalis, cubitalis, 1-7 florus, adpresse molliterque una cum foliis pubescens aut villosus. Folia radicalia petiolata, primordialia ovata vel cordata, crenato-dentata vel triloba, raro integra, reliqua trisecta segmentis semel aut bis tripartitis, partitionibus oblongis aut lineari-lanceolatis, integris vel inciso-dentatis; folia caulina, interdum unum dumtaxat alterumve indivisum lineare, interdum

sed raro nulla, frequentius autem inferiora bi-tripartita, breviter petiolata aut vaginis petiolaribus insidentia, partitionibus linearibus, acutis, simplicibus divisisque, summa indivisa, sessilia. Flores terminales, flavi. Sepala ovato-oblonga, apice callosa, subpatentia. Petala obovato-cuneata. Carpelli compressi, punctati, ovati, marginati, stylo lanceolato, plano, scabriusculo, recto, apice saepius incurvo acuminati, in spicam ellipticam, compactam dispositi. Rachis glabra.

In pascuis praesertim collinis et in editis montis Genargentu, summisque jugis montis Linas; usque ad 1200-1300. metr. supra maris superficiem. Var. *paludosus* in pinguibus palustribus maritimis circa Porto-Giunco Carbonara, et in fertilibus humentibus Samassi.

Fl. ab aprili ad junium. ♃

Ital. *Ranuncolo garofanino.*

Obs. Ex synonimis a Linnaeo ad *R. Chaerophyllum* in Sp. pl. adductis alia spectant ad *R. Agerii* Bertol.: synonimon vero et icon Columnae pertinent ad *R. millefoliatum* Vahl. Diagnosis *Ranunculi Chaerophyllos* in Sp. pl. p. 780. cum nostra specie non congruit, utique vero *R. Chaerophyllos* Linn. Herbar. ex DC.

Var. *paludosus* non differt a var. *flabellato* nisi colore magis virente, pilis rigidioribus, paucioribus brevioribusque sic ut, nudo oculo, planta glabra se praebeat; sardoa illius specimina consentire videntur cum specimine *Ranunculi paludosi* Herbarii Desf. etsi valde gracili, prout in litt. me monuit praestantissimus Adrianus a Jussieu. Interea *R. paludosum* Poir. ad var. *R. Chaerophyllos*, *flabellati* dubitanter adduxi.

16. RANUNCULUS SCELERATUS

R. radice fibrosa; foliis inferioribus tripartitis, partitionibus inciso-crenatis, subtrifidis, superioribus tripartito-digitatis, floralibus summis lineari-oblongis indivisis, omnibus lobisque obtusis; petalis calicem vix superantibus; carpellis (minimis) ovato-subcompressis, immarginatis, brevissime mucronatis, in spicam ovato-ellipticam, fragiformem dense aggregatis.

Ranunculus sceleratus. Linn. Sp. p. 776. Willd. Sp. 2. p. 1315. DC.! Syst. 1. p. 268. et Prod. 1. p. 34.

Forsk. Fl. aegypt. p. lxviii. n.° 288. Delil. Fl. aegypt. ill. p. 92. Sibth. et

Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 381. Urv. En. pl. archip. p. 61. Presl Fl. sic. 1. p. 16. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 49. Tenor. Fl. nap. 1. p. 314. et Syll. p. 270. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 183. Savi Bot. etr. 4. p. 122. All.! Fl. ped. 2. p. 52. DC. Fl. fr. 4. p. 897. Lois. Fl. gall. 1. p. 395. Cambess. En. pl. balear. p. 31.

Soleirol ! Pl. exsicc. e Corsica.

R. sardous. Bell. ! Append. ad Fl. ped. p. 28. non Crantz.

Ic. — Fl. dan. tab. 571. Bull. Herb. tab. 47. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. tab. 295. *minus bona*. Iconogr. taurin. vol. 36. tab. 59.

Apium aquaticum. Trag. St. p. 93. ic.

Ranunculi secunda species. Fuchs. Hist. p. 159. ic. ✧

R. sylvestris. 1. Dod. Pempt. p. 426. ic. 2. ✦

R. palustris rotundiore folio. Lob. Obs. p. 382. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 669. ic. 1. ✦

R. palustris flore minimo. J. Bauh. Hist. 3. p. 858. ic. 1. ✧ Chabr. Sciagr. p. 467. ic. 2. ✧

Radix fibrosa. Caulis erectus, ramosus, striatus, valde foliosus. Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, basi subcordata vel truncata, ima trifida, reliqua tripartita, partitionibus obtusis inciso-crenatis, subtrifidis; caulina media sensim brevius petiolata, tenuius divisa et basi cuneata; superiora vaginis petiolaribus margine membranaceis et utrinque auriculatis insidentia, profundius tripartita, partitionibus lineari-oblongis, obtusis, subintegris vel interdum quasi pinnatifidis: floralia suprema angustius lineari-oblonga aut linearia indivisa. Flores plurimi, exigui, lutei. Sepala ovato-oblonga, concava, reflexa, extus pilosa. Petala flava, obovata, calicem vix superantia, glandula unguiculari excavata obovataque. Carpelli minimi, ovati, utrinque gibbi, oculo armato non perfecte laeves, immarginati, stylo brevissimo, tenuissimo mucronati, in spicam ovato-oblongam densissime aggregati. Receptaculum valde crassum, pilosum. Tota planta luteo-virens, oculo armato, pilosiuscula: glabram ut auctores tradunt non vidi. Variat caule gracili nano et crasso elatiori.

In fossis palustribusque; rara in Sardinia species.

Fl. ab aprili ad junium. ①

Ital. *Appio riso. Erba sardoa. Erba sardonia. Ranuncolo di palude. Ranuncolo palustre. Sardonia.* TARGIONI TOZZETTI Diz. bot.

Vern. m. *Erba de ranas.*

Obs. Sardoniam herbam veterum ad *Ranunculi* genus spectare complures auctores arbitrantur. DIOSCORIDES qui primus de ea scripsisse videtur, haec habet *lib.* 6. *cap.* 14.: « Sardonia Ranunculi herbae generi assignatur quae vescentibus mentem adimit et quadam nervorum distentione labia in rictum « contrahit, ut risus speciem praebeant, a qua quidem affectione, de sar- « donio risu adagium in vulgus infausto omine manavit. » *Lib.* autem 2. *cap.* 163.: « Complura (ait) ranunculi genera, vis tamen omnibus una, « acris et vehementer exulcerans. Nam unum Coriandri foliis constat etc..... « Alterum lanuginosius, longiori caule, pluribus foliorum incisuris, plerum- « que in Sardinia proveniens, quam acerrimum, quod *sylvestre Apium* ap- « pellant. » DIOSCORIDIS commentator GUALTHERUS H. RYFF postquam in notis ad DIOSCORID. (*edit. Francofort. an.* 1543.) *Ranunculi genus alterum lanuginosius* DIOSCORIDIS l. c., *Apium rusticum* cognominatum fuisse, Herbarios *Apium risus*, Historicos *sardoam* aut *sardoniam herbam* a Sardinia vocavisse animadvertit, p. 187. subdidit iconem quae *Ranunculum sceleratum* L. repraesentare videtur ad eamque *Ranunculi secundum genus* vel *genus alterum* seu *Sardoniam* DIOSCORIDIS retulit. *Apiastrum* de quo PLINIUS in *Hist. nat. lib.* 20. *n.°* 45., *Ranunculi genus alterum foliosius* et *Strumeam* ejusd. *Hist. nat. lib.* 25. *n.°* 109., *herbam sceleratam* APULEJI *cap.* 8., *herbam perniciosam Apio persimilem quam qui comederint ridentes emoriuntur* PAUSAN. *Phocic. sive lib.* 10. *cap.* 17., ad herbam sardoniam DIOSCORIDIS Auctores pariter retulere (RUELL. *de natur. stirp. lib.* 2. *p.* 564. J. BAUH. *Hist.* 3. *p.* 858.). Alii interea sardoniam herbam cum DIOSCORIDIS commentatore ad *Ranunculum sceleratum* (*Ranunculum sardoum* BELL. non CRANTZ) retulere (FUCHS. *Hist. cap.* 57. *p.* 155. 163. J. BAUH. *Hist. l. c.*), alii ad aliam *Ranunculi* speciem (TRAG. *Hist. lib.* 1. *cap.* 30. LOB. *Advers. p.* 299. BOCCON. *Mus. piant. rar. p.* 162.). ANGUILLARA stirpem *Apio palustri* similem sed tenuius incisis et pilosiusculis foliis pro *Ranunculo sardonico* habuit (ANGUILL. *Sempl. ed.* 1561. *parer.* 11. *p.* 178.). HALLERUS probabile sibi videri scribit (*Hist. stirp. Helvet.* 2. *p.* 75.) *Oenantem crocatam*, *herbae sardoae* nomen mereri : « Ea enim (ait) in vicina « Corsica inter milites gallos stragem edidit, ut in epistola ad me data cl. « VACHER retulit. » SPRENGELIUS in *Hist. rei herbariae* 1. *p.* 145. *et* 178. *sardoniam herbam* DIOSCORIDIS *l. c.* et VIRGILII *Ecl.* 7. ad *Ranunculum Philonotidem* RETZ (*Ranunculum hirsutum* AIT., *Ranunculum sardoum*

Crantz non Bell.) pertinere autumat. Hanc sententiam magis quam caeteras veritati proximam habet Fee in *Flor. Virgiliana p.* 65. ita tamen ut praeclarus Auctor ambigat ne prudentius sit consilium *herbam sardoam* ad *Ranunculi* dumtaxat genus nec ad ejus speciem revocare.

Arbitrari quidem licet ex iis quae Dioscorides tradit *herbam sardoam* ad *Ranunculos* spectare, haud tamen ad *Ranunculum sceleratum* L. qui tametsi foliis ad *Apium palustre* quadantenus accedat, rarus tamen in Sardinia, oculoque nudo glaber, oculo armato vix pilosiusculus est, proptereaque plane recedit a *Ranunculi genere altero lanuginosiore plerumque in Sardinia proveniente* Dioscorid. *l. c.* Frequens est in Sardinia *Ranunculus Philonotis* Retz; sed enim tales adducti non sunt neque a Dioscoride, neque a veteribus quibusque specifici characteres quibus *sardonia herba* vel ad *Ranunculum Philonotidem*, vel ad villosiorem lanuginosioremve alium aut ad aliam stirpem jure possit revocari, quamobrem ad quamnam ex descriptis nostra aetate plantarum speciebus *sardonia herba* veterum spectet, definire non licuerit. Praeclarus Sardiniae historicus J. F. Fara postquam in Chorographia Sardiniae *lib.* 1. *p.* 27. (J. F. Farae *de Chorographia Sardiniae ed.* A. Cibrario Eq. *ad* A. Lascaris March. *Taurin.* 1835. — Opus jampridem ab Auctore exaratum nuperque typis absolute editum) *sardoniae herbae* graves effectus ex Dioscoride, Pausania, Solino aliisque veteribus adduxit; *sardoam* nimirum mentem vescentibus adimere, labiaque contracta risus speciem praebere, « id (scribit) hac nostra aetate morte duorum nulvensium qui eam « comederint herbam (*sardoam*) comprobatum fuit ». Equidem nomina stirpium vernacula earumque proprietates in Sardinia perquirens, *Ranunculi* quasdam species promiscue *Ranunculu* et *Apiu burdu* (Apium spurium) vernaculo septentrionali nominatas accepi (vernaculo meridionali *Apiu burdu* est Apium graveolens *sylvestre*), nusquam vero inveni, vel inventam ab accolis accepi stirpem quae *sardoa, sardonia, sardonica* aut *Apium risus* appellaretur, quaeve vescentibus mentem adimendo et quadam nervorum distensione in rictus dehiscere ora cogendo, sardonii risus imaginem, ut veteres scripserunt, praebere traderetur.

Num vero sardonius risus, cujus decem circiter saecula ante Dioscoridem jam meminerat Homerus, a *sardonia herba* aut aliam plane diversam originem habuerit, in quaestionem res venit quam praeclare viri eruditi agitaverunt (Cav. D. Giuseppe Manno *Storia di Sardegna* 1. *p.* 311. et seq. — Cav. D. Giovanni Maria Mameli de Mannelli *Carta de logu, traduzione, p.* 134. 135. in notis. — D. Lodovic. Baille *Dissert. ined.*). Veteres non omnes *herbae sardoniae* sed alii aliam sardonio risui originem jamdiu adscripserant (Ruell. *de natur. stirp. lib.* 2. *cap.* 106.).

17. RANUNCULUS ACONITIFOLIUS

R. radice fasciculata; foliis palmatim omnibus 3-5 partitis, inciso-serratis, superioribus sessilibus; bracteis lineari-lanceolatis; caule erecto; calice adpresso; petalorum squama nectarifera longa; carpellis venosis, subuncinatis.

Ranunculus aconitifolius. Linn. Sp. p. 776. Willd. Sp. 2. p. 1315. DC.! Syst. 1. p. 240. et Prod. 1. p. 31.

Tenor. Fl. nap. 1. p. 342. et Syll. p. 266. Savi Bot. etr. 4. p. 122. All.! Fl. ped. 2. p. 49. DC. Fl. fr. 4. p. 890. Lois. Fl. gall. 1. p. 392.
R. platanifolius. Linn. Mant. p. 79. Willd. Sp. 2. p. 1316.

Bell.! Append. ad Fl. ped. p. 30.

Ic. — Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 71.
Ranunculus albus flore simplici. Lob. Obs. p. 381. ic. 2.✢ et Icon. tab. 668. ic. 1.✢
R. flore albo. Dod. Pempt. p. 429. ic. 2.✢
R. flore albo, alpinus major. J. Bauh. Hist. 3. p. 860. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 468. ic. 1. ⁂

Radix ex fibris teretibus, crassiusculis, longis, inferne fibrillosis. Caules uni-bipedales, plerumque ramosi (nonnullos simplices vidi), teretes, laeves, villis sparsis raris. Folia glabra, vel margine et juxta nervos subvillosa, tri-quinquepartita, partitionibus inciso-serratis, ovatis vel ovato-lanceolatis, basi cuneiformibus, intermediis nonnumquam trifidis, lateralibus bifidis; radicalia et caulina inferiora petiolata, superiora sessilia partitionibus lanceolato-acuminatis. Bracteae lineari-lanceolatae, integrae. Pedunculi axillares et terminales, graciles et longiusculi. Sepala ovata, concava, adpressa, extus pilosiuscula, albido-rosea, cito decidua. Petala alba, obovata vel oblonga, calicem duplo et ultra superantia, squamula unguiculari lineari-lanceolata longaque. Antherae luteolae. Carpelli in capitulum subrotundum aggregati, ovato-semiorbiculati, radiatim a basi ad apicem venosi, utrinque convexiusculi: stylo in junioribus subcircinato, mox apice leviter uncinato, interdum omnino mutici (vidi, in pedemontanis speciminibus, in eodem capitulo alios carpellos muticos, alios stylo uncinatos: in eademque planta capitula

carpellis muticis, aliaque carpellis stylo uncinatis). Receptaculum pilosum.

Juxta rivulum infra *Bruncu de spina* in edito monte Genargentu, 1700 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio julio. ♃

Ital. *Piè di cornacchia.*

Obs. Plurimis collatis speciminibus, *Ranunculus aconitifolius* noster florum amplitudine pertinet ad *R. platanifolium* Willd. l. c., foliis autem profunde partitis aliisque ad *R. aconitifolium* Willd. l. c. accedit: medius igitur inter utrumque.

18. RANUNCULUS BALBISII

R. radice fasciculata; foliis radicalibus cordato-orbiculatis, trilobis, lobis late crenatis, rotundatis obtusisve; caulibus gracilibus, oligophyllis; calice reflexo; carpellis laevissimis, compressis, uncinatis.

Ranunculus cymbalarifolius. Balb. in litt. Moris Stirp. sard. El. fasc. 1. p. 2. Spr. Anton. Tent. suppl. p. 15. n.° 53.

Ic. — Tab. 1.

Radix ex fibris cylindricis, rectis, albescentibus, fasciculatis, inferne attenuatis fibrillosis; collum cinctum petiolis vaginantibus veterum foliorum. Caules ex eadem radice unicus vel plures, filiformes vel saltem valde graciles, vix striati, erecti vel ascendentes, spithamaei, pedales sesquipedales, simplices vel ramosi, parce foliosi. Folia radicalia, crassiuscula, petiolata, cordato-orbiculata, 6-12 lineas longa totidemque lata, facie viridia nitentiaque, subtus pallescentia, triloba, lobis late crenatis, rotundatis, rarissime ovatis: petioli ascendentes vel erecti, inaequales, tenues, superne canaliculati, basi in vaginam membranaceam dilatati, se invicem caulemque vaginantes: folia caulina vix ulla, exigua, ad ramorum divisiones vel sparsa, ex inferioribus unum raro trilobum, petiolatum, lobis crenatis, caetera tripartita, basi instar petioli vaginantis attenuata, partitionibus lineari-lanceolatis, superiora sessilia, indivisa, lineari-lanceolata, nonnumquam omnia indivisa. Flores terminales pedunculis filiformibus, longis. Sepala 5, ovato-oblonga, apice obtusiuscula, extus pilosa, lutescentia, interdum purpurascentia,

petalis paullo breviora, reflexa. Petala 5, obovata, integra, flava, nitida, ad unguem virescentia; squamula unguiculari lutea, subcrenulata, extus gibba, intus leviter concava. Carpelli suborbiculati, laevissimi, compressi, margine sulcati, stylo tenui, brevi, uncinati, in capitulum sphaericum aggregati. Receptaculum pilosum.

Tota planta adpresse pilosa, foliorum pagina superiore interdum glabra.

In pascuis editis, humidis juxtaque rivulos in monte Genargentu: in calcareis collinis humentibus circa Jerzu et circa Laconi: inter 450. et 1600. circiter metr. supra maris superficiem.

Fl. a majo ad julium. ♃

Obs. Ranunculus cymbalarifolius Herbar. Balbis e Corsica, est alia species.

19. RANUNCULUS VELUTINUS

R. radice fibroso-fasciculata; foliis holosericeis, inferioribus cordatis, tripartitis, partitionibus crenato-dentatis, incisis subtrifidisve; caule multifloro; carpellis laevibus, compressis, demum immarginatis, stylo subnullo brevissimove, recto.

Ranunculus velutinus. Tenor. Ind. sem. H. R. neap. 1825, *in notis*, p. 11. Fl. nap. Prod. Append. V. p. 17. Fl. neap. Syll. p. 272. et Fl. nap. 4. p. 350. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 50. et Suppl. p. 185.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 147.

Radix ex fibris teretibus, crassiusculis; collum cinctum veteribus petiolis exsiccatis. Caulis pedalis-sesquipedalis, erectus, ramosus. Folia radicalia cordato-ovata, petiolata, tripartita vel trifida, utrinque dense molliterque villosa, lobis cuneiformibus, obovatis, obtusis, crenato-dentatis incisisque, seu medio interdum trifido, lateralibus subbifidis: folia caulina inferiora sensim brevius petiolata, radicalibus consimilia, lobis autem acutiusculis; superiora vaginis petiolaribus insidentia bi-tripartita, partitionibus lineari-lanceolatis; summa exigua, bracteaeformia, lineari-lanceolata, integra, sessilia. Flores terminales, solitarii, pedunculis di-trichotomis, subcorymbosis. Calicis sepala reflexa, oblonga, intus lutea, extus pallida atque pu-

bescentia. Petala obovata, lutea, calice duplo longiora. Carpelli ovati vel suborbiculati, compressi, laevissimi, vix aut neutiquam marginati, stylo recto, brevissimo, apud nos, terminati subindeve aliquot mutici, in capitulum rotundum aggregati. Rachis pilosiuscula.

Planta molliter villoso-pubescens, pilis in sicco rufescentibus, petiolorum caulinisque inferioribus patentibus, superioribus adpressis.

In humidis montanis.

Fl. ab aprili ad junium. ♃

Obs. Ranunculi constantinopolitani Urv. specimina in Herbar. DC., *Ranunculo velutino* similia ob villos morbidos confertosque, carpellis vero uncinatis et receptaculo glabro ad *R. lanuginosum* spectant.

20. RANUNCULUS MONTANUS major

R. radice obliqua, fibris crassiusculis; foliis pilosiusculis, inferioribus cordatis, tripartitis, partitionibus inciso-dentatis subtrifidisve; carpellis plano-compressis, laevibus, stylo arcte revoluto uncinatis; receptaculo glabro.

Ranunculus montanus c. *major*. Schlectend. Animadv. 2. p. 20.

R. nivalis *var*. All. Fl. ped. 1. p. 51. et Herbar. non Linn.

Ic. — Ranunculus nivalis. Jacq. Fl. austr. t. 325.

Radix crassa, obliqua, fibras agens recte descendentes. Collum fibrillis cinctum. Caulis erectus, ex ipsa basi vel superne ramosus, inferne patentim, ultra medium adpresse pubescens, substriatus, tri-sexflorus. Folia radicalia caulinumque infimum petiolata, cordato-suborbiculata, adpresse pilosiuscula, tripartita, partitionibus subovatis, basi cuneiformibus, apice obtusis vel acutiusculis, inciso-dentatis, lateralibus plerumque bilobis, intermedia subtriloba, vel indivisa: folium caulinum medium brevissime petiolatum, basi truncatum cuneatumve, inciso-dentatum trilobumque; summa sessilia bi-tripartita, partitionibus integris, lineari-lanceolatis: petioli patentim pubescentes, basi, congenerum more, in vaginam dilatati. Flores terminales, solitarii, majusculi. Calix patulus, patentim villosus. Petala calice duplo longiora, obovata, subintegra, aureo-splendentia,

basi aurantiaca; squama unguiculari obtusa. Carpelli compressi, suborbiculati, marginati, laevissimi, stylo tenui, longiusculo, arcte revoluto insigniter uncinati, in capitulum rotundum aggregati. Receptaculum omnino glabrum.

In pascuis umbrosis humidis editarum vallium montis Genargentu.

Fl. junio julioque. ♃

Obs. Ranunculus montanus noster, habitu quammaxime accedit ad *Ranunculum nemorosum β. pauciflorum* DC.! Syst. et Prod. qui ad *Ranunculum breyninum* CRANTZ a SPRENGELIO refertur; sed noster differt caule superne adpresse pubescente, pedunculis vix ac ne vix quidem striatis, foliis caulinis inferioribus petiolatis, receptaculo glaberrimo, quod in speciminibus quae habeo, et vidi in Herbar. DC. *Ranunculi nemorosi β.* DC., pilosum est, ut de *Ranunculo* suo *breynino* tradit CRANTZ Fl. austr. 2. p. 91. tab. 4. ic. 2., atque perbelle expressit claris. REICHENBACHIUS in Pl. crit. Cent. 2. ic. 262. Memorata autem JACQUINI icon quam ad *R. montanum* refert laudatque praestantiss. DECANDOLLEUS, plantam nostram optime repraesentat.

21. RANUNCULUS BULBOSUS

R. radice fasciculata; foliis radicalibus tripartitis, partitionibus inciso-dentatis, intermedia subpetiolulata, trifida, lateralibus bifidis; caule ad collum bulbiformi; calice reflexo; carpellis laevissimis, planis, stylo apice incurvo acuminatis.

Ranunculus bulbosus. LINN. Sp. p. 778. non Herbar. WILLD. Sp. 2. p. 1324. DC.! Syst. 1. p. 295. et Prod. 1. p. 41.

DESF. Fl. atl. 1. p. 439. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 382. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 273. et Fl. nap. 4. p. 351. A. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 183. SAVI Fl. pis. 2. p. 26. et Bot. etr. 4. p. 123. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 157. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 8. ALL.! Fl. ped. 2. p. 51. DC. Fl. fr. 4. p. 901. LOIS. Fl. gall. 1. p. 396.

Ic. — Fl. dan. tab. 551. BULL. Herb. tab. 27. Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 74.

Crus galli. BRUNF. Herbar. 1. p. 125. ic.

Ranunculi tertia species. FUCHS. Hist. p. 160. ic. ✧

Ranunculus V. MATH. Valgr. ed. ann. 1565. p. 614. ic.?

R. tuberosus. DOD. Pempt. p. 431. ic. 1. ✦ MORIS. Hist. sect. 4. tab. 28. ic. 19. *mala.*

R. bulbosus. Lob. Obs. p. 380. ic. 3. ✢ et Ic. tab. 667. ic. 1. ✢
R. tuberosus major. J. Bauh. Hist. 3. p. 417. ic. 4. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 466. ic. 2. ⁂
(*In iconibus* Morisoni , J. Bauhini *et* Chabraei *flores exiguiores.*)

Radix fasciculata. Caulis ad collum bulbiformis , uni-bipedalis , ramoso-dichotomus , foliosus, erectus, teres. Folia radicalia tripartita, partitionibus lateralibus bifidis (apud nos), sessilibus, intermedia trifida, et plerumque petiolulata, omnibus plus minusve inciso-dentatis; caulina infima tripartita , partitionibus inciso-dentatis, sessilibus; superiora vaginis petiolaribus insidentia, lineari-bi-tripartita. Flores terminales, solitarii: pedunculi sulcati. Petala late obovato-cuneata; glandula unguiculari rotundato-cuneiformi, limbo crenato: sepala ovata, concava, extus pilosa, reflexa. Carpelli orbiculati, superficie utraque plani , laevissimi, juxta marginem utrinque canaliculati, stylo apice incurvo acuminati, in capitulum rotundum aggregati. Rachis hirsuta.

Tota planta plus minusve pilosa vel hirsuta.

In humidis udisque sylvestribus Laconi , Arizzo.
Fl. ab aprili ad julium. ♃
Ital. *Ranuncolo bulboso.*

Planta recens cuti admota caustica vesicansve : farina aliisque admixta mures enecat.

22. RANUNCULUS PALUSTRIS

R. radice fasciculata; foliis radicalibus cordatis, suborbiculatis caulinisque inferioribus tripartitis, partitionibus crenato-dentatis, subtrifidis, incisis; caule superne di-trichotomo; calicibus subdeflexis; carpellis plano-compressis, laevibus, stylo rectiusculo, tetraquetro , brevi.

Ranunculus palustris. Linn. mss. Smith. in Rees. cycl. n.° 52. ex DC. Syst. 1. p. 294. et Prod. 1. p. 41. Lois. Fl. gall. 1. p. 397.
R. corsicus. DC.! Fl. fr. 5. p. 637. Viv. Fl. cors. diagn. 1. p. 8.

Radix fasciculata. Collum valde crassum, veteribus petiolis exsiccatis cinctum. Folia utrinque pilosa, radicalia longe petiolata, or-

biculata cordataque, tripartita, partitionibus latis, obovato-cuneatis, obtusis, late crenato-dentatis incisisque: folia caulina inferiora, radicalium valde similia, tripartita vel trifida, sensim brevius petiolata, lobis minoribus, acutius inciso-dentatis; superiora lineari-tripartita; summa linearia, indivisa. Caulis sesquipedalis, bipedalis, teres, striatus, ramosus, multiflorus, pilosus, pilis petiolorum caulinisque inferioribus deflexo-patulis, caulinis mediis patentibus, superioribus adpressis. Pedunculi teretes, di-trichotomi. Sepala ovato-oblonga, lutescentia, concava, patula, extus villosa, demum deflexa. Petala late obovata calice duplo triplove longiora. Carpelli plano-compressi, marginati, punctulis (oculo armato) impressis obsiti, caeterum etiam juniores laevissimi, nec tuberculati, stylo rectiusculo, tetraquetro, brevi, in capitulum sphaericum aggregati. Rachis pilosa.

In sylvestribus humentibus palustribusque.

Fl. majo, julio. ♃

Vern. m. *Erba de ranas.* — Vern. s. *Ranunculu. Apiu burdu.*

Obs. Variat caule, ubi radix profundior stet, inferne glabro et foliis radicalibus longius petiolatis. *R. obtusifolius* Hornem. ex Herbarii speciminibus ad nostrum *R. palustrem* spectare videtur.

23. RANUNCULUS PROCERUS

R. radice fasciculata; foliis inferioribus cordatis, tripartitis, partitionibus crenato-dentatis, subtrifidis, incisis; caule superne di-trichotomo; calicibus subdeflexis; carpellis plano-compressis, tuberculato-setigeris; stylo rectiusculo, tetraquetro, brevi.

Ranunculus procerus. Moris in Memor. Accad. sc. di Tor. vol. 38. p. xxxii.
Ic. — Tab. ii.

Habitus praecedentis a quo potissimum differt carpellis etiam junioribus tuberculato-setigeris. Num varietas?

In sylvestribus montanis humentibus Arizzo et vallium Genargentu.

Fl. majo, julio. ♃

Obs. Ranunculum procerum ad *R. palustrem* habitu valde accedentem num ad hujus varietatem referrem in ambiguo fui. Sed enim illius carpelli etiam juniores tuberculis setigeris undique obsiti sunt: atque *Ranunculi palustris*

lecta complura specimina, omnino laeves carpellos mihi praebuerunt, nec ullos quibus ab ipso ad *R. procerum* gradus fieret, perinde ac de illis *R. Philonotidis* videre est. Quod si gradus inter utramque stirpem, ratione tuberculorum in carpellis, deprehendantur, caeteros characteres tales non fore dubito qui species per se valeant discriminari.

e. *Carpellis tuberculatis muricatisve; foliis dissectis lobatisve.*

24. RANUNCULUS PHILONOTIS

R. foliis radicalibus caulinisque infimis crenatis, cordato-subrotundis, subtrilobis, superioribus tripartitis trisectisve; calice petalis obovato-cuneatis subduplo breviore, demum reflexo; carpellis in capitulum subrotundum aggregatis, tuberculatis laeviusculisve, stylo brevi.

Ranunculus Philonotis. Retz. Obs. bot. p. 31. Willd. Sp. 2. p. 1324. DC.! Syst. 1. p. 297. et Prod. 1. p. 41.

Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 157. Presl Fl. sic. 1. p. 18. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 54. et Suppl. p. 186. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 273. et Fl. nap. 4. p. 351. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 183. Savi Bot. etr. 4. p. 125. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 9. DC. Fl. fr. 4. p. 901. Lois. Fl. gall. 1. p. 397. *excl. var. γ.*

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

R. agrarius. All.! Auct. ad Fl. ped. p. 27.

R. sardous. Crantz. Fl. austr. p. 84. non Bellard.

R. hirsutus. Ait. H. Kew. ed. 1. v. 2. p. 268. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 382. Biv. Sic. cent. 2. p. 48.

Ic. — Engl. bot. tab. 1504. *planta luxurians.*

Ranunculus II. Math. Valgr. p. 611. ic.?

Ranunculus rectus, foliis secundioribus hirsutis. J. Bauh. Hist. 3. p. 417. ic. 3.? ⁂

Chabr. Sciagr. p. 466. ic.? ⁂

— *caule erecto, gracili, uni-bifloro.*

R. parvulus. Linn. Mant. p. 79. Willd. Sp. 2. p. 1328.

R. Philonotis *parvulus.* Cambess. En. pl. balear. p. 31.

Ic. — R. minimus, apulus. Column. Ecphr. t. 316. ✦

R. parvo folio trifido. Moris. Hist. sect. 4. tab. 28. ic. 20. ✦

β. *lucidus*, foliis lucidis, plerisque aut infimis glabris; carpellis laevibus pareeve granulatis.

R. angulatus. PRESL. Delic. prag. 1. p. 7. et Fl. sic. 1. p. 16. SPRENG. Syst. veg. 4. part. 2. p. 219. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 51.

Ic. — Fl. dan. tab. 1459.

γ. *diffusus*, carpellis tuberculatis; pedunculis fere radicalibus, caulibusve decumbentibus prostratisve, brevibus.

R. cordigerus. VIV.! Fl. cors. diagn. 1. p. 8. et Append. 1. p. 2. SPR. Syst. 2. p. 657. LOIS. Fl. gall. 1. p. 398.

R. Philonotis δ cordigerus. DUBY. Bot. gall. 2. in addend. et emend. p. 1022.

Ic. — R. alpinus, Tribuli aquatici foliis. BOCC. Mus. p. 162. tab. 124.

Radix fibrosa. Caulis striatus, plerumque ramosus, erectusque pedalis sesquidepalis, in γ decumbens vel prostratus sicque saepe brevis ut pedunculi fere radicales. Folia radicalia petiolata, suborbiculata, crenata, saepe cordata et plus minusve triloba, lobis obtusis, caulina inferiora radicalibus plerumque similia, superiora tripartita trisectave, partitionibus aut segmentis inciso-dentatis, trifidis, basi cuneiformibus intermedio aut omnibus nonnumquam petiolulatis: folia summa lineari-bi-tripartita aut secta, sessilia aut vaginae petiolari brevissimae insidentia. Pedunculi striati. Sepala ovato-acuta, reflexa. Petala obovata aut obcordata, lutea, crenulata, calicem duplo circiter superantia; squama unguiculari obovato-cuneata, crenulata. Carpelli plano-compressi, obovato-orbiculati, marginati, granulato-tuberculati, raro laeves, stylo plerumque subconico et inflexo brevi mucronati, in capitulum subrotundum dispositi. Rachis pilosa.

Ad vias in pascuis et in fossis, omnium ejusdem generis vulgatissimus. Varietas *lucidus* in umbrosis montanis.

Fl. aprili, junio. ①

Vern. m. *Erba de ranas*. — Vern. s. *Ranunculu. Apiu burdu.*

Obs. Species multiformis variat modo glabriuscula, modo plus minusve pubescens, pube patula vel adpressa; foliis interdum omnibus trisectis; variat insuper carpellis modo facie utraque undique tuberculatis, modo seriem tuberculorum unicam juxta marginem gerentibus, modo tuberculis vix ullis

sparsis, vel fere obsoletis, modo nullis. Specimina quaedam, facie accedunt ad *Ranunculi trilobi* iconem DESF. Fl. atl. tab. 113., hucque fortasse spectant *R. Philonotis δ. trilobus* CAMBESS. En. pl. balear. p. 32. et *R. Philonotis γ. trilobus* LOIS. Fl. gall. 1. p. 398.: sed enim *R. trilobus* DESF. a *R. Philonotide* plane alienus.

25. RANUNCULUS TRILOBUS

R. foliis primordialibus subovatis, crenatis, caeteris trisectis, segmentis inciso-dentatis pinnatifidisve; calice petala oblonga subaequante, demum reflexo; carpellis in capitulum ovatum aggregatis, tuberculatis, stylo brevi.

Ranunculus trilobus. DESF.! Fl. atl. 1. p. 437. WILLD. Sp. 2. p. 1315. DC. Syst. 1. p. 301. (*excl. syn.* TENOR.) et Prod. 1. p. 42.

VIV. Fl. cors. diagn. 1. p. 9. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 380. PRESL Fl. sic. 1. p. 19., *excl. syn.* R. Rosani. TENOR. CUP. et BON., ex GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 55. et Suppl. p. 186. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 273. et Fl. nap. 4. p. 353.

Ic. — DESF. Fl. atl. tab. 113. (*stylo tenuiore et rectiore*).

Petalis minimis calicem subaequantibus, oblongis, numquam obovatis nec obcordatis a praecedente constantissime differt. Carpelli semper tuberculati, numquam laeves aut laeviusculi, in capitulum ut plurimum ovatum nec subrotundum aggregati.

Planta glabra aut parce pilosa, foliorum facie quadantenus prima fronte accedens ad Ranunculum sceleratum.

In fossis et in pascuis udis maritimis.

Fl. aprili, majo. (1)

Vern. m. *Erba de ranas.* — Vern. s. *Ranunculu. Apiu burdu.*

26. RANUNCULUS PARVIFLORUS

R. molliter villosus, foliis cordatis, orbiculatis, crenato-dentatis, tri-quinquelobis; caulibus decumbentibus prostratisve; calice petala

oblonga aequante, demum reflexo; carpellis compressis, tuberculato-setuligeris, stylo apice rostrato acuminatis.

Ranunculus parviflorus. LINN. Sp. p. 780. WILLD. Sp. 2. p. 1329. DC. Syst. 1. p. 300. et Prod. 1. p. 42.

DE BUCH Catal. pl. canar. in archiv. Bot. 1. p. 499. DESF. Fl. atl. 1. p. 441. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 384. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 159. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 273. et Fl. nap. 4. p. 353. GUSS. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 187. SAVI Fl. pis. 2. p. 28. et Bot. etr. 4. p. 126. ALL.! Fl. ped. 2. p. 53. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 9. DC. Fl. fr. 4. p. 902. LOIS. Fl. gall. 1. p. 398.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. vol. 2. tab. 120. Iconogr. taurin. vol. 23. tab. 22. et vol. 24. tab. 65.

Ranunculus hirsutus flore omnium minimo, luteo. MORIS. Hist. sect. 4. tab. 28. ic. 21. (*foliorum dentes lobique acutiores quam in nostro*).

Radix fibrosa. Caules debiles, prostrati vel decumbentes, ramosi. Folia cordato-orbiculata, nonnulla interdum peltata vel reniformia, rarissime basi truncato-cuneata, late crenato-dentata atque plus minusve lobata: radicalia et caulina inferiora longius petiolata, lobis obtusis, caetera brevius petiolata lobis paucioribus, profundioribus, acutiusculis; summa oblonga, integra: petioli basi in vaginam membranaceo-scariosam dilatati. Pedunculi oppositifolii, solitarii, uniflori, breves, post anthesim incrassati, divaricati. Flores exigui, lutei. Sepala ovata, demum reflexa. Petala oblonga, basi attenuata; squamula unguiculari, lineari-truncata. Stamina pauca. Carpelli subovati, compressi, marginati, granuloso-tuberculati, tuberculis apice setula brevi incurva terminatis, stylo lanceolato apice uncinato, in capitulum depressum aggregati. Receptaculum glabrum.

Tota planta molliter villosa.

In palustribus vel humentibus umbrosis frequens.

Fl. aprili, junio. ①

27. RANUNCULUS MURICATUS

R. foliis crenato-dentatis, trilobis, glabris, basi cordatis truncatisve, inferioribus suborbiculatis; caule erecto aut diffuso; calice

patulo, petala oblonga subaequante; carpellis compressis, tuberculato-aculeatis, stylo apice subinflexo acuminatis.

Ranunculus muricatus. LINN. Sp. p. 780. WILLD. Sp. 2. p. 1329. DC.! Syst. 1. p. 298. (*excl. syn.* Bocc.) et Prod. 1. p. 42. α et β.

DE BUCH Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 499. DESF. Fl. atl. 1. p. 440. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 65. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 384. et Fl. graec. 6. p. 18. (*excl. syn.* BOCCON.) CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 159. PRESL Fl. sic. 1. p. 19. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 56. et Suppl. p. 187. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 273. et Fl. nap. 4. p. 352. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 184. SAVI Fl. pis. 2. p. 28. et Bot. etr. 4. p. 126. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 9. ALL.! Fl. ped. 2. p. 53. DC. Fl. fr. 4. p. 902. LOIS. Fl. gall. 1. p. 398. CAMBESS. En. pl. balear. p. 13.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — LAMCK. Ill. gen. tab. 498. ic. 2. SIBTH. et SM. Fl. graec. tab. 522. (*planta in statu pumilo*). GAERTN. Fruct. 1. tab. 74. ic. 4.

Ranunculus palustris, echinatus. J. BAUH. Hist. 3. p. 858. ic. 2. ✦ CHABR. Sciagr. p. 467. ic. 4. ✦

R. echinatus, stellatus, creticus. MORIS. Hist. sect. 4. t. 29. ic. 24. ✦

Radix fibrosa. Caules erecti aut diffusi, ramosi. Folia petiolata, crenato-dentata, viridia, nitentia, saepius triloba, lobis obtusis plus minusve profundis, basi cuneatis: radicalia plerumque cordata, caetera basi saepe truncata vel cuneata, petiolis in vaginam membranaceo-scariosam, latiusculam, semi-amplexicaulem, nonnumquam ciliatam, basi dilatatis. Pedunculi oppositifolii, solitarii, uniflori, fructiferi incrassati, ascendentes aut divergentes. Sepala ovato-oblonga, pilosa, pilis raris, rigidulis. Petala elliptico-oblonga, lutea, basi attenuata, calicem subaequantia, vel saepius paullo longiora; squamula unguiculari, subovata, crenulata. Carpelli subovati, plano-compressi, marginati, tuberculato-aculeati, stylo lanceolato apice vix inflexo acuminati, in capitulum depressum aggregati. Receptaculum pilosum.

Planta glabra vel pilis raris, sparsis obsita; carpellis tuberculato-aculeatis, receptaculo piloso caeterisque a praecedente differt.

In humidis palustribusque Sardiniae et insulae Asinara.
Fl. aprili, junio. ①
Ital. *Ranuncolo salvatico. Sedano salvatico. Piè corvino. Piè di gallo.*
Vern. s. *Ranunculu. Sonnu grassu.*

28. RANUNCULUS ARVENSIS

R. foliis radicalibus tripartitis, primordialibus indivisis, apice dentatis, caulinis tripartito-multifidis, laciniis lineari-lanceolatis; caule erecto, ramoso; calice patente; petalis obovatis; carpellis longe aculeatis, stylo recto, apice uncinato.

Ranunculus arvensis. Linn. Sp. p. 780. Willd. Sp. 2. p. 1329. DC.! Syst. 1. p. 297. et Prod. 1. p. 41.

Desf. Fl. atl. 1. p. 440. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 65. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 384. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 158. Presl Fl. sic. 1. p. 18. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 56. et Suppl. p. 187. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 273. et Fl. nap. 4. p. 352. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 184. Savi Fl. pis. 2. p. 27. et Bot. etr. 4. p. 125. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 9. All.! Fl. ped. 2. p. 53. DC. Fl. fr. 4. p. 902. Lois. Fl. gall. 1. p. 398.

Ic. — Fl. dan. tab. 219. Engl. bot. tab. 135. Bull. Herb. tab. 117. Brugnone Act. Acad. taurin. an. 1788-89. vol. 4. tab. 3.
Ranunculi hortensis simplicis prima species. Fuchs. Hist. p. 157. ic. ⁂
R. sylvestris III. Dod. Pempt. p. 427. ic. 2. ✦
Pratensis Ranunculi varietas. Lob. Obs. p. 380. ic. 1. ✦
R. arvorum. Lob. Icon. tab. 665. ic. 2. ✦
R. arvensis echinatus. J. Bauh. Hist. 3. p. 859. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 467. ic. 5. ⁂
R. echinatus arvensis seu nostras. Moris. Hist. sect. 4. tab. 29. ic. 23. ✦

Radix fibrosa. Caulis erectus, pedalis sesquipedalis, ramosus. Folia inferiora petiolata, superiora sessilia, primordialia obovato-cuneata, apice dentata vel incisa, radicalia caetera tripartita, partitionibus dentatis, incisis, rarius multifidis, caulina tripartito-multifida laciniis lineari-lanceolatis: petioli more congenerum basi in vaginam margine saepius ciliatam dilatati. Pedunculi solitarii, uniflori, graciliores quam in duobus praecedentibus, oppositifolii folioque saepe longiores, raro aliquot aequales. Sepala oblonga, lutescentia, extus pilosa.

Petala obovata, citrina, calice parum longiora; squama unguiculari, ovata, subintegra. Carpelli 5-7, magni, compressi, obovati, utraque facie tuberculati et aculeati, aculeis inaequalibus, rectis, apice uncinatis, marginalibus robustioribus longioribusque, stylo longo, recto, apice uncinato. Receptaculum pilosum.

Planta inferne saepius glabra, superne pilis raris adpresse pilosa.

Inter segetes frequens.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Ranuncolo campereccio.*

Species valde venenata. Equi, boves et praesertim arietes ipsa interdum vescuntur, unde venenati effectus ipsaque mors; ex Brugnone, Act. Acad. taurin. vol. cit. p. 89.

† RANUNCULUS INSULARIS

Ranunculus insularis. Viv. Fl. cors. append. 1. p. 2.

« R. hirsutus; radice fasciculato-tuberosa; foliis radicalibus tripartitis, laciniis lateralibus bisectis, sessilibus, incisis, media pedicellata, tripartita, laciniis bifidis trifidisque; caulinis trifidis, petiolo amplexicaule; calicibus patulis, ovato-acutis, pilis adpressis tectis. »

In montibus Corsicae et Sardiniae borealis Tempio. Viv. l. c.

SECTIO II.

CAPSULARES

Carpelli polyspermi, interno latere seminifero dehiscentes, liberi aut plus minusve coaliti: seminibus gemino ordine dispositis.

A. Carpellis siccis; petalis tubulosis, bilabiatis aut difformibus.

VI. HELLEBORUS

Helleborus. Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 956. Juss. Gen. p. 233. DC. Syst. 1. p. 315. et Prod. 1. p. 46. Tourn. Inst. tab. 144. Gaertn. Fruct. 1. tab. 65. Lmck. Ill. tab. 499.

Calix persistens, 5-sepalus, sepalis subrotundis, magnis. Petala

8-12, brevia, tubulata, inferne nectarifera. Stamina plurima. Carpelli folliculares, 3-10, sessiles, interno latere seminifero dehiscentes.

29. HELLEBORUS LIVIDUS

H. caule multifloro, folioso; foliis trisectis, glaberrimis, subtus glaucis, segmentis ovato- vel elliptico-lanceolatis.

Helleborus lividus. Ait. H. Kew. ed. 1. vol. 2. p. 272. Willd. Sp. 2. p. 1338. DC.! Syst. 1. p. 321. et Prod. 1. p. 47.

Cambess. En. pl. balear. p. 32. DC.! Fl. fr. 4. p. 907. Lois. Fl. gall. 1. p. 406.
H. foetidus. β. Linn. Sp. p. 784.
H. corsicus. Willd. En. suppl. p. 40.
H. triphyllus. Lmck. Dict. 3. p. 97.
H. argutifolius. Viv. Fl. cors. diagn. 1. p. 8.

Ic. — Tab. III. Iconogr. taurin. vol. 39. tab. 92.
Helleborus niger trifoliatus. Ald. H. farnes. tab. 92. Moris. Hist. sect. 12. t. 4. ic. 7.

Radix obliqua fibras plures agens ligneas fibrillasque flexuosas, ramosas, extus fuscas, intus albas, ad perpendiculum descendentes. Caules sesquipedales et ultra, crassi, subteretes, striati, erecti, foliosi. Folia omnia petiolata, sempervirentia, coriacea, facie intense viridia, lucentia, subtus nervoso-reticulata glaucaque, aetate interdum fere liventia, trisecta, segmentis ovato- vel elliptico-lanceolatis, sessilibus, margine argute serrato-dentatis, lateralibus obliquis, duobus interdum, raro omnibus, inter se coalitis: petioli crassiusculi, superne canaliculati, basi dilatati, semiamplexicaules. Pedunculi crassi, ramosi, bracteati. Bracteae (petioli dilatati) membranaceae, viridi-flavescentes, amplae, ad pedunculorum divisionem atque interdum juxta pedicellos dispositae, inferiores oblongae, integrae, superiores ellipticae atque argute serrato-denticulatae. Flores terminales, plurimi, subcorymbosi. Sepala 5, suborbiculata vel elliptica, magna, luteo-virescentia, petaloidea. Petala 10-12, viridi-flava, tubulosa, incurva, apice oblique truncata, raro fissa vel bilabiata, basi pedicellata, calice triplo breviora. Stamina plu-

rima, inaequalia, filamentis flavescentibus, antheris flavis. Ovella 4-6, stylis sepala longitudine vix aequantibus, stamina superantibus, stigmatibus terminalibus, orbiculatis. Carpelli folliculares, coriacei, transverse striati; semina irregulariter elliptica, margine altero curvo, altero rectiusculo, nigra.

Tota planta glaberrima.

In collibus calcareis circa Jerzu et in montibus vulcanicis inter Cuglieri et S. Lussurgiu: inter 600 et 1000 circiter metr. supra maris superficiem.

Fl. majo. ♃

Vern. *Sibidillia* ab accolis S. Lussurgiu appellatur qui ejus pulvere, joci caussa, utuntur ad sternutationem ciendam. Minima dosis ad hunc finem satis est, sternutatio autem diu persistens periculo non vacat.

Hellebororum radices drasticae in curandis vesaniis jamdiu celebratae.

Obs. Clariss. Vivianius ab *Helleboro livido* Ait. et Curt. nostrum specie differre tradidit (Fl. cors. diagn. l. c. et Append. alt. p. 7.); contra Cambess. l. c. aliique. *Helleborus lividus* Curt. Bot. magaz. tab. 72. a nostro quadantenus differt foliis vix ac ne vix serratis; sepalis ovato-acutis aut acutiusculis, remote serratis, in centro albidis, versus marginem roseis; caule rubescente punctisque rubris adsperso: interea speciem cum *Helleboro livido* Auctor. consentientem, nomine apud Auctores jampridem accepto traditaque icone, evulgare bonum duxi.

VII. NIGELLA

Nigella. Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 935. Juss. Gen. p. 233. DC. Syst. 1. p. 326. et Prod. 1. p. 48. Tourn. Inst. tab. 134. Gaertn. Fr. 2. tab. 118. Lmck. Ill. tab. 488.

Calicis sepala 5, pedicellato-unguiculata, petaloidea, decidua. Petala 5-10, oblique pedicellata, bilabiata, parva, ungue foveolato, nectarifero. Stamina plurima. Carpelli folliculares, 5-10, plus minusve concreti, stylis longis rostrati, interno latere seminifero dehiscentes.

30. NIGELLA DIVARICATA

N. glaucescens; foliis crassiusculis, laciniis anguste lineari-lanceolatis, floribus tri-heptagynis, nudis; antheris apiculatis;

carpellis ultra medium in fructum obconicum connexis, dorso trinerviis.

Nigella divaricata. BEAUPRÉ in DC.! Syst. 1. p. 329. et Prod. 1. p. 49.
N. arvensis β. *glaucescens*. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 34. et Suppl. p. 182.
N. arvensis. MORIS Stirp. sard. elench. 1. p. 1. non LINN.

Ic. — DELESS. Ic. select. 1. t. 46.
Nigella alba flore simplici. PROSP. ALPIN. Pl. exot. lib. 3. tab. 260. (*etsi sepala haud pedicellata et apice attenuata*).

Radix ad perpendiculum descendens, inferne fibras agens. Caulis erectus, striato-angulatus, glaber, ad angulos saepe scaber et ab ipsa basi saepe ramosus, ramis ascendentibus vel plerumque divaricatis. Folia inferiora petiolata, bipinnatisecta, segmentis bi-tripartitis, laciniis crassiusculis, anguste lineari-lanceolatis, superiora sessilia, trisecta aut tripartita laciniis, ut in inferioribus, margine saepe serrulato-denticulatis, nervo dorsali petiolisque inferne plerumque scabrido-tuberculatis. Pedunculi longi, apicem versus incrassati, uniflori. Sepala albo-coerulea vel albo-virescentia, venoso-reticulata, limbo ovato vel cordato, breviter acuminato, in unguem limbum subaequantem, subtus leviter saepe tuberculatum attenuato. Petala suboctona, villosiuscula, colorata, pedunculata, sepalis multo breviora. Stamina multiplici serie disposita, antheris flavescentibus, apiculatis. Styli tres-septem interdum rectiusculi, plerumque vero apice circinatim revoluti, demum producti, erecti vel ascendentes, carpellorum fere longitudine. Carpelli folliculares, tres-septem, supra medium liberi, dorso trinervii atque transverse plus minusve nervoso-reticulati, glabri, interno autem latere frequenter tuberculati. Semina triquetro-arcuata, nigra, (oculo armato) scabrida.

Tota planta glaucescens.

In pascuis et in arvis praesertim maritimis.

Fl. aprili; majo. ①

Vern. m. *Flori de passioni.*

Obs. Differt *Nigella divaricata* ab *arvensi*, colore glaucescente, foliis minus divisis, laciniis latioribus, lineari-lanceolatis, rigidulis, crassiusculis, nec capillaceis, petalis paullo brevius acuminatis. Num *Nigellae arvensis* varietas?

Numque *Nigella arvensis, glaucescens* Guss. Pl. rar. p. 216., cujus calabrica specimina, folia tenuiora ac caules elatiores referunt ac specimina sicula, ex Guss. Suppl. l. c., gradum inter *N. divaricatam* et *arvensem* intermedium sic praebent ut disjungi nequeant? Singula sardoa *N. divaricatae* specimina (prout ex iis judicium erui potest) etsi vario in loco lecta, memoratas constanter offerunt notas quibus a *Nigella arvensi* Auctorum differunt.

31. NIGELLA DAMASCENA

N. floribus pentagynis involucro folioso cinctis; antheris muticis; sepalis patentibus; carpellis bilocularibus, laevibus, in capsulam ovato-globosam ad apicem usque connexis.

Nigella Damascena. Linn. Sp. p. 753. Willd. Sp. 2. p. 1248. DC.! Syst. 1. p. 331. et Prod. 1. p. 49.

De Buch Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 499. Desf. Fl. atl. 1. p. 428. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 56. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 373. et Fl. graec. vol. 6. p. 7. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 153. Presl Fl. sic. 1. p. 23. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 34. et Suppl. p. 182. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 263. et Fl. nap. 4. p. 328. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 179. Savi Bot. etr. 4. p. 117. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 9. All.! Fl. ped. 2. p. 65. DC. Fl. fr. 4. p. 910. Lois. Fl. gall. 1. p. 390. Cambess. En. pl. balear. p. 33.

Ic. — Fl. graec. vol. 6. tab. 509. Lmck. Ill. tab. 488. ic. 2. Gaertn. Fr. 2. tab. 118. ic. 1. Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 27.

Nigella hortensis altera. Fuchs. Hist. p. 504. ic. ☩

Melanthium sylvestre. Math. Valgr. p. 796. ic. Lob. Obs. p. 428. ic. 1. ✦ et Icon. p. 741. ic. 2. ✦

Melanthium damascenum. Dod. Pempt. p. 304. ic. ✦

Melanthium capite et flore majore simplici. J. Bauh. Hist. 3. lib. 26. p. 207. ic. ☩ (*mala*).

Melanthium. Gith. Nigella. Chabr. Sciagr. p. 378. ic. 6. ☩ (*mala*).

Nigella romana, sativa, floribus foliosis. Moris. Hist. sect. 12. tab. 18. ic. 7.

Radix ut in praecedente. Caulis erectus, striatus, laevis, simplex vel ramosus. Folia pinnatisecta, inferiora petiolata, caetera sessilia, segmentis omnium multipartitis, laciniis margine et juxta nervos

scabrido-denticulatis, imorum foliorum anguste lineari-lanceolatis, caeterorum linearibus, sensim tenuioribus, superiorum subulatis. Pedunculi uniflori. Involucrum corolla longius, penta- vel raro hexaphyllum. Sepala patentia, coerulescentia. Petala plerumque octo, virescentia, labiis pilosis. Stamina multiplici serie disposita. Capsula inflata, omnino laevis, stylis erectis, apice circinatim volutis coronata. Semina triquetro-ovata, nigra, nervoso-reticulata.

In collinis aridis et inter segetes.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Damascena. Anigella. Damigella. Melantio selvatico. Nigella.*

Vern. m. *Flori de passioni.*

Nigellarum semina nigra, unde nomen, emmenagoga et diuretica olim habita, nunc obsoleta. Ægyptii seminibus *Nigellae Damascenae*, quae *Abesodé* appellant, tamquam condimento utuntur, torrefacta admiscent saccharo, cinnamomo, moscho, zingiberi, bezoard, ambrae cinereae, hermodactylis indeque conservam conficiunt quam appetitum ciere, libidinem provocare, corpori venustatem impertiri etc. arbitrantur.

VIII. AQUILEGIA

Aquilegia Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 934. Juss. Gen. p. 234. DC. Syst. 1. p. 333. et Prod. 1. p. 50. Tourn. Inst. tab. 242. Gaertn. Fr. tab. 118. Lmck. Ill. tab. 488.

Calix 5-sepalus, petaloideus, coloratus, deciduus. Petala 5, tubulosa, superne hiantia, bilabiata, labio exteriore magno, plano, interiore minimo, deorsum in totidem calcaria producta, inter sepala exserta. Stamina plurima. Carpelli folliculares 5, stylis acuminati, interno latere seminifero dehiscentes.

32. AQUILEGIA VULGARIS

A. calcaribus incurvis limbum petalorum subaequantibus; stylis stamina non superantibus; caule folioso, multifloro; foliorum segmentis obtuse lobatis, crenatis; capsulis villosis.

Aquilegia vulgaris. Linn. Sp. p. 752. Willd. Sp. 2. p. 1245. DC.! Syst. 1. p. 334. et Prod. 1. p. 50.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 499. Sibth. et Sm. Fl.

graec. Prod. 1. p. 372. PRESL Fl. sic. 1. p. 24. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 33. TENOR. Fl. nap. 1. p. 306. et Syll. p. 263. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 179. SAVI Fl. pis. 2. p. 16. et Bot. etr. 4. p. 117. BERTOL. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 374. ALL.! Fl. ped. 2. p. 64. DC. Fl. fr. 4. p. 911. LOIS.! Fl. gall. 1. p. 389.

Ic. — Fl. dan. tab. 695. Engl. bot. 5. tab. 297. CHAUM. CHAMB. et POIR. Fl. med. 1. tab. 24. (*minus bona*). Iconogr. taurin. vol. 4. tab. 2. et 26. vol. 15. tab. 15.

Aquileja. TRAG. St. p. 137. ic. ⩚ FUCHS. Hist. p. 102. ic. ⩚

A. flore simplici. J. BAUH. Hist. 3. p. 844. ic. 1. ⩚ CHABR. Sciagr. p. 485. ic. 1. ⩚

Aquilina. MATH. Valgr. p. 629. ic. LOB. Obs. p. 440. ic. 1. ✦ (*satis bona*) et Ic. tab. 761. ic. 1. ✦ et 2.

Aquilegia. DOD. Pempt. p. 181. ic. 1. ✦

Aquilegia sylvestris, flore simplici. MORIS. Hist. sect. 12. tab. 1. ic. penult.

Isopyrum Dioscoridis. COLUMN. Phyt. (ed. neap.) p. 1. tab. 1.

Aquilegia simplex, corniculata. BARR. Ic. tab. 628.

Radix crassa. Caulis bipedalis et ultra, erectus, teres, superne piloso-viscosus, multiflorus. Folia facie virentia, subtus glauca, radicalia longe petiolata, raro ternatim, plerumque biternatim secta, segmentis basi saepius cuneatis vel truncatis, apice rotundatis, plerumque tripartitis, lobato-crenatis; caulina ternatim secta, brevius petiolata, summa subsessilia, bi-tripartita, partitionibus oblongis, integris: petioli pilosi. Flores terminales, cernui, coerulei, rubelli, aut albi, pedunculis piloso-viscosis. Petala et calix extus subpubescentia. Stamina multiplici serie disposita. Filamenta interiora membranaceo-dilatata absque antheris. Capsulae reticulato-nervosae, villosae.

In humidis editis montis Spada (Fonni), septentriones versus; 1550. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio. ♃

Ital. *Aquilegia. Fior cappuccio.*

Aquilegiae herba antiscorbutica, radix lithontriptica olim habita, semina commendata ad propellendas variolas, nunc obsoleta: veneni suspicione non carent.

IX. DELPHINIUM

Delphinium Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 927. Juss. Gen. p. 234. DC. Syst. 1. p. 340. et Prod. 1. p. 51. Tourn. Inst. tab. 241. Gaertn. Fr. tab. 65. Lmck. Ill. tab. 432.

Calix 5-sepalus, petaloideus, coloratus, deciduus, sepalo superiore basi in calcar producto. Petala 4, coalita vel libera, quorum duo superiora in appendices calcare inclusas (calcar internum) abeuntia. Stamina plurima. Carpelli folliculares, 1-5, interno latere seminifero dehiscentes.

33. DELPHINIUM LONGIPES

D. caule erecto, confertim foliato, ramis virgatis; foliis summis linearibus, indivisis, caeteris tripartitis, inferiorum partitionibus multifidis, superiorum bi-trifidis indivisisve; racemis laxifloris; pedunculis floriferis calcare multo longioribus; petalis liberis, superioribus bilobis, inferioribus stipitatis limbo orbiculato, subcordato; carpellis ternis.

Delphinium peregrinum. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 30. non Sibth. et Sm.
D. junceum. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 181. non DC.

Radix solida, inferne ramosa. Caulis erectus, glaber, pedalis et ultra, teretiusculus, striatus, ramosissimus, confertim foliatus: rami virgati, alterni, laterales centrali primitus florifero, longiores. Folia rigidula, glabra, petioli instar basi attenuata, profunde tripartita, radicalia et caulina inferiora partitionibus multifidis, basi cuneiformibus, superiora rameaque saepe inferiora partitionibus bi-trifidis indivisisve angustioribus, summa indivisa, sessilia, lineari-lanceolata. Racemi laxiflori, pedunculis unifloris, alternis; floriferis, 7-15 lineas longis: bracteae pedunculis floriferis breviores, subindeve duplo triplove breviores, raro ex infimis una alterave pedunculos subaequans: bracteolae circa medietatem pedunculorum duae. Flores coerulei vel albido-coerulei; calix subpubescens; calcar corolla longius.

Petala libera, superiora duo biloba, inferiora stipitata limbo orbiculato, basi plerumque leviter cordato, apice modo emarginato, modo integro, interdum crenato. Carpellos maturos non vidi.

In arenis maritimis Pula.

Fl. aprili junio. ①

Obs. Delphinium, nostrum, *longipes* habitu valde accedit ad *Delphinium halteratum* SIBTH. et SM. Fl. graec. vol. 6. p. 5. tab. 507. differt foliis inferioribus tripartitis, non quinquepartitis, pedunculis floriferis calcare multo longioribus, non multo brevioribus, 7-15, non 3-6 lineas longis. A *Delphinio junceo* DC. Syst. 1. p. 348. Prod. 1. p. 52. et Herbar., differt petalorum inferiorum limbo orbiculato subcordatoque, non elliptico, ab eodemque *D. junceo* et a *cardiopetalo* caeterisque ejusdem sectionis (*Delphinellum* DC. l. c.) pedunculorum floriferorum longitudine distinguitur. Res quidem quadantenus varia pedunculorum longitudo esse solet, sed adeo constantem eam offerunt nostra specimina adeoque insignem atque ab illa affinium specierum hactenus memoratarum discrepantem, ut nemini ex illis *Delphinium* nostrum jure adsociari posse videatur. *Delphinium halteratum* in icone citata Fl. graec. glaberrimum se praebet, caeterum plantae caulis *minutissime tomentoso incanus* dicitur in descriptione l. c.

Delphinium peregrinum ALL. Herbar. (specim. pedemont.) tomentoso-pubescens, foliis caulinis confertis, petalis inferioribus orbiculatis, subcordatis, accedit ad *Delphinium halteratum* Fl. graec.

Delphinium peregrinum ALL. Herbar. (specim. sard.) est nostrum *Delphinium gracile*.

34. DELPHINIUM GRACILE

D. caule erecto; foliis rigidulis, summis linearibus indivisis, caeteris tripartitis, inferiorum partitionibus dentato-multifidis, superiorum bi-trifidis indivisisve; racemis sublaxis, pedunculis floriferis calcare brevioribus; petalis liberis, superioribus bilobis, inferioribus stipitatis limbo orbiculato, subcordato; carpellis ternis.

Delphinium gracile *α*. DC.! Syst. 1. p. 347. et Prod. 1. p. 52. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 261. et Fl. nap. 4. p. 323.

D. junceum. MORIS Stirp. sard. elench. 1. p. 1.

Planta glabra, apud nos. Caule gracili aut multo minus robusto,

minus ramoso minusque foliato; foliorum divisionibus angustioribus; pedunculis floriferis 3-6, nec 7-15 lineas longis a praecedente differt.

Variat caule simplici et ramoso, racemis 3-8-floris laxis vel densiusculis, seu 8-16-floris valdeque laxis.

In pascuis arenosis et collinis aridis, maritimis frequens.

Fl. aprili, majo. ①

Vern. m. *Speroni de cavalleri.*

Obs. Delphinium gracile a *Delphinio verdunensi* Balb. Catal. ann. 1813. et Herbar. *Delphinio cardiopetalo* DC.! Syst. 1. p. 347. et Herbar. sejungi fortasse nequit. In nostro *Delphinio gracili* folia inferiora membranacea, cito decidua, reliqua rigida, racemi ubi pauciflori modo laxi, modo densiusculi, ubi multiflori semper laxi, quamobrem quadantenus differt ex collatis speciminibus a *Delphinio verdunensi* Balb. et *cardiopetalo* DC. quae synonima sunt. Sed pluribus collatis e vario loco depromtis speciminibus dubium mihi superest, num folia plus minusve rigida vel membranacea constantem aptumque per se praebeant characterem ad *Delphinium gracile* et *cardiopetalum* specifice distinguenda. Ipsamet varia est petalorum inferiorum forma: specimina (in Herbar. Balbis) vidi foliis membranaceis totiusque plantae habitu plane inter se similia, quorum alia ob petalorum inferiorum limbum orbiculatum cordatumque ad *Delphinium cardiopetalum* spectantia, alia eorumdem petalorum limbum ellipticum plane ut in *Delphinio junceo*, nec cordatum praebentia. *Delphinium peregrinum* Sibth. et Sm. Fl. graec. vol. 6. p. 4. tab. 506. ad *Delphinium junceum* β subvelutinum. DC. Syst. et Prod. spectans, habitum *Delphinii gracilis* nostri refert, nec differt nisi petalorum inferiorum limbo spathulato, non cordato-orbiculato, totiusque herbae pube brevi et densa.

55. DELPHINIUM PICTUM.

D. caule petiolisque molliter pubescenti-pilosis; foliis palmato 5-8-partitis, partitionibus lanceolatis, trifidis indivisisque; petalis liberis, superioribus lineari-lanceolatis integris, inferioribus obovato-spathulatis crenulatis; calcare calicis fere longitudine; carpellis ternis.

Delphinium pictum. Willd. En. pl. H. berol. p. 574. DC.! Syst. 1. p. 363. et Prod. 1. p. 56.

Tenor. Fl. nap. 4. p. 325.

D. Requienii. DC.! Fl. fr. 5. p. 642. Syst. 1. p. 362. et Prod. 1. p. 56. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 262. et Fl. nap. 4. p. 325. Lois. Fl. gall. 1. p. 388.
Requien.! Pl. siccat. e Corsica.
D. Staphysagria β. Lmck. Dict. 2. p. 265. DC. Fl. fr. 4. p. 915. Moris Stirp. sard. elench. 1. p. 1.

Ic. — Delphinium Staphysagria. Woodv. Medic. bot. vol. 3. tab. 154.
D. Requienii. Deless. Ic. select. 1. tab. 63.

Caulis uni-tripedalis, plerumque ramosus, pubescenti-pilosus (pilis nempe longioribus pube molli brevi, superne praecipue, intermixtis), basi interdum glaber. Folia petiolata, glabra vel juxta nervos pilosiuscula, inferiora in lacinias 7-8, lanceolatas, latas, inciso-dentatas, bifidas trifidasve, basi subcuneatas fissa vel partita; superiora profunde 5-7-partita, partitionibus angustioribus, lanceolato-acuminatis, integris; floralia ad basim pedunculorum disposita, infima interdum 3- raro 5-partita, caetera (vel bracteae) linearia, ascendendo sensim minora. Flores in racemos laxiusculos dispositi; pedunculi longitudine plane varii, inferiores quatuor-decem subindeve decem-viginti lineas longi, quamobrem bracteis et flore modo vix, modo multoties longiores: pedunculi superiores inferioribus sensim breviores: bracteolae lineares circa medium pedunculum, vel infra medium, vel plerumque ad ejus basim insertae. Calix pallide coeruleus, extus pilosus. Petala albescentia, sive albido-coerulescentia, versus basim puberula, reliqua parte glabra; superiora lineari-oblonga aut lineari-lanceolata, integra, obtusa aut obtusiuscula, in medio gibberula, calice paullo breviora; inferiora unguiculata, limbo obovato, crenulato, subemarginato, calice vix longiora: calcar obtusum calice vix brevius. Fructus e carpellis follicularibus tribus, distinctis, oblongis, acuminatis, pubescentibus, reticulatis, polyspermis. Semina triquetra aut tetraquetra, glabra, rugoso-reticulata, demum nigra.

In pascuis collinis Perdas de fogu, Siniscola, Orosei, insulae Asinara et in montanis Monte santo Pula, Flumini major etc.

Fl. ab aprili ad junium. ②

Vern. m. *Matapriogu.*

Planta odorem spirans fortem, viroso-moschatum, praesertim si digitis atteratur: ejus semina intus sumta caustica ac venenata esse debent perinde ac illa *D. Staphysagriae* cujus vices in pulverem redacta, externo usu ad pediculos enecandos, in Sardinia explent.

Obs. Delphinium Requienii DC. a *Delphinio picto* sejungi non posse, meo quidem judicio, probare videntur, praeter caeteros utrique communes characteres, bracteolae quarum aliae ad basim, aliae versus medium pedunculum interdum in una eademque planta insertae adspiciuntur, quemadmodum et in ipsa icone Woodv. Medic. bot. ad *Delphinium pictum* relata cernere est.

Delphinium Ajacis L. floribus coeruleis, roseis, purpurascentibus, albis, simplicibus, semiplenis plenisve, colitur in hortis, ornamenti gratia, vernaculo nomine *Speroni de cavallèri.*

B. Carpellis crassiusculis; petalis planis.

X. PAEONIA

Paeonia Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 920. Juss. Gen. p. 234. DC. Syst. 1. p. 386. et Prod. 1. p. 65. Tourn. Inst. tab. 146. Gaertn. Fr. tab. 65. Lmck. Ill. tab. 481.

Calix 5-sepalus, foliaceus, inaequalis. Petala 5-10, maxima. Stamina plurima, antheris extrorsis. Discus carnosus ovaria cingens. Ovella 2-5, stigmatibus bilamellatis, crispis, crassis instructa, in carpellos folliculares abeuntia. Semina gemino ordine disposita.

36. PAEONIA CORALLINA

P. herbacea; foliis ternatim biternatimve sectis, segmentis ovatis ellipticisve, planiusculis, integris; carpellis tomentosis, e basi demum recurvatis.

Paeonia corallina Retz Obs. 3. p. 34. Willd. Sp. 2. p. 1221. Anders. Monograph. Paeon. in Transact. Linn. soc. lond. 12. (1817). p. 248. DC. Syst. 1. p. 388. et Prod. 1. p. 65.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 370. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 28. Tenor. Fl. nap. 1. p. 301. et Syll. p. 261. Bertol. Mantiss. Fl. alp. apuan. p. 34. DC. Fl. fr. 5. p. 643. Lois. Fl. gall. 1. p. 386.

P. officinalis β. mascula Linn. Sp. p. 747.

Ic. — Engl. bot. 22. tab. 1513.

Paeonia mas. MATH. Valgr. p. 914. ic. LOB. Obs. p. 390. ic. 1. ✝ et Icon. tab. 684. ic. 2. ✝ et tab. 685. ic. 1. DOD. Pempt. p. 194. ic. 1. ✝

Paeonia mas, una praecocior et altera tardior. J. BAUH. Hist. 3. p. 492. ic. 1. ⁂

Glycide. CHABR. Sciagr. p. 490. ic. 1. ⁂

P. flore simplici, latiore folio quae mas. MORIS. Hist. sect. 12. tab. 1. ic. 1.

β. *pubescens*, foliis subtus villoso-pubescentibus puberulisve.

Paeonia Russi BIVON. Stirp. rar. Sicil. Man. 4. p. 12. SPR. Syst. 2. p. 615. DC. Prod. 1. p. 66. PRESL Fl. sic. 1. p. 26. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 29. DUBY Bot. gall. 1. p. 18.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Ic. — Tab. IV.

Radix crassa. Caulis teretiusculus, pedalis, bipedalis et ultra, glaber aut glabriusculus, purpurascens. Folia ternatim biternatimve secta, superiora ternatim secta subindeve indivisa lobatave: segmenta ovata aut elliptica, saepe planiuscula, interdum undulata, integra, nunc acuta, nunc obtusa, facie viridia, nervis nonnumquam rubentibus, subtus pallentia, lateralia basi saepe obliqua, intermedio interdum lobato. Sepala quina, inaequalia, quorum saepe tria colorata et concava, duo lanceolata, planiuscula atque virentia. Petala quina-octona, obovata subindeve oblonga, kermesina aut rosea, raro alba. Carpelli duo-quinque molliter tomentosi, primum recti erectique, mox patentes atque a basi ipsa recurvati. Stigmata rubella, compressa, undulata, revoluta. Semina laevia, atro-purpurea.

Planta pedalis, bipedalis et ultra, variat foliis glaberrimis et subtus plus minusve villoso-pubescentibus, pube molli, tenuissima, flexili, adpressa, quae quidem describi potius quam pingi queat.

In sylvaticis opacisque umbrosis, editis Monte santo Pula, la Trebina, Marganai, Villanova Tulu, Arcidano, montium S. Lussurgiu, S. Padre-Macomer, Fonni, Genargentu. Var. α in insula Tavolara et identidem cum β in Sardiniae montibus memoratis.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Peonia. Peonia maschia.*

Vern. m. *Peonica.* — Vern. s. *Franca de zirulìa.*

Paeonia corallina veneni suspicione non caret: ejus floribus, seminibus, maxime autem radici antispasmodica et antiepileptica virtus, uti *Paeoniae officinali*, olim tributa, quam quidem iteratae observationes et experimenta non confirmarunt.

Obs. Discrimen *Paeoniam* inter *corallinam* Linn. et *Paeoniam Russi* Biv. nullum deprehendere potui praeter quam in pube foliorum quae quidem varia est, quamobrem sardoa *Paeoniae corallinae* nostrae α specimina cum *Paeonia corallina* Linn. et Auct. omnino et ipsomet colore in pagina foliorum superiore viridi, in inferiore pallente congruunt; atque *Paeoniam Russi Paeoniae corallinae* adsociatam proponere consilium mihi fuit.

ORDO II.

BERBERIDEAE

Berberideae Vent. Tabl. 3. p. 83. DC. Fl. fr. ed. 3. v. 4. p. 627. Syst. nat. 2. p. 1. et Prod. 1. p. 105. Bartl. Ord. nat. p. 241.

Calix 4-6-sepalus: sepala decidua, plerumque petaloidea et basi squamis stipata. Petala decidua, sepalis numero aequalia iisdemque opposita, intus ad basim glandulis squamulisve saepe aucta. Stamina tot quot petala iisdemque opposita; filamentis brevibus, antherarum adnatarum loculis e basi ad apicem valvula subelastica dehiscentibus. Ovarium subobliquum, uniloculare, pauciovulatum; stylo brevissimo, stigmate crasso, suborbiculato. Carpellum carnosum (apud nos) indehiscens. Semina trophospermio laterali affixa, saepe pauca, erecta vel obliqua. Albumen carnosum aut subcorneum. Embryo rectus, homotropus.

Frutex (apud nos). Folia primaria in spinas saepe mutata. Stipulae nullae. Flores flavi et racemosi.

XI. BERBERIS

Berberis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 595. Juss. Gen. p. 286. DC. Syst. 2. p. 4. et Prod. 1. p. 105. Tourn. Inst. tab. 385. Gaertn. Fr. 1. tab. 42. Lmck. Ill. tab. 253.

Sepala 6, squamis 3 stipata. Petala 6, conniventia, ad ungues intus bi-glandulosa. Stamina 6. Bacca unilocularis, 1-5-sperma.

38. BERBERIS AETNENSIS

B. spinis tri-quintuplicibus, validis folia obovata ellipticave, serrato-ciliata aequantibus vel superantibus; racemis paucifloris, arcuatim patentibus; petalis integris.

Berberis aetnensis. Presl Fl. sic. 1. p. 28. Schult. Syst. veg. vol. 7. p. 2.
B. vulgaris β. *macroacantha*. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 439. et Suppl. p. 108.
B. sicula. Jan. Elench. p. 5.
B. cretica. Lois.! Fl. gall. (ed. 2.) 1. p. 233. non Linn.
Requien.! Pl. exsiccat. e Corsica.

Ic. — Tab. v.

Frutex pedalis, sesquipedalis, glaber. Caulis confertim ramosus, flexuosus, cortice cineraceo, ramis sulcato-angulatis. Folia 4-6-lineas lata, 6-10 longa, utrinque reticulato-nervosa, basi brevissime in petiolum attenuata, margine serrato-ciliata, summa raro integra, spinis pleraque breviora. Spinae flavescentes vel fuscescentes, subtus canaliculatae, patenti-subrecurvae, triplices nonnullaeve quadruplices, raro aliquot quintuplices, media validiori, summae saepe indivisae. Racemi 10-15-flori, foliis longiores, plerique arcuatim patentes, subindeve superiores erecto-patuli. Sepala ovata, concava, viridi-lutescentia. Petala ovata, lutea, glandula crocea, ad basim utrinque praedita. Staminum filamenta in inferiori parte stimulo lacessita subito contracta; antherarum loculi discreti. Stigma orbiculatum, umbilicatum. Baccae oblongae, rubrae, acidissimae, mono-dispermae.

In editis praeruptis montis Genargentu paullo infra locum dictum *su xuxu*; 1750 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio. ♄

Vern. *Spina Cristi. Spina santa.*

Perinde ac de Berberide vulgari traditur, fructus nostrae plantae acidi, refrigerantes proficue in medicina adhiberi queunt.

Ambigit *Berberis aetnensis*, dubia mihi species, inter *B. officinalem* et *creticam* L.: huic tamen quam illi affinior. Cum *B. creticae* speciminibus ex insula Creta a cl. Siebero consentit spinis aliquot identidem quintuplicibus racemisque paucifloris; differt spinis validioribus longioribusque, foliis fere duplo latioribus,

plerisque obovatis. Differt a *Berberide officinali* superius allatis characteribus quos singuli mihi obvii sardoi stipites obtulerunt. A quinque autem annis eadem *Berberis aetnensis* in Horto botanico taurinensi culta et quidem prope ipsam *Berberidem vulgarem*, spinas protulit paullo minus validas et folia complura integra, reliqua vix serrato-ciliata, caespites vero vix sesquipedales hactenus refert, ramis confertis brevibusque, racemos paucifloros et breves, spinas inferiores nonnullas quadri-quintuplices, omnes breviores majoresque ac in *Berberide vulgari*, folia insuper angustiora duplo triplove breviora.

ORDO III.

NYMPHAEACEAE

Nymphaeaceae DC. Prop. med. (ed. 2.) p. 119. Syst. 2. p. 39. et Prod. 1. p. 113. Nymphaeaceae et Nelumboneae Bartl. Ord. nat. p. 88. 89.

Calix 4-6-sepalus, persistens, intus petaloideus. Petala plurima, toro extus inserta serieque multiplici disposita, singula cum sepalis petalisque exterioribus alternantia, interiora sensim in stamina abeuntia. Stamina indefinita, multiplici serie, supra petala, toro inserta: antherae adnatae, introrsae. Ovella 8-30, toro urceoliformi recepta, eodemve toro et inter se connata in ovarium multiloculare stigmatibus radiantibus coronatum; vel libera tori foveolis immersa, stylis totidem liberis. Fructus pericarpio indehiscente, subbaccato. Semina 1-2, in carpellis liberis, plurima in carpellis inter se connatis.

Herbae aquaticae, perennantes, caule rhizomatoideo. Folia longe petiolata, limbo subrotundo supernatantia. Pedunculi solitarii, uniflori, longi, floribus emersis, speciosis.

XII. NYMPHAEA

Nymphaea Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 360. DC. Syst. 2. p. 49. Prod. 1. p. 114. et Diss. de Nymph. in act. genev. 1. tab. 2. ic. 7. et 8. Nymphaeae

sp. LINN. JUSS. TOURN. Inst. tab. 137. 138. GAERTN. Fr. 1. tab. 19. ic. *a. b.* LMCK. Ill. tab. 453. ic. 1.

Sepala 4, ad basim tori inserta. Petala sepalis aequalia staminaque, multiplici ordine, toro longe adnata. Stigmata sessilia, radiantia. Fructus baccaeformis, semi-inferus. — Flores albi.

39. NYMPHAEA ALBA

N. foliis ovato-orbiculatis, integerrimis, cordatis; stigmate 16-radiato, radiis ascendentibus.

Nymphaea alba. LINN. Sp. p. 729. WILLD. Sp. 2. p. 1152. DC. Syst. 2. p. 56. et Prod. 1. p. 115.

SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 360. PRESL Fl. sic. 1. p. 29. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 8. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 255. et Fl. nap. 4. p. 308. MAUR. rom. pl. Cent. 13. p. 26. SAVI Fl. pis. 2. p. 7. et Bot. etr. 4. p. 114. ALL. Fl. ped. 2. p. 174. DC. Fl. fr. 4. p. 650. LOIS. Fl. gall. 1. p. 385. CAMBESS. En. pl. balear. p. 33.

Ic. — Fl. dan. tab. 602. Engl. bot. 3. tab. 160. CHAUM. CHAMB. et POIR. Fl. med. 5. tab. 247. Iconogr. taurin. vol. 20. tab. 23.

Nenuphar. BRUNF. Herb. 1. p. 37. ic.

Nymphaea candida. FUCHS. Hist. p. 535. ic. ⁂

N. alba, Lotus aegyptia Alpini. CLUS. Hist. 2. p. 77. ic. 1. ✦

N. alba. MATH. Valgr. p. 893. ic. LOB. Obs. p. 324. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 595. ic. 1. ✦ DOD. Pempt. p. 585. ic. 1. ✦ J. BAUH. Hist. 3. p. 770. ic. ⁂ (*mala*).

Nymphaea, Nenuphar. CHABR. Sciagr. p. 561. ic. 1. ⁂ (*mala*).

Folia crassiuscula, viridia, nitida, laevia, basi profunde cordata lobis obtusis, propinquis, subtus nervo medio crasso, venis lateralibus 12-16: petioli teretes pedunculique petiolis similes, secundum aquae altitudinem producti. Flores magni, speciosi, sub sole patentissimi. Sepala quatuor, oblonga, fere plana, extus viridia, intus albida. Petala 28, quadruplici serie disposita, oblongo-lanceolata, plana, candida, exteriora medio saepe virescentia, interiora sensim minuta et in stamina mox abeuntia. Staminum filamenta pallide lutescentia, exteriora dilatata petalisque assimilata: antherae erectae, lineares,

longae, luteae. Stigmata 16, interdum 17, basi coalita, stellatim patentia, apice libera, inflexa, incrassata. Fructus baccaeformis, globosus, truncatus, petalorum staminumque evanidorum cicatricibus notatus. Semina luteo-margaritacea, punctata, arillo ad medium usque cincta.

In aquis stagnantibus Sardiniae septentrionalis et australis, Tanca di Nizza, Siliqua, Monastir.

Fl. a majo ad julium. ♃

Ital. *Carfano. Carfarò femmina. Erculea bianca. Nannunfero. Ninfea.*

Vern. m. *Crocoriga de acqua.*

Flores in tenebris undis submersi, luce perculsi ad aquae superficiem se se attollunt.

De Nymphaeae virtute multa prolata, speciatim vero venereos impetus compescere tradita, hinc celebre *castitatis electuarium* eadem praecipue conflatum. Nostra aetate *Nymphaeae albae* radix vix tonica atque adstringens, flores leniter sedantes atque refrigerantes habentur.

XIII. NUPHAR

Nuphar Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 361. DC. Syst. 2. p. 59. Prod. 1. p. 116. et Diss. de Nymph. in act. genev. 1. tab. 1. ic. 5. et 6. Nymphaeae sp. Linn. Juss. Gaertn. Fr. tab. 19. ic. 1. g. h. et Lmck. Ill. tab. 453. ic. 2.

Sepala 5-6. Petala sepalis minora staminaque ad basim tori inserta. Stigmata sessilia, radiantia. Fructus baccaeformis, quasi superus. — Flores lutei.

40. NUPHAR LUTEUM

N. foliis ovali-cordatis, petiolis ancipitibus; calice 5-sepalo; stigmate integro, 16-20-radiato, profunde umbilicato.

Nuphar luteum. Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 361. DC. Syst. 2. p. 60. et Prod. 1. p. 115. Presl Fl. sic. 1. p. 29. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 9. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 255. et Fl. nap. 4. p. 308. Savi Bot. etr. 4. p. 115.

Nymphaea lutea. Linn. Sp. p. 729. Willd. Sp. 2. p. 1151. Maur. rom. pl. Cent. 13. p. 26. Savi Fl. pis. 2. p. 7. All.! Fl. ped. 2. p. 173. DC. Fl. fr. 4. p. 650. Lois. Fl. gall. 1. p. 385.

Ic. — Fl. dan. tab. 603. Engl. bot. 3. tab. 159. Iconogr. taurin. vol. 20. tab. 22.
Nymphaea altera. Brunf. Herb. 1. p. 36. ic.
N. lutea. Fuchs. Hist. p. 536. ic. ⁂ Math. Valgr. p. 894. ic. Lob. Obs. p. 324. ic. 2.✦ et Icon. tab. 594. ic. 2.✦ Dod. Pempt. p. 585. ic. 2.✦ J. Bauh. Hist. 3. p. 771. ic. ⁂ (*mala*). Chabr. Sciagr. p. 561. ⁂ (*mala*).
N. lutea, major. Clus. Hist. 2. p. 77. ic. 2.✦

Folia ovalia, cordata, venis lateralibus 20-30 et ultra; caetera propemodum ut in Nymphaea alba. Petioli acutanguli. Pedunculi teretes supra aquae superficiem paullulum emergentes. Calicis sepala rotundata, concava, luteola, extus in centro virescentia. Petala 16, sepalis duplo et ultra breviora, lutea, obovata, truncata, crassiuscula, sulcata, dorso nectarifera. Stamina plurima, plana, linearia, fere uniformia, demum reflexa. Stigmata sessilia, usque ad marginem periphericum disci integri (apud nos), pertingentia. Fructus baccaeformis, ovato-conicus, laevis, instar colli superne attenuatus truncatusque. Semina luteo-margaritacea.

In rivo lente fluente, circa Mores.
Fl. majo, junio. ♃
Ital. *Carfaro maschio. Erculea gialla. Nannufero. Zucchettina da tabacco.*
Vern. *Crocoriga de acqua.*

ORDO IV.

PAPAVERACEAE

Papaveraceae Juss. Gen. p. 235. (*excl. Fumaria*) DC. Syst. 2. p. 67. et Prod. 1. p. 117. Bartl. Ord. nat. p. 260.

Calix 2-sepalus, sepalis foliaceis, caducis. Petala decidua, aestivatione corrugato-plicata, saepe 4 (raro plura, rarissime nulla). Stamina libera, vel petalis numero aequalia iisque opposita, vel, saepe, plura, serie bi-multiplici disposita; antherae basi insertae. Ovarium liberum. Fructus polyspermus, capsularis, modo

obovatus, disco stigmatum stellatorum operculatus foraminulisque lateralibus infra operculum dehiscens; modo siliquaeformis in stylum simplicem duplicemve seu in stigma sessile desinens juxtaque longitudinem in valvas binas aut transverse in articulos plures secedens. Semina vel in articulis solitaria, vel inserta trophospermiis parietalibus, nunc compresso-planis dissepimenta incompleta efficientibus, nunc, in fructu siliquaeformi, lineari-filiformibus, inter se liberis aut dissepimento in quod abeunt connexis. Albumen carnoso-oleosum. Embryo minimus in basi albuminis.

Herbae succo lacteo vel croceo scatentes. Folia alterna, dentata, incisa aut pinnatim divisa. Stipulae nullae.

GENERA PAPAVERACEARUM

XIV. PAPAVER. Petala 4, regularia. Stamina plurima. Stylus 0. Stigmata 4-20-radiata, sessilia, disco orbiculato ovarium coronanti adnata. Capsula semi-multilocularis, stigmatis disco operculata porisque lateralibus infra operculum dehiscens. — Herbae succo lacteo, hypnotico. Folia alterna. Flores longe pedunculati, solitarii, terminales.

XV. GLAUCIUM. Petala 4, regularia. Stamina plurima. Capsula siliquaeformis, longa, bivalvis, bilocularis. Semina in dissepimenti spongiosi foveolis subnidulantia. — Herbae glaucescentes, annuae aut biennes. Succus croceus. Folia sinuato-repanda pinnatimve divisa. Pedunculi oppositifolii, uniflori.

XVI. CHELIDONIUM. Petala 4, regularia. Stamina plura. Capsula siliquaeformis, bivalvis, unilocularis. Semina crista glandulosa instructa. — Herbae perennes. Succus croceus, acris. Folia pinnatisecta. Pedunculi umbellatim multiflori. Flores flavi.

XVII. HYPECOUM. Petala 4: exteriora 2 majora: interiora saepius tripartita, lacinia media conduplicata. Stamina 4. Styli 2, breves. Capsula siliquaeformis, bivalvis, transverse articulata nodosaque, articulis monospermis. — Herbae annuae, succo flavo. Foliorum segmenta pinnatim tenuiterque multipartita. Flores flavi, subumbellati.

XIV. PAPAVER

Papaver Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 881. Juss. Gen. p. 236. DC. Syst. 2. p. 69. et Prod. 1. p. 117. Tourn. Inst. tab. 119. et 120. Gaertn. Fr. tab. 60. Lmck. Ill. tab. 451. Vig. Hist. pav. p. 35. ic. 5. 6. 7.

Sepala 2. Petala 4, regularia. Stamina plurima. Stylus o. Stigmata 4-20-radiata, sessilia, disco orbiculato ovarium coronanti adnata. Capsula semi-multilocularis, stigmatis disco operculata porisque lateralibus infra operculum dehiscens.

41. PAPAVER HYBRIDUM

P. capsula setis hispida, obovato-globosa, torosa; staminum filamentis infra apicem dilatatis; caule folioso; foliis subbipinnatipartitis.

Papaver hybridum. Linn. Sp. p. 725. Willd. Sp. 2. p. 1144. Vig. Hist. Pav. p. 45. DC.! Syst. 2. p. 73. et Prod. 1. p. 118.

Forsk. Fl. arab. p. lxvii. n.° 278. et Florul. melit. n.° 41. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 91. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 27. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 59. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 358. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 445. Urv. En. pl. archip. p. 56. Presl Fl. sic. 1. p. 31. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 6. et Suppl. p. 172. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. et Fl. nap. 4. p. 305. Maur. rom. pl. Cent. 13.ª p. 25. Savi Fl. pis. 2. p. 5. et Bot. etr. 1. p. 151. All.! Fl. ped. 1. p. 291. DC. Fl. fr. 4. p. 631. Lois. Fl. gall. 1. p. 377.

Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Papaver hispidum Lmck. Fl. fr. 3. p. 174.

Papaver capsulis subglobosis, torosis, hispidis; caule folioso, multifloro Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. (1760-1761.) p. 214.

Ic. — Engl. bot. 1. tab. 43. Iconogr. taurin. 27. tab. 108.

Argemone capitulo torulis canulato. Lob. Obs. p. 144. ic. 1. ✢ et Icon. tab. 276. ic. 1. ✢

Argemone capitulo breviore, hispido. J. Bauh. Hist. 3. p. 396. ic. 1. ⩓ Chabr. Sciagr. p. 460. ic. 5. ⩓

Argemone capitulis hirsutis, brevioribus, canulatis. Moris. Hist. sect. 3. tab. 14. ic. 9. (*lobis foliorum inferiorum minus profunde divisis*).

Radix fusiformis, inferne fibrillas emittens. Caules pedales, sesquipedales, erecti vel ascendentes. Folia profunde pinnatim bipinnatimve partita, partitionibus inciso-pinnatifidis, radicalia caulinaque inferiora petiolata, lacinulis confertioribus, ovato-lanceolatis, caetera sessilia, lacinulis linearibus aut lineari-cuneiformibus, omnibus aristatis. Pedunculi longi, nudi, uniflori. Flores parvi. Sepala pilis rigidis, fulvis hispidula. Petala punicea, apice crenata, basi macula nigrescente vel violacea praedita. Staminum filamenta infra apicem dilatata, violacea: pollen cyaneum. Capsulae torosae, setis arcuatis ascendentibus hispidae. Semina striato-punctata, cinerascentia.

Planta, superne praecipue, pilis adpressis, rigidis, hispidula. Variat caulibus ex eadem radice pluribus, ramosissimis et caule solitario, simplici, unifloro.

Inter segetes: frequens.
Fl. a martio ad majum. (1)
Ital. *Papavero spinoso.*
Vern. m. *Pabaùli.* — Vern. s. *Papaveru, Pupùza.*

42. PAPAVER ARGEMONE

P. capsula setis dissitis hispida, lineari-clavata, longiuscula; staminum filamentis infra apicem dilatatis; caule folioso; foliis subbipinnatipartitis.

Papaver Argemone Linn. Sp. p. 724. Willd. Sp. 2. p. 1144. Vig. Hist. Pav. p. 46. DC.! Syst. 2. p. 74. et Prod. 1. p. 108.

Desf. Fl. atl. 1. p. 406. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 358. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 445. Presl Fl. sic. 1. p. 31. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 7. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. et Fl. nap. 4. p. 305. Savi Bot. etr. 4. p. 113. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 9. All.! Fl. ped. 1. p. 291. DC. Fl. fr. 4. p. 631. Lois. Fl. gall. 1. p. 377. Cambess. En. pl. balear. p. 34.
P. clavigerum Lmck. Fl. fr. 3. p. 175.

Ic. — Fl. dan. tab. 867. Engl. bot. 9. tab. 634. Iconogr. taurin. 16. tab. 75. Argemone capitulo longiore. Lob. Obs. p. 144. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 276. ic. 2. ✦

Argemone capitulo longiore, spinoso. J. Bauh. Hist. 3. p. 396. ic. 2. ☆ (*mala*). Chabr. Sciagr. p. 460. ic. 6. ☆ (*mala*).

Argemone capitulis longioribus, hirsutis. Moris. Hist. sect. 3. tab. 14. ic. 10. (*minus bona*).

Habitu ad praecedentem accedit. Folia pinnatim bipinnatimve partita, partitionibus inciso-pinnatifidis integrisve, inferiora petiolata, lacinulis ovato-lanceolatis cuneatisve, caetera sessilia, lacinulis linearibus, omnibus aristatis. Sepala glabriuscula. Petala pallide coccinea, parva, fugacia, macula ad basim nigricante. Capsula fere uncialis, lineari-clavata, lineis elevatis longitudinalibus 5, subpentagona nec torosa, setulis raris, sparsis hispida, interdum omnino glabra. Semina striato-punctata, nigra. — Planta hispidula, pilis superne adpressis, inferne patulis: variat caule uni-multifloro.

In arvis Sardiniae centralis locisque montanis Arizzo, Fonni, Barbargie.

Fl. majo, junio. ①

Ital. *Papavero Argemone.*

43. PAPAVER PINNATIFIDUM

P. capsula glabra, obovato-oblongove-clavata; staminum filamentis filiformibus; caule patenter, pedunculis adpresse hispidis; foliis inferioribus pinnatipartitis pinnatifidisve, superioribus dentato-pinnatifidis, laciniis dentibusve ovato-triangularibus.

Papaver dubium Tenor. Fl. nap. 4. p. 306. a. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 172. b.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

* *brevi-capsulare*, capsula breviore.

Radix fusiformis, inferne fibrillas agens. Caulis modo valde ramosus, pedalis, bipedalis, modo gracilis, vix ramosus, subindeve uniflorus vixque semipedalis. Folia utrinque pilosa, radicalia et caulina inferiora petiolata; in planta graciliore pinnatifida, laciniis triangularibus ovatisve; in vegetiore aut praesertim luxuriante pinnatipartita, partitionibus ovatis aut oblongis, serrato-dentatis aut inciso-pinnatifidis: folia superiora sessilia, dentato- vel inciso-pinnatifida,

supremo interdum, ob inferiores lacinias productiores, fere trifido, laciniis dentibusve semper triangularibus aut ovato-triangularibus. Pedunculi longissimi, setulis adpressis. Petala coccinea. Staminum filamenta filiformia, nec dilatata, nigra: pollen flavum. Capsula glaberrima, oblongo-clavata seu clavato-obovata, lineis longitudinalibus plurimis notata, 6-11 lineas longa, operculo 8-10-radiato. Semina nigrescentia, striata punctisque excavatis praedita.

Inter segetes frequens.

Fl. aprili, majo. ①

Vern. m. *Pabaùli.* — Vern. s. *Papaveru. Pupuza.*

Obs. Stirps *Papaveri dubio* ab Auctoribus adsociata quibus hoc describitur foliis pinnatim et bipinnatim divisis, sed a *Papavere dubio* Sm. Engl. bot. tab. 644. et Jacq. Fl. austr. 1. tab. 25., prout ex observatis speciminibus judicium mihi esse potest, sejungenda. In nostro enim folia superiora sensim constanterque minus divisa ac inferiora, pinnatifida aut dentato-pinnatifida laciniis dentibusve ovato-triangularibus aut triangularibus brevibus; in *Papavere dubio* Sm. et Jacq. folia superiora sensim magis divisa ac inferiora, non pinnatifida, sed bipinnatipartita aut trisecta, supremo semper trisecto, segmentis pinnatipartitis, partitionibus linearibus aut lineari-lanceolatis, longis. Neque etsi plurima legerim *Papaveris pinnatifidi* specimina in aridis et in fertilibus ubi planta luxuriat, folia ex eo superiora promi unquam observavi quibus ab ipso ad *Papaver dubium* Sm. intermedius gradus fiat, et quamquam *Papaverum* folia variare consueverunt pinnatim et bipinnatim divisa, tamen ipse modus quo inferiora, ratione superiorum, in *Papavere pinnatifido* et *dubio* constanter se habent, nec non laciniarum in utroque constans forma validum atque specificum inter utrumque discrimen praestare videntur.

Sub Papavere dubio *binas confusas videri species* antehac scripsit clariss. Reichenbachius in Fl. german. excurs. 2. p. 702. Atque superius adductam var. *b Papaveris dubii* Gusson l. c. *foliis caulinis incisis, raro pinnatifidis*, speciem videri propriam ulterius examinandam clariss. Fl. sic. Prod. Auctor. in Suppl. p. 173. constituit.

44. PAPAVER OBTUSIFOLIUM

P. capsula glabra, clavato-obovata subrotundave; staminum filamentis filiformibus; caule patenter, pedunculis adpresse hispidis; foliis inferioribus pinnatipartitis, lobis ovatis, obtusiusculis; supremis trisectis, segmentis pinnatipartitis, partitionibus lineari-lanceolatis linearibusve.

Papaver obtusifolium. Desf. Fl. atl. 1. p. 407. Vig. Hist. Pav. p. 40. DC.! Syst. 1. p. 75. et Prod. 1. p. 118.

Ic. — Papaver dubium. Fl. dan. tab. 902.

β. *minus*, caule pumilo, paucifloro, foliis tenuius divisis.
Papaver Roubiaci. Vig. Hist. Pav. p. 39. DC.! Syst. 2. p. 78. et Prod. 1. p. 119. Presl Fl. sic. 1. p. 32. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 8. et Suppl. p. 173. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. et Fl. nap. 4. p. 306. DC. Fl. fr. Suppl. p. 585.
Ph. Thomas ! Pl. siccat. e Corsica.
P. Rhoeas. β. Lois. Fl. gall. 1. p. 377.

Ic. — Vig. Hist. Pav. ic. 1.

Radix fusiformis. Caulis ut in praecedente. Folia utrinque pilosa, primordialia petiolata, pinnatipartita, partitionibus inciso-pinnatifidis pinnatifidisve ovatis, semper obtusis, radicalia caetera et caulina inferiora pariter pinnatipartita subindeve bipinnatipartita, lobis ovatis, sensim minus obtusiusculis sive ascendendo tenuioribus acutioribusque: folium supremum aut superiora sessilia, trisecta, segmentis pinnatipartitis, partitionibus linearibus vel lineari-lanceolatis, integris aut inciso-pinnatifidis. Pedunculi longissimi (in varietate *minore* aliquis interdum radicalis) setulis adpressis, subindeve, in parte eorum inferiore, erecto-patulis, hispidi. Petala coccinea, paullo minora ac in *Papavere Rhoeade*. Staminum filamenta filiformia, nec dilatata, nigra: pollen flavum. Capsulae glaberrimae, tres-septem lineas longae, clavato-obovatae vel subrotundae, in eademque interdum planta aliae clavato-obovatae, aliae subrotundae, lineis longitudinalibus praeditae, operculo 8-10-radiato. Semina ut in praecedente.

Inter segetes et in pascuis.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Specimina nostra *Papaveris obtusifolii* capsulam praebent minus longam ac pleraeque *Papaveris dubii* (Jacq. Fl. austr. tab. 25.), praeterea lobos foliorum inferiorum paullo latiores et obtusiusculos; sed non dubito quin specimina plura conferenti, intermedia inter utrumque sic occurrant quod ad foliorum inferiorum faciem et capsulae brevitatem, ut liceat *Papaver obtusifolium Papaveri dubio* Jacq. et Sm. tamquam varietatem *brevi-capsularem* adsociare. *Papaver Roubiaei*, in aridis sterilibusve crescens, non differt ab *obtusifolio* nisi caule pumilo et caeterarum partium tenuitate, capsulam plane refert ut in *Papavere obtusifolio*, in eadem et in variis plantis obovato-cuneatam et subrotundam, neque ab *obtusifolio* potest sejungi.

45. PAPAVER RHOEAS

P. capsula glabra, breviter obovata; staminum filamentis filiformibus; caule pedunculisque setulis patentibus hispidis; foliis inferioribus pinnatipartitis, superioribus bipinnatipartitis trisectisve, partitionibus lanceolatis linearibusve.

Papaver Rhoeas Linn. Sp. p. 726. Willd. Sp. 2. p. 1146. Vig. Hist. Pav. p. 36. DC.! Syst. 2. p. 76. et Prod. 1. p. 118.

Desf. Fl. atl. 1. p. 406. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 27. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 91. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 59. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 359. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 446. Presl Fl. sic. 1. p. 32. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 7. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. et Fl. nap. 4. p. 306. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 176. Savi Fl. pis. 2. p. 5. et Bot. etr. 1. p. 150. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 9. All. Fl. ped. 1. p. 292. DC. Fl. fr. 4. p. 632. Lois. Fl. gall. 1. p. 377.

Ic. — Engl. bot. tab. 645. Fl. dan. tab. 1580. Chaum. Fl. med. tab. 134. Iconogr. taurin. vol. 8. tab. 33.

Papaver erraticum primum. Fuchs. Hist. p. 515. ic. ⁂

P. erraticum. Math. Valgr. p. 1057. ic. Dod. Pempt. p. 447. ic. ✶

P. Rhoeas. Lob. Obs. p. 143. ic. ✶ et Icon. p. 275. ic. ✶ (*pilis ascendentibus nec patentibus*).

P. erraticum, rubrum, campestre. J. Bauh. Hist. 3. p. 395. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 450. ic. 4. ⁂ (*mala*).

P. erraticum simplex etc. Moris. Hist. sect. 3. tab. 14. ic. 6. (*minus bona*).
P. erraticum majus. Zannich. Ist. tab. 261. ic. 1. (*varietas gracilis*).

* *angustifolium*, caule crasso, foliorum superiorum laciniis angustissime lineari-lanceolatis, subaequalibus.

Caulis uni-bipedalis. Folia plus minusve pilosa, infima pinnatipartita, superiora bipinnatipartita trisectave, segmentis pinnatim partitis, partitionibus lanceolatis, inciso-dentatis pinnatifidisve, terminali saepe majore. Pedunculi longi, setulis, ut in caule, patentibus hispidi. Petala magna, intense punicea. Staminum filamenta non dilatata. Antherae atro-purpureae. Capsula obovata vel globoso-obovata; operculo in α 10-12, in β 14-16-radiato.

Variat caule simplici ramosove, foliorum lobis latioribus angustioribusve: petalis basi nigris aut immaculatis, puniceis albisve.

Inter segetes frequens: varietas fl. alb. in arvis circa Arcuventu. Varietatem β in arvis circa Oristano legit clarissimus De-Notaris.

Fl. a martio ad junium. ①

Ital. *Papavero salvatico. Reas. Rosolaccio.*

Vern. m. *Pabaùli arrùbiu.* — Vern. s. *Papaveru.* - Alghero *Paparìu.* - Flumini major *Papaòsu.*

Infusum theiforme florum *Papaveris Rhoeados* tamquam diaphoreticum et antispasmodicum frequenter adhibetur. Succus e capsulis ejusdem expressus sedante atque hypnotica vi pollet, sed longe minus ac Opium orientale.

46. PAPAVER SOMNIFERUM

P. glaucum; capsulis glabris, obovatis subglobosisve; staminum filamentis infra apicem dilatatis; caule glabro; pedunculis subsetosis; foliis lobato-dentatis, superioribus semiamplexicaulibus.

Papaver somniferum. Linn. Sp. p. 726. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 359. et Fl. graec. 5. p. 74. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. A.

P. setigerum DC.! Fl. fr. 5. p. 585. Syst. 2. p. 81. et Prod. 1. p. 119. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 173. Tenor. Fl. neap. Syll. App. 3.ª p. 605. Savi Bot. etr. 4. p. 114. Lois. Fl. gall. 1. p. 378.

Ic. — Papaver somniferum Sibth. et Sm. Fl. graec. 5. tab. 491. Papaver setigerum Deless. Icon. select. 2. tab. 7.

β. *sativum*, pedunculis calicibusque glabris; capsulis subglobosis.

* *petalis purpurascentibus; seminibus nigris.*

P. nigrum *offic.*

Ic. — Bull. Herb. tab. 57.

P. nigrum sativum Dod. Pempt. p. 445. ic. 1. ✦

P. nigrum sativum, flore Malvae hortensis aut Paeoniae. Lob. Icon. 1. tab. 274. ic. 1. ✦

** *petalis seminibusque albis.*

P. album *offic.*

Ic. — Engl. bot. 30. tab. 2145. Turp. in Dict. sc. nat. Atl. tab. 177. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. tab. 265. Iconogr. taurin. 34. tab. 9.

Papaver sativum Math. Valgr. p. 1058. ic.

P. sativum tertium Lob. Obs. p. 142. ic. 1. ✦ Dod. Pempt. p. 445. ic. 2. ✦

P. album sativum Lob. Icon. tab. 272. ic. 2. ✦

Radix flexuosa, fusiformis, inferne fibrillas emittens. Caulis pedalis, bipedalis, erectus, glaucus, glaber, 1-4-florus. Folia oblonga, glauca, inaequaliter dentata, facie plerumque glabra, inferne juxta nervos, medio praecipue, hispida: inferiora in petiolum attenuata, superiora sessilia, semiamplexicaulia, auriculis obtusis. Pedunculi longi atque sepala setulis subadpressis plus minusve hispida. Petala ampla, rubro-violacea, apice crenata, versus basim atro-maculata. Staminum filamenta paullulum dilatata, nigra; antherae nigrescentes. Capsula obovata subglobosave. Stigma 6-10-radiatum. Semina nigra.

Planta in sterilibus valde gracilis, caule unifloro, foliis omnibus argute dentatis nec lobatis, dentibus omnibus setigeris; in pinguibus caule elatiore bi-quadrifloro, foliis amplis, lobato-pinnatifidis, dentibus nonnullis subindeve fere omnibus muticis.

In arvis planitiei et in collinis maritimis totius Sardiniae et insularum adjacentium. Var. *sativum* colitur in hortis.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Papavero indiano. Papavero officinale.*

Vern. m. *Pabaùli.* Var. album *Pabaùli biancu.*

Succus *Papaveris somniferi* condensatus Opium est, heroicum notissimum pharmacon: cujus alterum

orientales parant evaporato succo lacteo quem capsulae incisae fundunt (Opium in lacrymis): aliud ex succo expresso e tota planta (Meconium): aliud, infimae notae, e totius plantae decoctione moxque evaporato liquore. Capsulae *Papaveris somniferi* ad usum medicum etiam adhibentur. Semina expressa oleum praebent edule, gratum, nec narcoticum ut reliqua planta, quod in arte graphica caeteris anteponi solet.

Obs. Etsi *Papaver setigerum* cultura hactenus perstitisse traditum sit, tamen e plurimis spontaneae plantae speciminibus judicium eruens, equidem puto ad Papaver somniferum *sylvestre* (*Papaver nigrum sylvestre* veterum) uti jam pridem dubitavit clarissimus De Candolle, spectare. Ob capsulam enim subglobosam, dentes fere omnes muticos nec setigeros universumque plantae habitum, luxuriantia sylvestria nostra specimina cum Papavere somnifero *sativo* congruunt. Pedunculi atque calices paucis interdum setulis sparsi, omnino autem glabri se mihi haud praebuerunt: caeterum Smith Papaver somniferum *sylvestre* in Fl. graec. l. c. caule glaberrimo et superne hispido variare animadvertit. Icon citata Fl. graecae cum robustioribus nostris speciminibus consentiens, a *Papavere setigero* ob dentes plerosque setigeros sejungi nequit.

XV. GLAUCIUM

Glaucium Sm. Fl. brit. p. 563. Juss. Gen. p. 236. DC. Syst. 2. p. 94. et Prod. 1. p. 122. Tourn. Inst. tab. 130. Gaertn. Fr. 2. tab. 115. Chelidonii sp. Linn.

Sepala 2. Petala 4, regularia. Stamina plurima. Capsula siliquaeformis, longa, bivalvis, dissepimento spongioso, bilocularis. Semina plurima, serie unica.

47. GLAUCIUM FLAVUM

G. caule glabro; foliis repandis, inferioribus lyrato-pinnatipartitis, superioribus cordato-amplexicaulibus; siliquis tuberculato-scabriusculis, demum laevigatis.

Glaucium flavum Crantz Fl. austr. 2. p. 141. DC.! Syst. 2. p. 95. et Prod. 1. p. 122.

Presl Fl. sic. 1. p. 33. All.! Fl. ped. 1. p. 290. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 10. Cambess. En. pl. balear. p. 34.

Glaucium luteum. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 357. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 12. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 5. et Suppl. p. 172. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. et Fl. nap. 4. p. 303. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 176. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 155. Lois. Fl. gall. 1. p. 376.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Chelidonium Glaucium. Linn. Sp. p. 724. Willd. Sp. 2. p. 1142. Desf. Fl. atl. 1. p. 405. Forsk. Florul. melit. in Fl. aegyptiaco-arab. p. xiii. Urv. En. pl. archip. p. 56. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 444. Savi Fl. pis. 2. p. 3. et Bot. etr. 2. p. 117. DC. Fl. fr. 4. p. 635.

Ic. — Engl. bot. 1. tab. 8. Fl. dan. tab. 585. Iconogr. taurin. vol. 23. tab. 78.

Papaver corniculatum. Fuchs. Hist. p. 520. ic. ^ Lob. Obs. p. 141. ic. 1.✦ et Icon. tab. 270. ic. 2.✦ Chabr. Sciagr. p. 460. ic. 1. ^

P. corniculatum, flavo flore. Clus. Hist. lib. 5. p. 91. ic. 1.✦

P. corniculatum, majus. Dod. Pempt. p. 448. ic. ✦

P. cornutum. Math. Valgr. p. 1061. ic.

P. corniculatum, luteum. J. Bauh. Hist. 3. p. 398. ^ Moris. Hist. sect. 3. tab. 14. ic. 1.

Glaucium flore luteo. Zannich. Ist. tab. 166.

Caulis ramosus, ramis patulis. Folia glauca, radicalia caulinaque interdum inferiora scabrido-villosa, summa laevia, subindeve omnia cineraceo-tomentosa. Pedunculi oppositifolii, uniflori. Alabastra nutantia, pridie quam pateat flos, erecta. Calix hispidulus, deciduus. Petala rotundata, cuneata, magna, aurea. Capsula siliquaeformis, spithamaea, dodrantalis, curva, tuberculato-scabra, demum laeviuscula. Semina plurima, ovato-reniformia, fusca, pulchre striato-scrobiculata.

In arenosis maritimis Sardiniae et insularum la Maddalena, Tavolara, frequens. Fl. vere, aestate. ②

Ital. *Chelidonia cornuta. Cienerognola. Glaucio. Papavero cornuto. Papavero marino.*

Vern. s. *Papaveru cornutu.* — Vern. m. *Pabaùli cornutu.*

Vulnera recentia, nec inflammata, ex admotis foliis contusis Glaucii flavi ad cicatricem perducuntur ex Girard (Journ. chim. med. 4. p. 230.).

48. GLAUCIUM CORNICULATUM PHOENICEUM

G. caule foliisque pinnatipartitis, pilosis, partitionibus inciso-dentatis pinnatifidisve; siliqua setosa; petalis phoeniceis, macula baseos atra.

Glaucium corniculatum. Curt. Lond. fasc. 6. DC.! Syst. 2. p. 96. et Prod. 1. p. 122. α.

Tenor. Fl. nap. 4. p. 304. Lois. Fl. gall. 1. p. 376.
G. phoeniceum. Crantz Fl. austr. 2. p. 141. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 357. et Fl. graec. 5. p. 72. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 172.
G. rubrum. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. ex Tenor. Fl. nap. l. c.
Chelidonium corniculatum. Linn. Sp. p. 724. Willd. Sp. 2. p. 1143.

Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 444. α. DC. Fl. fr. 4. p. 635.

Ic. — Engl. bot. tab. 1433. Iconogr. taurin. vol. 34. tab. 92. Gaertn. Fr. 2. tab. 115.
Papaver cornutum, phoeniceo flore. Clus. Hist. 2. p. 91. ic. 2.✦ Lob. Obs. p. 141. ic. 2.✦ et Icon. tab. 271. ic. 1.✦
P. corniculatum, rubrum. Dod. Pempt. p. 449. ic. 1.✦
P. corniculatum, phoeniceum, folio hirsuto. J. Bauh. Hist. 3. p. 199. ic. 1.✧ Chabr. Sciagr. p. 460. ic. 3.✧

Radix tereti-fusiformis. Caulis erectus, ramosus, pilosus, pilis patentibus, articulatis. Folia glaucescentia, parce pilosa, pilis, ut in caule, articulatis, radicalia petiolata, caetera sessilia, omnia pinnatipartita, partitionibus inciso-pinnatifidis, laciniis acutiusculis, mucronulatis, terminali majore subtrifida. Pedunculi oppositifolii, uniflori, fructiferi unciam sesqunciam longi. Petala omnino phoenicea, basi macula atra notata, minora ac in praecedente. Siliqua pilis setosis, adpressis undique hispida. Semina matura non vidi.

In maritimis circa S. Elia Cagliari.
Fl. martio, aprili. ①

XVI. CHELIDONIUM

Chelidonium. Sm. Fl. brit. p. 241. Juss. Gen. p. 236. DC. Syst. 2. p. 98. et Prod. 1. p. 122. Tourn. Inst. tab. 116. Gaertn. Fr. 2. tab. 115. Chelidonii sp. Linn.

Sepala 2. Petala 4, regularia. Stamina plura. Capsula siliquaeformis, bivalvis, unilocularis. Semina ad utramque suturam plurima, disticha cristaque glandulosa instructa.

49. CHELIDONIUM MAJUS

C. pedunculis umbelliferis; foliis pinnatisectis, segmentis obtuse lobatis, crenatis; petalis ellipticis, integris.

Chelidonium majus. α. Linn. Sp. p. 723. Willd. Sp. 2. p. 1141.

C. majus. DC. Syst. 2. p. 98. et Prod. 1. p. 123.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 356. Presl Fl. sic. 1. p. 34. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 5. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 254. et Fl. nap. 4. p. 303. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 175. Savi Bot. etr. 2. p. 116. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 10. All.! Fl. ped. 1. p. 290. DC. Fl. fr. 4. p. 634. Lois. Fl. gall. 1. p. 375.

Ic. — Engl. bot. vol. 22. tab. 1581. Fl. dan. tab. 542. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 2. tab. 113. Bull. Herb. tab. 61. Lmck. Ill. tab. 450. ic. 1. Iconogr. taurin. vol. 3. tab. 71.

Chelidonium majus. Fuchs. Hist. p. 865. ic. ⁂ Math. Valgr. p. 628. ic. Dod. Pempt. p. 48. ic. ✦ Lob. Obs. p. 440. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 760. ic. 2. ✦ Chabr. Sciagr. p. 484. ic. 5. ⁂

C. majus, vulgare. Clus. Hist. lib. 6. p. 203. ic. 1. ✦

Chelidonia. J. Bauh. Hist. 3. p. 482. ic. ⁂

Radix fusiformis, ramosa. Caulis bipedalis et ultra, ramosus, tener, pilosiusculus, pilis articulatis, raris. Folia pinnatim secta, facie virescentia laeviaque, subtus glauca, nervis petioloque pilosiusculis, segmentis irregulariter ovatis, lobatis crenatisque, inferioribus petiolatis, superioribus propioribus, terminali apice profundius bitrilobo. Pedunculi solitarii binive, oppositifolii: pedicelli 2-8, umbellati, uniflori, basi bracteati, bracteis exiguis, membranaceis,

ovatis. Calix deciduus, subpilosus, luteolus. Petala aurea, rotundata, cruciata, patentia. Stamina 20-30 antheraeque luteae. Stigma subbifidum. Capsula siliquaeformis, torulosa, glabra, placentis inter valvarum suturas bifiliformibus, inter se fenestratim liberis. Semina plurima, fusca, ovata, (oculo armato) punctato-striata, crista, supra umbilicum, glandulosa, alba. Tota planta succo croceo scatens.

In ruderatis umbrosis, secus muros, et in sylvis Sardiniae centralis.

Fl. majo, junio. ♃

Ital. *Cinerognola. Cenerognola maggiore. Celidonia. Chelidonia maggiore. Erba da porri.*

Vern. m. *Celidonia* - Lanusei, *Erba zerra.*

Chelidonii succus gummi-guttam continet ex Thompson: qua pollet caustica vi ulcerum carnes fungosas, verrucas et herpetes saepe absumit: interno usu opportunis vehiculis exceptus, tum et herbae decoctio drasticorum et diureticorum effectus praestant, quamobrem in hydrope viscerumque obstructionibus laudes obtinuere. Extractum Chelidonii vel succus purus interno usu, magnaque dosi, venenata.

XVII. HYPECOUM

Hypecoum Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 228. Juss. Gen. p. 236. DC. Syst. 2. p. 101. et Prod. 1. p. 123. Tourn. Inst. tab. 115. Gaertn. Fr. tab. 115. Lmck. Ill. tab. 88.

Sepala 2. Petala 4, exteriora 2 majora, interiora saepius tripartita, lacinia media conduplicata. Stamina 4. Styli 2 breves. Capsula siliquaeformis, bivalvis, transverse articulata nodosaque, articulis monospermis.

50. HYPECOUM PROCUMBENS

H. siliquis arcuatis, compressis, articulatis; petalis exterioribus subtrilobis, dorso glabris, basi attenuatis, interioribus tripartitis, lacinia intermedia conduplicata, dentato-ciliata, lateralibus sublongiore.

Hypecoum procumbens. Linn. Sp. p. 181. Willd. Sp. 1. p. 704. Roem. et Schult. Syst. 3. p. 481. DC.! Syst. 2. p. 101. et Prod. 1. p. 123.

Desf. Fl. atl. 1. p. 147. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 24. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 107. et Fl. graec. vol. 2. p. 46. Urv. En. pl. Archip. p. 18.

Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 58. Presl Fl. sic. 1. p. 34. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 197. et Pl. rar. p. 77. Tenor. Fl. nap. 3. p. 165. et Syll. p. 77. Balb. ! Misc. bot. ped. 1. p. 13. Badar. Pl. Ligur. occid. in Moretti. Bot. ital. 1. p. 10. Bertol. Fl. ital. 2. p. 218. DC. Fl. fr. 4. p. 640. Lois. Fl. gall. 1. p. 118.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Fl. graec. 2. tab. 155. Guss. Pl. rar. tab. 14.

Cuminum sylvestre, alterum. Math. Valgr. p. 1309. Lob. Obs. p. 429. ic. 1.✝ et Icon. tab. 744. ic. ✝

Hypecoum legitimum. Clus. Hist. lib. 5. p. 93. ic. 2. ✝

Hypecoum. Dod. Pempt. p. 449. ic. 3. ✝

β. *glaucescens*, foliorum radicalium lobulis obovatis, latioribus.

H. glaucescens. Guss. Pl. rar. p. 79. et Fl. sic. Prod. 1. p. 198. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 78. Bertol. Fl. ital. 2. p. 219.

Ph. Thomas ! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Guss. Pl. rar. tab. 15.

Radix tereti-fusiformis, ad perpendiculum descendens, longa, simplex, fibrillas laterales atque versus apicem agens. Caules procumbentes, ascendentes erective, longitudine palmares pedales et ultra, superne ramos 1-3, axillares emittentes, inferne plane nudi. Folia radicalia plura, longe petiolata, pinnatisecta, segmentis petiolulatis, pinnatim multipartitis, caulina ad originem pedunculorum pedicellorumque (floralia) ex ipsa basi secta, segmentis pinnatim partitis. Petioli planiusculi. Flores subcorymbosi, pedunculis unifloris, aliis axillaribus terminalibusque, raro aliquo laterali, aliis e caulis ramorumque dichotomia; hi illis longiores. Sepala oblonga, acutiuscula, luteo-virentia, apice saepe vix denticulata. Petala exteriora duo, obovata vel oblonga, basi attenuata, versus apicem triloba, lobis lateralibus medio multo minoribus, interdum obsoletis, omnibus ovatis, obtusis: duo interiora angustiora brevioraque; tripartita, laciniis oblongo-linearibus, obtusis, intermedia lateralibus vix longiore, stipitata, conduplicata vel cochleariformi, margine plerumque, saepius autem apice, dentato-ciliata. Staminum filamenta dilatato-membranacea, linearia. Styli duo, breves, stigmate

simplici. Siliqua compressa. Semina semiorbiculata, compressa, fusca. Tota planta glabra, variat foliis plus minusve virentibus vel glaucis, radicalium laciniis obovato-cuneatis, obtusiusculis vel lineari-lanceolatis, acutis.

In pascuis et in arvis maritimis. Var. β. in arenosis litoreis.

Fl. a februario ad majum. ①

Narcoticum ex Dioscoride.

Obs. Hypecoum glaucescens ab *Hypecoo procumbente* specifice discriminari haud posse videntur illius caulis prostratus; color glauco-cinereus; laciniae foliorum radicalium obovato-cuneiformes nec lineari-lanceolatae; petala exteriora oblonga, obsolete triloba, interiora lacinia media fere plana aut vix conduplicata, apice ut plurimum non ciliata, margine non hyalina: variant enim foliorum radicalium laciniae ratione amplitudinis atque longitudinis variantque caetera tradita, quod ex pluribus invicem collatis speciminibus eruo: nonnullaque animadverti specimina, foliis virentibus, laciniis linearibus ad *Hypecoum procumbens*, petalorum autem exteriorum interiorumque forma ad *Hypecoum glaucescens* spectantia; atque vicissim.

ORDO V.

FUMARIACEAE

Fumariaceae DC. Syst. 2. p. 105. et Prod. 1. p. 125. Bartl. Ord. nat. p. 259. Papaveracearum Gen. Juss.

Calix 2-sepalus, sepalis exiguis, planis, deciduis. Corolla decidua, tubulosa, ringens, e petalis 4, inaequalibus, inferne coalitis aut liberis, superiore (galea) in calcar recurvum basi abeunte. Stamina 6, filamentis in phalanges duas oppositas ante petala exteriora connatis, antheris lateralibus cujusque phalangis unilocularibus, intermediis bilocularibus. Ovarium liberum; stylo filiformi, stigmate bilamellato. Pericarpium (in nostris) siccum, globulosum, indehiscens, monospermum (akenium). Albumen carnosum.

Herbae glabrae, tenerae. Folia alterna, decomposita. Racemi spicaeformes; pedicellis bracteola suffultis.

XVIII. FUMARIA

Fumaria DC. Syst. 2. p. 130. et Prod. 1. p. 129. Tourn. Inst. tab. 237. Gaertn. Fr. 2. tab. 115. ic. 2. Fumariae sp. Linn. Juss.

Corolla ringens, galea calcarata: nucula non dehiscens, subglobosa, unilocularis, monosperma.

51. FUMARIA CAPREOLATA

F. nuculis globosis, laevibus; pedicellis fructiferis recurvatis; caule, petiolis cirrhoso-contortis, scandente; foliis bipinnatisectis, inciso-lobatis.

Fumaria capreolata. Linn. Sp. p. 985. Willd. Sp. 3. p. 868. DC.! Syst. 2. p. 133. et Prod. 1. p. 130.

Desf. Fl. atl. 2. p. 155. Forsk. Fl. aegypt. p. lxx. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 98. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 21. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 200. Presl Fl. sic. 1. p. 37. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 354. et Suppl. p. 120. Tenor. Fl. nap. 2. p. 117. et Syll. p. 572. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 232. Savi Fl. pis. 2. p. 129. et Bot. etr. 1. p. 170. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 168. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 10. All.! Auct. ad Fl. ped. p. 20. DC. Fl. fr. 4. p. 639. et Suppl. p. 587. Lois. Fl. gall. 2. p. 100. Cambess. En. pl. balear. p. 34.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Fumaria subcirrhosa, ex alis florigera, segmentis foliorum bilobis, pericarpiis rotundis, monospermis. All.! Fasc. st. sard. in Misc. soc. taurin. 1. p. 94.

Ic. — Savi Mat. med. tab. 1. ic. 1.

Radix fusiformis, tenuis. Caulis bi-quadripedalis et ultra, procumbens vel scandens, ramosus, diffusus, angulosus. Folia bipinnatisecta, segmentis ovatis obovatisve, basi cuneatis, petiolulatis, lobatis incisisve, plerisque tripartitis: petioli cirrhorum more convoluti, prehensiles. Pedunculi oppositifolii, erecti longique, folium subaequantes. Flores dense racemosi, albi, apice atro-purpurei,

petalo superiore ad latera interdum purpurascente. Pedicelli post anthesim recurvo-deflexi, bracteis lineari-lanceolatis, acuminatis, saepe paullo longiores. Calices ovati, denticulati, pellucidi, basi subcordati, versus apicem integri. Staminum filamenta basi dilatata; antherae flavae. Nucula monosperma, indehiscens, laevissima. Tota planta glabra.

Ad sepes et dumeta frequens.

Fl. ab aprili ad junium. (1)

Ital. *Fumosterno bianco.*

Planta amara et acris nec propterea adhibenda iisdem in adjunctis eodemque modo ac Fumaria officinalis.

Obs. De *Fumaria capreolata* DC. Icon. gall. rar. tab. 34. dubium superest num ob racemos densifloros ad *Fumariam capreolatam,* numve ob pedicellos fructiferos omnes erectos ad *Fumariam mediam*, sit referenda.

52. FUMARIA MEDIA

F. nuculis globosis; pedicellis fructiferis erectiusculis, laxis, bractea duplo longioribus; caule erecto; petiolis subcirrhoso-contortis, foliis subbipinnatisectis, incisis, lobatis, lobis oblongo-linearibus.

Fumaria media. Lois. Not. p. 101. et Fl. gall. (ed. 2.) 2. p. 100. DC.! Syst. 2. p. 134. Prod. 1. p. 130. et Fl. fr. Suppl. p. 587. Presl Fl. sic. 1. p. 37. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 354. et Suppl. p. 220. Tenor. Fl. nap. 2. p. 118. et Syll. p. 339. Savi Pugill. agg. al Bot. etr. p. 10.

F. capreolata. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 50.?

F. agraria. Lag.! Cat. hort. matrit. 1816. p. 21.

Ic. — Fumaria capreolata. Engl. bot. tab. 943.

Fumaria major, floribus dilute purpureis. Vaill. Bot. paris. tab. 10. ic. 4. (*flores majores quam in nostra*).

Species dubia mediaque inter praecedentem et sequentem. Accedit ad Fumariam capreolatam habitu; foliorum autem lobis longioribus, lineari-oblongis, angustioribus, racemis laxifloris, pedicellis erectiusculis nec recurvo-deflexis, floribus paullo exiguioribus, nu-

culis (oculo armato) verruculoso-punctatis recedit. Fumariae officinali affinis ob pedicellos erectiusculos et nuculas verruculoso-punctatas, caeterum differt petiolis saepe prehensilibus, foliorum segmentis longioribus latioribusque, habitu proceriore, floribus albidis vel pallide roseis, apice atro-purpureis, nuculis haud retusis.

Ad sepes et in arvis.

Fl. ab aprili ad junium. (1)

Planta amara et acris uti praecedens.

53. FUMARIA OFFICINALIS

F. nuculis globoso-retusis; pedicellis fructiferis erectis; caule erecto; foliis subbipinnatisectis, lobatis, lobis obovatis linearibusve.

Fumaria officinalis. LINN. Sp. p. 984. WILLD. Sp. 3. p. 867. DC.! Syst. 2. p. 135. et Prod. 1. p. 130.

DE BUCH Catal. pl. canar. in Archiv. bot. 1. p. 500. DESF. Fl. atl. 2. p. 124. VIV. Fl. lyb. Spec. p. 39. FORSK. Fl. aegypt. p. LXX. et Fl. arab. p. CXVII. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 98. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 21. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. p. 50. PRESL Fl. sic. 1. p. 38. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 355. et Suppl. p. 220. TENOR. Fl. nap. 2. p. 117. et Syll. p. 339. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 232. SAVI Fl. pis. 2. p. 129. et Bot. etr. 1. p. 169. (*excl. syn.* MICH.) BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 10. ALL. ! Fl. ped. 1. p. 300. DC. Fl. fr. 4. p. 639. LOIS. Fl. gall. 2. p. 100. CAMBESS. En. pl. balear. p. 35.

PH. THOMAS! Pl. siccat. e Corsica.

Fumaria pericarpiis monospermis, racemosis; caule diffuso. VALL. et ALL. Florul. corsic. in Misc. taurin. 1760. 1761. p. 210.

Ic. — BULL. Herb. tab. 189. Fl. dan. tab. 940. CHAUM. CHAMB. et POIR. Fl. med. vol. 4. tab. 73.

Fumus terrae. BRUNF. Herb. 1. p. 99. ic.

Fumaria. TRAG. Stirp. p. 110. ic. FUCHS. Hist. p. 338. ic. ⁂ MATH. Valgr. p. 1158. ic. DOD. Pempt. p. 59. ic. ✦

Capnos Fumaria. LOB. Obs. p. 437. ic. 3. ✦ et Icon. tab. 757. ic. 1. ✦

F. vulgaris. J. BAUH. Hist. 3. lib. 26. p. 201. ic. ⁂ (*pessima*).

Fumaria, Capnus, Fumus terrae. CHABR. Sciagr. p. 377. ic. 5. ✓.
Fumaria vulgaris, latifolia. MORIS. Hist. sect. 3. tab. 12. ic. 9. (*segmentis omnibus oppositis nec satis lobatis peccat*).

β. *major*, foliorum lobis latioribus, obovato-cuneatis; floribus majoribus.
Fumaria major. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 10. REICH. Pl. crit. x. p. 1.
Ic. — REICH. l. c. ic. 1222.

γ. *densiflora*, foliorum laciniis linearibus, brevibus; racemis densifloris.
Fumaria densiflora. DC.! Cat. h. monsp. p. 113. Fl. fr. Suppl. 5. p. 588. Syst. 2. p. 137. et Prod. 1. p. 130. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 356. LOIS. Fl. gall. 2. p. 101.
Fumaria spicata var. ALL.! Fl. ped. 1. p. 300. non LINN.
Fumaria parviflora. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 50. (*excl. syn.*) et Fl. graec. 7. p. 63. tab. 668. (*foliorum laciniis minus tenuibus floribusque minus confertis*).
Ic. — Tab. VI.

Radix tenuis, fusiformis. Caulis pedalis, sesquipedalis, ramosus, angulatus, erectus vel diffusus. Folia pinnatisecta vel saepius bipinnatisecta, segmentis lobatis, incisis, petiolis in α et β nonnumquam versus apicem subcontortis. Pedunculi oppositifolii, erecti, foliis demum longiores: pedicelli erecti, bracteam lanceolato-acuminatam paullo superantes. Sepala basi subintegra vel, in β et γ potissimum, plus minusve dentata. Flores rosei, apice purpurei. Nucula globosa, verruculoso-punctata, retusa. Tota planta glabra, glaucescens.

In agris vulgatissima.
Fl. a februario ad majum. ①
Ital. *Fumosterno rosso. Fumus terrae.*
Vern. m. *Fumisterra.* — Vern. s. *Fumaria* - Macomer, *Cambirugia.*

Fumariae officinalis herba amara, nec acris uti praecedentes species, in ictero, obstructionibus, impetiginibus, febribus intermittentibus vernalibus proficue adhibetur. Recens praestantior, sed et siccata in usum venit.

Obs. Fumaria officinalis densiflora laciniis foliorum racemisque densifloris accedit ad *Fumariam spicatam* LINN., caeterum nucula nequaquam ovato-compressa caeterisque discrepat. A Fumaria officinali *vulgari* non differt nisi traditis notis praetereaque sepalis tubum corollae exilem latitudine excedentibus. *Fumaria parviflora* Fl. graec. tab. cit. racemis minus densifloris, floribus

paullo majoribus foliorumque laciniis minus tenuibus a *densiflora* nostra quodammodo differt et gradum intermedium inter *Fumariam* nostram *officinalem* α et *Fumariam densifloram* DC. Herbar. sic praebet, ut ad utramque pariter referre liceret.

54. FUMARIA PARVIFLORA

F. nuculis globosis, vix mucronulatis; pedicellis fructiferis erectis, laxis; caule diffuso; foliis bipinnatisectis, laciniatis, laciniis linearibus, crassiusculis, subcanaliculatis.

Fumaria parviflora. Willd. Sp. 3. p. 868. DC.! Syst. 2. p. 136. et Prod. 1. p. 130. Sm. engl. Fl. (ed. 2.) 3. p. 255.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

α. *rubriflora*, floribus rubellis aut roseis, apice atro-purpureis.

F. spicata var. All.! Fl. ped. 1. p. 300. non Linn.

Ic. — Engl. bot. tab. 590. (*etsi foliorum laciniae minus tenues, et flores paullo majores ac in nostra*).

β. *albiflora*, floribus candidis, apice atro-purpureis.

Fumaria parviflora. Lmck. Enc. 2. p. 567. Lois. Fl. gall. 2. p. 101. DC. Fl. fr. 4. p. 639. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 232. Tenor. Fl. nap. 2. p. 118. et Syll. p. 339. Presl Fl. sic. 1. p. 58. Cambess. En. pl. balear. p. 35.?

F. leucantha. Viv.! Fl. cors. diagn. 1. p. 12. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 357. et Suppl. p. 220. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 10.

Ic. — Fumaria parviflora. Reich. Pl. crit. cent. 1. ic. 102.

Fumaria Foeniculi tortuosi folio, romana. Bocc. Mus. tab. 102.

F. lobis longioribus et angustioribus, sparsis. Vaill. Bot. paris. tab. 10. ic. 6.

A Fumariae officinalis varietate α et β foliorum laciniis linearibus, exilibus, floribus exiguioribus: ab ejusdem varietate γ laciniis paullo longioribus, floribus laxe racemosis brevioribusque; ab omnibus, nuculis non retusis differt.

In agris cum praecedente, frequens.

Fl. a martio ad majum. ①

Vern. m. *Fumisterra.* — Vern. s. *Fumaria.*

Virtus praecedentis.

Obs. Fumariae parviflorae varietas nostra β *rubriflora* exiguitate atque colore florum perbelle quidem congruit cum *F. Vaillantii* Lois. Fl. gall., ex col-

latis hujus speciminibus parisiensibus e clariss. LOISELEUR, cum nostris sardois, sed differt nostra laciniis foliorum multo tenuioribus, duploque brevioribus, sic ut foliorum facie a varietate β. *albiflora* nullo modo sejungi queat: eadem interea *Fumaria* nostra *parviflora* α. *rubriflora*, flores referens *Fumariae Vaillantii* LOIS., et folia *Fumariae parviflorae* Auctorum cit., gradum inter utramque plane intermedium praebere censenda est.

Nomine *Fumariae spicatae* in ALLIONII Herbario exstat specimen *Fumariae officinalis densiflorae*, aliud *Fumariae parviflorae* WILLD. et aliud (a SEGUIERO) *Fumariae spicatae* LINN. verae.

ORDO VI.

CRUCIFERAE

Cruciferae JUSS. Gen. p. 237. DC. Syst. nat. 2. p. 139. et Prod. 1. p. 131. BARTL. Ord. nat. p. 261.

Sepala et petala 4. Stamina 6, tetradynama. Ovarium liberum. Stylus 1, stigmate subbilobo. Pericarpium saepe capsulare, modo biloculare, bivalve, longum (*siliquosum*); vel breve (*siliculosum*), placentis dissepimenti marginibus adnatis: modo *lomentaceum*, dissepimentis inter semina transversis et in articulos demum secedens: modo *nucamentaceum*, uniloculare, monospermum, indehiscens. Albumen nullum. Embryo oleosus, curvatus. Cotyledones vario modo in radiculam pronae; vel planae, radicula ipsarum fissurae adpressa et *accumbentes* dictae, ex transversa sectione sequentem formam referentes (o=) (*circulo radiculam, lineis parallelis cotyledones significantibus*): vel *incumbentes*, planae, radicula alterius cotyledonis dorso incumbente (o ||); vel *conduplicatae*, ubi incumbentes et juxta longitudinem plicatae, radiculam in sinu fovent (o≫): vel lineares et in spiram convolutae, *spirales* (o|| ||): vel demum lineares bis transverse plicatae, *biplicatae* aut *bicrures* (o|| || ||) appellatae.

Herbae alternifoliae, raro suffrutices. Folia exstipulata. Flores saepe corymbosi, corymbis in racemos demum abeuntibus.

GENERA CRUCIFERARUM

SECTIO I.

LOMENTACEAE

Siliquae aut siliculae juniores aut adultae, transverse in articulos uni-biloculares, mono-polyspermos secedentes.

XIX. RAPHANUS. Siliqua teres, stylo conico acuminata, evalvis, suberosa aut coriacea, transverse multilocularis, juxta longitudinem bilocularis aut dissepimento evanido unilocularis, modo continua, modo isthmis coarctata. Semina globosa. Cotyledones conduplicatae ≫. — Herbae. Folia inferiora petiolata, lyrata. Flores flavi, albi aut purpurascentes.

XX. CAKILE. Siliqua aut silicula biarticulata, articulo inferiore subturbinato, superiore ensiformi, tetraëdro vel ovato. Semen solitarium, in superiore loculo erectum, in inferiore pendulum. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae annuae. Folia crassa, pinnatim divisa. Flores albi aut purpurascentes.

XXI. BUNIAS. Silicula nucamentacea, indehiscens, evalvis, tetraëdra, junior bilocularis, adulta loculis transverse saepe divisis quadrilocularis (in nostra specie ad angulos cristata). Semina in loculis solitaria, subglobosa, cochleata. Cotyledones in spiram convolutae. — Herbae. Folia ima runcinato-pinnatifida. Caulis verrucoso-glandulosus. Flores flavi.

XXII. MORISIA. Silicula biarticulata, coriacea, sero dehiscens. Articuli subglobosi, superior stylo tereti apiculatus, bilocularis, aut abortu unilocularis loculis monospermis; inferior saepius bilocularis, loculis saepe polyspermis, rarissime abortu unilocularis. Semina in superiori loculo pendula erectave, in inferiori pendula aut horizontalia. Cotyledones incumbentes o ||. — Herba perennis, acaulis aut caulescens. Folia pinnatipartita. Petala flava, subemarginata. Pedunculi uniflori, fructiferi deflexi contortique ovarium sub terra abscondentes.

XXIII. RAPISTRUM. Silicula biarticulata, articulis monospermis, inferiore saepe sterili, superiore globoso, striato, stylo filiformi. Semen in fundo loculi superioris sessile, erectum; in loculo inferiore pendulum. Cotyledones conduplicatae ≫. — Herbae. Folia inferiora lyrata indivisave. Flores flavi.

XXIV. CRAMBE. Stamina longiora apice saepius furcata. Silicula coriacea, biarticulata; articulis unilocularibus, indehiscentibus, inferiore abortivo, pedicelliformi; superiore subgloboso, monospermo. Semen, e longo funiculo a fundo loculi originem ducente, pendulum. Cotyledones conduplicatae ≫, profunde emarginatae. — Herbae (apud nos). Folia pleraque lyrata. Flores albi.

SECTIO II.

NUCAMENTACEAE

Siliculae vel capsulae uniloculares. Semen solitarium. Dissepimentum nullum aut fenestratum.

XXV. CALEPINA. Petala exteriora interioribus vix majora. Silicula coriacea, subglobosa, unilocularis, indehiscens, monosperma, stylo brevissimo, conico. Semen globosum, truncatum « Cotyledones incumbentes, curvatae, truncatae, marginibus introflexis, subconduplicatae » DC. — Herba annua, glabra. Folia ima sinuata, sublyrata, caetera sagittato-amplexicaulia. Flores albi.

XXVI. ISATIS. Silicula obverse lanceolata, samaraeformis, unilocularis (rarissime transverse bilocularis), depresso-plana, valvis vix dehiscentibus, carinato-alatis. Semen solitarium, dissepimento fenestrato exceptum. Cotyledones incumbentes o ||. — Herbae glaucescentes, annuae aut biennes. Folia superiora sagittata. Flores lutei.

XXVII. CLYPEOLA. Staminum filamenta dentata. Silicula orbicularis, plana, subemarginata, indehiscens, unilocularis, monosperma; stigmate subsessili. Semen compressum. Cotyledones accumbentes o =. — Herbae annuae, stellato-canescentes. Folia (nostrae sp.) lineari-spathulata. Flores flavi.

SECTIO III.

SILICULOSAE

A. angustiseptae.

Siliculis bilocularibus, bivalvibus, loculis mono-polyspermis; dissepimento sublineari, valvis conduplicato-carinatis aut valde convexis multo angustiore.

XXVIII BISCUTELLA. Silicula complanato-depressa, biscutata, loculis orbiculatis,

e latere axi adnatis, monospermis, stylo loculos longe superante. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae. Flores flavi.

XXIX. Iberis. Petala exteriora interioribus majora. Stamina edentula. Silicula depressa, obcordato-emarginata; valvis navicularibus, compressis, ad carinam marginatis; dissepimento interdum bipartibili; loculis monospermis. Cotyledones accumbentes o=. — Suffrutex (apud nos). Folia crassiuscula. Flores albi aut purpurascentes.

XXX. Teesdalia. Calix fere quadripartitus. Petala aequalia aut inaequalia. Stamina intus, basi, squamula aucta. Silicula ovalis, depressa, apice emarginata; valvis navicularibus ad carinam marginatis; loculis dispermis; stigmate subsessili. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae exiles, annuae. Folia radicalia in orbem jacentia, caulina pauca nullave. Flores albi.

XXXI. Thlaspi. Stamina edentula. Silicula depressa, obcordato-emarginata; valvis navicularibus, ad carinam marginatis; loculis bi- aut saepe polyspermis. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae annuae aut perennes. Folia caulina semiamplexicaulia. Flores albi.

XXXII. Capsella. Stamina edentula. Silicula depresso-complanata, triangularis, obcordato-truncata, immarginata; valvis ad carinam compresso-conduplicatis; loculis polyspermis. Cotyledones incumbentes o ||. — Herba annua. Folia ima saepe pinnatifida; caulina sagittata, semiamplexicaulia. Flores albi.

XXXIII. Lepidium. Stamina edentula. Silicula ovata aut elliptica, depressa, apice integra rarove emarginata; valvis ventricosis aut carinatis, apteris aut dorso subalatis; loculis monospermis, raro polyspermis. Cotyledones incumbentes o || (in *L. petraeo* accumbentes o=). — Herbae aut suffruticuli. Folia varia. Caules teretiusculi, ramosi. Flores albi.

XXXIV. Coronopus. Silicula subindehiscens, didyma; loculis ventricosis, monospermis, dorso cristato-rugosis. Cotyledones incumbentes o ||. — Herbae, plerumque humifusae. Flores albi. Racemi breves, oppositifolii.

B. latiseptae.

Siliculis bivalvibus, bilocularibus, loculis mono-polyspermis; dissepimento ovato, oblongo ellipticove, latitudine valvas convexas planasve fere aequante.

XXXV. Succowia. Petala integra. Silicula globoso-ventricosa; valvis convexis, echi-

natis ; stylo conico-subulato. Semina in utroque loculo solitaria, globosa. Cotyledones conduplicatae ≫. — Herba annua. Foliorum segmenta inciso-dentata aut pinnatifida. Flores flavi.

XXXVI. CARRICHTERA. Petala integra. Silicula ovata ; valvis convexis ; stylo ovato, foliaceo, plano, demum cochleariformi. Semina in quoque loculo 4, globosa. Cotyledones conduplicatae ≫. — Herba annua. Folia subbipinnatipartita, laciniis linearibus. Flores ochroleuci, venis picti.

XXXVII. NESLIA. Petala integra. Silicula coriacea, indehiscens, subglobosa; valvis convexis, indistinctis; septo interdum evanido unilocularis, (abortu) monosperma. Stylus filiformis. Semina globulosa. Cotyledones incumbentes o ||. DC. MONN. GAY: modo accumbentes o=, modo incumbentes o || SCHKUHR. — Herba annua, erecta. Folia inferiora subrepanda, petiolata, caetera acute sagittata sessiliaque. Flores flavi.

XXXVIII. DRABA. Petala integra vel bifida. Silicula compressa, ovalis aut oblonga, integra, valvulis planiusculis. Semina in utroque loculo plurima, disticha, immarginata. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae. Folia indivisa, radicalia conferta. Flores flavi aut albi.

XXXIX. KONIGA. Petala integra. Glandulae hypogynae 8. Staminum filamenta omnia edentula. Silicula compressa, ovalis ; valvis planiusculis ; loculis mono-polyspermis. Semina compressa, marginata. Cotyledones accumbentes o=. — Suffruticulus (apud nos), pilis simplicibus bifidisve, adpressis. Folia integerrima, sublinearia. Flores albi aut purpurascentes.

XL. ALYSSUM. Petala integra aut emarginata. Staminum filamenta omnia aut nonnulla dentata. Silicula compressa, orbicularis, elliptica aut obovata, apice retusa emarginatave; valvis planis aut centro-convexis ; loculis mono-dispermis. Semina compressa, saepe marginata. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae aut suffrutices pilis stellatis. Folia integra. Flores (in nostris) lutei.

SECTIO IV.

SILIQUOSAE

XLI. NASTURTIUM. Calix patens, basi aequalis. Siliqua teretiuscula, brevis aut declinata; valvis convexis, enervibus. Stigma subbilobum. Semina utriusque

loculi irregulariter disticha, immarginata. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae plerumque aquaticae, facile radicantes. Folia (in nostra sp.) pinnatisecta. Flores parvi, albi.

XLII. Cardamine. Calix subpatens, basi aequalis. Siliqua linearis, compressa: valvis planis, enerviis, elastice dissilientibus; stylo brevissimo aut stigmate sessili. Semina monosticha, compressa, immarginata. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae, foliis lobatis aut pinnatisectis. Flores albidi.

XLIII. Arabis. Calix erectus, basi aequalis aut gibbus. Siliqua linearis; stigmate subsessili; valvis planiusculis, nervosis aut venosis. Semina monosticha, marginata aut immarginata, compressa. Cotyledones accumbentes o= (in Arab. Thaliana incumbentes o ||). — Herbae annuae aut perennes. Folia caulina sessilia; radicalia petiolata, oblonga aut obovata, in orbem jacentia. Flores albi aut purpureo-violacei.

XLIV. Barbarea. Calix erectus, basi parum inaequalis. Glandulae nectariferae 4. Siliqua tetraquetro-anceps; valvis convexo-carinatis. Semina monosticha, tuberculoso-punctata, immarginata. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae perennes, glabrae. Folia lyrato-pinnatifida. Flores lutei.

XLV. Cheiranthus. Calix erectus, basi bisaccatus. Siliqua tetraquetra, compressa, longa. Stigma capitatum aut bilobum, lobis dorso haud gibbis. Semina monosticha, compressa. Cotyledones accumbentes o=. — Suffrutex (apud nos). Folia lanceolato-oblonga, indivisa. Flores flavi.

XLVI. Mathiola. Calix erectus, basi bisaccatus. Siliqua teres vel compressa. Stigma bilobum, lobis conniventibus, dorso incrassatis cornigerisve. Semina compressa, monosticha, saepe marginata. Cotyledones accumbentes o=. — Herbae, raro suffrutices. Folia lanceolato-oblonga, indivisa aut sinuato-pinnatifida. Flores purpurei aut albidi.

XLVII. Malcolmia. Calix erectus, basi bigibbus aut subaequalis. Siliqua teres; stigmatibus duobus, conicis, arcte coalitis divisisve. Semina monosticha, immarginata. Cotyledones incumbentes o ||. — Herbae pilis stellatis saepe cineraceo-hirsutae. Folia (nostrae speciei) lineari-oblonga, indivisa. Flores violaceo-purpurascentes.

XLVIII. Sisymbrium. Calix laxus, basi aequalis. Siliqua teretiuscula vel obsolete angulosa; stylo brevissimo aut stigmate sessili. Semina ovata aut oblonga, monosticha, immarginata. Cotyledones incumbentes o ||. — Herbae. Folia pleraque pinnatim (in nostris sp.) divisa lyratave. Flores lutei, raro albidi, parvi.

XLIX. BRASSICA. Calix erectus, plus minusve connivens. Glandulae nectariferae 4. Siliqua teretiuscula, valvis convexis aut nervo medio carinatis. Stylus subconicus aut anceps, mono-dispermus vel aspermus. Semina globosa. Cotyledones conduplicatae ⋙. — Herbae vel suffrutices. Folia infima saepe lyrata. Flores flavi aut albi, venis concoloribus discoloribusve.

L. SINAPIS. Calix patens, basi aequalis. Glandulae nectariferae 4. Siliqua teretiuscula, valvis convexis aut nervo medio subcarinatis; stylo conico-subulato aut ensiformi, mono-di- aut aspermo. Semina monosticha, globosa. Cotyledones conduplicatae ⋙. — Herbae annuae aut biennes. Folia saepe lyrata hirsutaque. Flores flavi.

LI. DIPLOTAXIS. Calix laxus, basi aequalis. Siliqua linearis, compressa; valvis planiusculis, nervo medio longitudinali; stylo conico aut lineari. Semina utriusque loculi disticha. Cotyledones conduplicatae ⋙. — Herbae. Folia (in nostris) lyrato-pinnatifida. Flores flavi, albi aut rosei.

SECTIO I.

LOMENTACEAE

Siliquae aut siliculae juniores aut adultae, transverse in articulos uni-biloculares, mono-polyspermos secedentes.

XIX. RAPHANUS

Raphanus LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 1098. JUSS. Gen. p. 238. DC. Syst. 2. p. 662. et Prod. 1. p. 228. Raphanus et Raphanistrum TOURN. Inst. tab. 114. 115. GAERTN. Fr. tab. 143.

Calix erectus, basi bigibbus. Siliqua teres, stylo conico acuminata, evalvis, suberosa aut coriacea, transverse multilocularis, juxta longitudinem bilocularis aut septo evanido unilocularis, modo continua, modo isthmis coarctata. Semina globosa. Cotyledones conduplicatae ⋙.

+ RAPHANUS SATIVUS

R. siliquis juxta longitudinem bilocularibus, teretibus, fungosis, acuminatis, pedunculo vix longioribus.

Raphanus sativus Linn. Sp. p. 935. Willd. Sp. 3. p. 560. DC. Syst. 2. p. 663. et Prod. 1. p. 228.

Ic. — Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. tab. 292.

α. *Radicula*, radice carnosa, tenera, alba, rosea aut rubra.
* *rotunda*, radice subglobosa.
Ital. *Ramolaccio. Ravanello tondo.*
Vern. m. *Ravanellu.*
** *oblonga*, radice fusiformi-oblonga.
Ic. — Raphanus minor, oblongus. Weinm. Phyt. tab. 860. ic. a. et Raphanus rotundus ic. d.
R. secundus. Math. Valgr. p. 441. ic.
Radicula sativa, minor. Dod. Pempt. p. 676. ic. 2. ✦
Raphanus minor, purpureus. Lob. Obs. p. 99. ic. 4. ✦ et Icon. tab. 201. ic. 2. ✦
Ital. *Ramolaccio lungo.*
Vern. m. *Arreiga. Arrìga.*

β. *niger*, radice carnoso-compacta, acerrima, extus nigra, intus alba.
Raphanus niger. Mérat Fl. paris. (ed. 1.) 2. p. 265.
Ital. *Ramolaccio nero.*
* *rotundus*, radice subglobosa.
Ic. — Raphanus minor, rotundus, niger. Weinm. Phyt. tab. 860. ic. c. et R. niger, major, rotundus. Weinm. Phyt. tab. 861. ic. a.
** *oblongus*, radice fusiformi-oblonga.
Ic. — Raphanus minor, oblongus, niger. Weinm. Phyt. tab. 860. ic. b.
R. niger. Lob. Ic. tab. 202. ic. 1. ⁂
R. niger, radice longa, nigra aut alba. Moris. Hist. sect. 3. tab. 13. ic. 2. ⁂

Caulis erectus, teres, inferne hispidulus. Folia inciso-dentata, inferiora lyrata, hispidula, superiora oblonga glabraque, summa lanceolata. Sepala glabra aut versus apicem subhispida. Petala spathulata, rubra, venis purpureis anastomoticis picta, calice duplo lon-

giora. Pedunculi modo glabri, modo hirsuti, fructiferi semi-patentes. Siliquae ascendentes vel erectae, laeves, fungosae, striis longitudinalibus exaratae, isthmo, raro, coarctatae, pedunculis vix longiores, saepe purpurascentes: stylo conico-subulato. Semina ovata, rubro-fusca, punctata. (*Descriptio ex speciminibus plantae sponte crescentis*)

Colitur in hortis ad usum et spontaneus occurrit in campis aridis insulae S. Pietro.

Var. β. *niger* in hortis culta sed rara. ①

E seminibus Raphani sativi (varietatis praesertim *oleiferae,* radice exili, seminibus uberioribus) oleum pingue elicitur *Raphaneleon* olim appellatum.

55. RAPHANUS RAPHANISTRUM

R. siliquis juxta longitudinem subunilocularibus, demum articulato-moniliformibus, articulis 1-8, monospermis, striatis; stylo supremum articulum, longitudine, multoties superante.

Raphanus Raphanistrum Linn. Sp. p. 953. Willd. Sp. 3. p. 560. DC.! Syst. 2. p. 666. et Prod. 1. p. 229.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 65. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 32. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 188. et Suppl. p. 208. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 308. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 221. Savi Fl. pis. 2. p. 106. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. DC. Fl. fr. 4. p. 643. Lois. Fl. gall. 2. p. 68. Cambess. En. pl. balear. p. 41.

Raphanus Lampsana Gaertn. Fr. 2. p. 300.

Rapistrum arvense All.! Fl. ped. 1. p. 258.

* *floribus flavis.*

Raphanus maritimus Moris Stirp. sard. elench. 2. p. 1.

Ic. — Engl. bot. v. 12. tab. 856. Iconogr. taurin. vol. 10. tab. 4. ic. 1. et vol. 13. tab. 81. Sinapis arvensis Fl. dan. tab. 678.

** *floribus albidis.*

Lampsana Plinii, apula. Col. Ecphr. tab. 263.

Rapistrum flore albo, Erucae foliis. Lob. Ic. tab. 199. ic. 1.

Rapistrum flore albo, striato. J. Bauh. Hist. 2. p. 851. ic. 1. ⅄ Chabr. Sciagr. p. 273. ic. 2. ⅄ Weinm. Phyt. tab. 862. ic. a.

Raphanistrum siliqua articulata, striata, minore. Moris. Hist. sect. 3. tab. 13. ic. 4. (*pessima*).

*** *floribus purpurascentibus.*

Rapistrum flore purpureo. Weinm. Phyt. tab. 862. ic. b.

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caulis semipedalis, bipedalis, erectus, teres, glaucescens, ramosus, setis brevibus, callosa basi insidentibus hispido-scaber, superne plerumque laevis. Folia petiolata, setoso-scabra aut glabriuscula, dentata; inferiora pinnatisecta, lyrata, lobis lateralibus oblongis, obtusis vel acutiusculis, ascendendo sensim majoribus, terminali subovato; superiora indivisa aut sublyrata, oblonga; ramea lineari-lanceolata, in brevem petiolum attenuata. Sepala lineari-oblonga, apicem versus setulis hispida, interdum glaberrima. Petala venis fuscis aut purpurascentibus picta, limbo obovato, in unguem exilissimum attenuato, calice duplo longiora. Stamina calice longiora; antheris sagittato-oblongis, flavis. Pedunculi flore duplo longiores aut ei subaequales, fructiferi semipatentes: racemi demum longi laxique. Siliquae juniores non aut vix striatae, adultae profunde striatae, moniliformes, articulis 1-8, invicem demum secedentibus, stylo conico subulato, articulum ultimum longitudine multo superante. Semina rubro-fusca, punctata.

Variat foliis simpliciter et interrupte lyratis; floribus albis, purpurascentibus, flavis; pedunculis glabris hispidisve; siliqua mono-octosperma, glabra aut versus apicem rostroque strigosa.

In arvis Sardiniae et insularum adjacentium vulgatissimus.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Radicetta salvatica. Rafanistro. Rapastrelli. Ravastrello.*

Vern. m. *Ambulàzza.* — Vern. s. *Lanzana. Arsana. Armurazza.*

Panem e cerealibus confectum cui semina *Raphanistri* admixta sint Raphaniam in Succia producere tradit Linnaeus; ejusdemque *Raphanistri* semina in pullis gallinaceis qui susceperint Raphaniae speciem excitasse narrat.

Obs. Specimina quaedam *Raphani Raphanistri* nostri petalis pallide flavescentibus venisque luteis pictis, valde accedunt ad *Raphanum maritimum* Sm. Engl. bot. v. 23. tab. 1643.; differunt venis petalorum numero majoribus ac in icone Sm. et stylo articulum ultimum, multoties longitudine, superante.

XX. CAKILE

Cakile DC. Syst. 2. p. 427. et Prod. 1. p. 185. Tourn. Inst. tab. 483. Gaertn. Fr. tab. 141. Buniadis sp. Linn.

Calix suberectus, basi bigibbus. Siliqua aut silicula biarticulata, articulo inferiore subturbinato, superiore ensiformi, tetraquetro vel ovato. Semen solitarium in superiore loculo erectum, in inferiore pendulum. Cotyledones accumbentes o=.

56. CAKILE MARITIMA

C. foliis pinnatim bipinnatimve divisis sinuatisve, glaucescentibus, carnosis; lomenti articulo superiore ensiformi.

Cakile maritima Scop. Fl. carn. (ed. 2.) vol. 2. p. 35. Willd. Sp. 3. p. 416. DC.! Syst. 2. p. 428. et Prod. 1. p. 185.

Desf. Fl. atl. 2. p. 77. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 94. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 45. Presl Fl. sic. 1. p. 69. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 192. et Suppl. p. 209. Tenor. Fl. nap. 2. p. 70. et Syll. p. 308. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 211. Savi Bot. etr. 2. p. 176. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 164. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. DC. Fl. fr. 4. p. 718. Lois. Fl. gall. 2. p. 67.

Bunias Cakile. Linn. Sp. p. 936. De Buch Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 500. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 3. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 181. Savi Fl. pis. 2. p. 108. Balb.! Addit. ad Fl. ped. p. 92.

Bunias siliculis ovatis, laevibus, ancipitibus. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taurin. 1. p. 90. et Florul. cors. l. c. p. 206.

Ic. — Bunias Cakile. Engl. bot. tab. 231. Fl. dan. tab. 1168. Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 78.

Cakile Serapionis, Erucae folio, Napi flore, vulgo Eruca marina. Lob. Obs. p. 110. ic. 3. ✦ et Icon. tab. 223. ic. 1. ✦ Donat. De'Semplici p. 33. ic.

Eruca, siliqua torosa. Moris. Hist. sect. 3. tab. 6. ic. 20. ✦

Cakile quibusdam, aliis Eruca marina et Raphanus marinus. J. Bauh. Hist. 2. p. 867. 868. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 277. ic. 5. ⁂

Eruca maritima, italica, siliqua hastae cuspidi simili. C. Bauh. Prod. p. 40. ic. 2. Moris. Hist. sect. 3. tab. 6. ic. 21. (*ex* C. Bauhino).

Cakile maritima, angustiore folio. Zannich. Ist. tab. 13. 177. 189. 193. (*posteriores sine flore*).

β. *sinuatifolia*, foliis sinuato-dentatis, aut sinuato-pinnatifidis.

Cakile aegyptiaca. Willd. Sp. 3. p. 417.

Isatis aegyptia. Forsk. Fl. aegypt. p. 69. 121.

Ic. — Cakile sive Eruca marina latifolia. J. Bauh. Hist. 2. p. 868. ic. 2. Chabr. Sciagr. p. 277. ic. 6. (*eadem ac in* J. Bauhino).

Caules erecti aut diffusi, flexuosi, teretes, ramosi. Folia crassa, alterna, sinuato-dentata aut pinnatifida sive pinnatim bipinnatimve partita, partitionibus angustis, inaequalibus, remotis, obtusiusculis, integris dentatisve. Racemi demum producti. Sepala lineari-oblonga, virentia aut colorata. Petala albo-violacea, limbo obovato. Silicula rhombeo-tetraquetra, biarticulata, articulo inferiore interdum sterili. Semina irregulariter oblonga, laevia, rubro-fusca, paullulum compressa, immarginata, lineis juxta longitudinem in altera facie duabus, in altera unica, exarata. Planta glaucescens, glaberrima.

In arenosis maritimis Sardiniae, insulae Tavolara etc. frequens.

Fl. a vere ad autumnum. ①

Ital. *Baccheroni. Ravastrello. Cakile marina.*

Aperiens et diuretica stirps ex Lemery, Sodam ut aliae complures maritimae stirpes praebet.

Cakile aegyptia Fl. dan. tab. 1583. plantam refert luxuriantem multo magis ac nostra var. β.

XXI. BUNIAS

Bunias Br. in H. kew. (ed. 2.) v. 4. p. 75. DC. Syst. 2. p. 670. et Prod. 1. p. 229. Buniadis sp. Linn.

Calix erectus, basi aequalis. Silicula nucamentacea, indehiscens, evalvis, tetraquetra, junior bilocularis, adulta, loculis transverse saepe divisis quadrilocularis. Semina in loculis solitaria, subglobosa, cochleata. Cotyledones in spiram convolutae.

57. BUNIAS ERUCAGO

B. foliis inferioribus runcinatis, superioribus lineari-lanceolatis, subdentatis; siliculis quadrilocularibus, tetraquetris, angulis cristatis, dentatis.

Bunias Erucago Linn. Sp. p. 935. Willd. Sp. 3. p. 411. DC.! Syst. 2. p. 671. et Prod. 1. p. 230.

Desf. Fl. atl. 2. p. 191. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 2. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 181. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 191. et Suppl. p. 208. Tenor. Fl. nap. 2. p. 68. et Syll. p. 308. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 311. Savi Fl. pis. 2. p. 107. et Bot. etr. 2. p. 175. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. All.! Fl. ped. 1. p. 257. DC. Fl. fr. 4. p. 720.
Erucago segetum. Lois. Fl. gall. 2. p. 66.

Ic. — Jacq. Fl. austr. tab. 340. Gaertn. Fr. 2. tab. 142. Iconogr. taurin. vol. 10. tab. 36. et vol. 20. tab. 71.

Eruca monspeliaca, siliqua quadrangula, echinata. C. Bauh. Prod. p. 41. ic. Moris. Hist. sect. 3. tab. 6. ic. 24.

Sinapi echinatum. J. Bauh. Hist. 2. p. 858. ic. 4. ☆ Chabr. Sciagr. p. 275. ic. 3. ☆ (*sine foliis radicalibus*).

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caulis pedalis, sesquipedalis, basi hispidulus et saepe violaceus, superne glaber, erectus, teretiusculus, ramosus, verrucoso-glandulosus, glandulis scilicet pellucidis, globulosis, tuberculo demum violaceo atque calloso insidentibus. Folia pilis brevibus, plerisque furcatis trifidisve subhispida; radicalia et caulina inferiora petiolata, pinnatisecta aut pinnatifida, runcinata, lobis parce dentatis integrisque acutiusculis, lateralibus triangularibus, terminali ovato aut saepius oblongo; caulina media oblonga aut lanceolata, sessilia; superiora lineari-lanceolata, parce dentata aut integerrima. Sepala oblonga, pilosa, viridilutescentia, margine membranacea. Petala spathulata, obtuse emarginata, lutea, calice duplo longiora. Antherae sagittato-oblongae, flavae. Racemi demum longi laxique, nudi. Pedunculi fructiferi ascendentes aut patuli. Siliculae irregulares, tetraquetrae, in medio

angustatae, sulcatae, verrucoso-glandulosae, ad angulos cristatae, cristis interruptis, dentatis. Stylus tetraëdro-subulatus. Semina cochleata, helvola, glabra.

Inter segetes et in campis frequens.

Fl. martio, majo. ①

Ital. *Cascellore.*

XXII. MORISIA

Morisia Gay in Coll. Hort. ripul. App. 4. p. 50.

Calix erectus, basi vix bigibbosus. Silicula biarticulata, coriacea, sero dehiscens; articuli subglobosi, superior stylo conico-terete apiculatus, bilocularis aut abortu unilocularis loculis monospermis, inferior saepius bilocularis, loculis saepe polyspermis, rarissime, abortu, unilocularis. Semina globosa, in superiore loculo pendula erectave, in inferiore pendula aut horizontalia. Cotyledones incumbentes (o ||), ovato-oblongae, obtusae, altera utrinque plana, altera illinc convexa.

58. MORISIA HYPOGEA

Morisia hypogea Gay l. c.

Sisymbrium monanthos. Viv. Nov. sp. Fl. ital. ad calcem Fl. lyb. Specim. p. 68.

Erucaria hypogea. Viv. Fl. cors. Diagn. p. 11. Append. 1. p. 3. et Append. alt. p. 7. Spr. Syst. veg. 2. p. 916.

Rapistrum hypogeum. Duby. Bot. gall. 1. p. 54.

Ic. — Viv. Fl. cors. Append. 1. ic. 2. (*petalorum limbo obovato, integro, logitudine calicem subaequante*).

* *caulescens.*

Ic. — Tab. vii.

Radix teres, crassa, longa, ad perpendiculum descendens, inferne ramoso-fibrosa. Folia plurima, omnia radicalia (in *caulescente* alia radicalia alia e summitate caulium), in orbem disposita, adpresse hispidula subindeve glabriuscula, facie viridia, subtus pallescentia, pilis

rigidis, pellucidis, inferne potissimum ciliata, pinnatipartita (subindeve pinnatifida vel fere pinnatisecta), partitionibus oppositis, raro alternis, triangularibus aut triangulo-lanceolatis, acutiusculis, apice setigeris, rectis aut deflexis, nonnullis interdum subfalcatis, basi, superne raro, inferne saepe auriculatis, infimis sensim minoribus, terminali subtriloba. Pedunculi plurimi, nudi, uniflori, radicales, et in var. *caulescente* e summo caule prodeuntes, erecti vel ascendentes, unciam et ultra demum longi, foliis subduplo triplove breviores, fructiferi robustiores, contorti, deflexi, subter folia fructum in terra demum abscondentes. Calix erectus, pallens, versus apicem virens, pilis rigidulis, pellucidis sparsus. Sepala oblonga, acuta vel obtusiuscula, apice gibbo-carinata; basi, duo opposita vix gibbosa. Petala flava, unguibus calice paullo brevioribus, limbo cuneiformi, subemarginato, calice sesquilongiore, interdum duplo longiore. Staminum filamenta libera, edentula, pallida, compressa, longiora calicem denique vix superantia. Antherae oblongae, flavescentes, erectae, loculis basi demum divaricatis; pollen flavum. Ovarium ellipticum, compressum, facie utraque juxta mediam longitudinem denique obsolete costatum: stylo crassiusculo, subterete, glabro, virente, stamina longiora fere aequante, stigmate capitato nec bilobo. Glandulas hypogynas vidi duas, longiusculas, lineares, virides, utramque inter ovarium et brevius filamentum positam (quatuor vidit clar. Gay (l. c.): « unam inter ovarium et singulum brevius filamentum, « unam singulo longiorum filamentorum pari interpositam »). Silicula hirsuta, torulosa, coriacea, biarticulata: superior articulus ovato-subrotundus, nunc monospermus, indehiscens (loculo altero abortiente), nunc bilocularis, bivalvis, loculis monospermis, stylo persistente, conico-terete, plerumque paullo brevior: articulus inferior subrotundus, interdum subdepressus, bilocularis, bivalvis, superiore plerumque amplior, loculis 3-5-spermis, subindeve loculis monospermis, vidi etiam uti superiorem, etsi rarius, unilocularem, monospermum, indehiscentem: dissepimenta cartilagineo-membranacea, valvulis parallela: valvulae ventricosae aut subcarinatae. Semina

sphaerica, nigrescentia, laevia, superioris articuli erecta aut pendula, inferioris pendula aut horizontalia.

In var. *caulescente* jacent quidem folia radicalia in orbem disposita nonnullique pedunculi assurgunt radicales, praeterea vero cauliculi, colli radicis propagines, pallidi, crassiusculi, nudi, hirsuti, unciam longi, apice folia nonnulla pedunculosque instar colli radicis, gerentes.

In irriguis humidisve Sardiniae centralis, Campedda Macomer, et in montanis Tonara, Barbargie; a 450. ad 800. metr. circiter supra maris superficiem. Fl. a novembri ad junium. ♃

Folia recentia masticata, Diplotaxim tenuifoliam sapore aemulantur.

XXIII. RAPISTRUM

Rapistrum Crantz Cruc. p. 105. et All. Fl. ped. 1. p. 257. DC. Syst. 2. p. 430. et Prod. 1. p. 227. Crambes sp. Adans. Myagri sp. Linn. Cakiles sp. Herit. Brown.

Calix suberectus, basi bigibbus. Silicula biarticulata; articulis monospermis, inferiore saepe sterili minoreque, superiore globoso, striato; stylo filiformi. Semen in fundo loculi superioris sessile, erectum, in loculo inferiore pendulum. Cotyledones conduplicatae ≫.

59. RAPISTRUM RUGOSUM

R. foliis dentatis, inferioribus repandis lyratisve, obtusis, supremis lineari-lanceolatis; siliculis pubescentibus glabrisve, articulo inferiore demum valde incrassato, tereti-clavato, obconicove pedunculos, longitudine, subaequante; articulo superiore crassiore, subgloboso, rugoso.

Rapistrum rugosum All.! Fl. ped. 1. p. 257. DC.! Syst. 2. p. 432. et Prod. 1. p. 227.

Presl Fl. sic. 1. p. 107. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 189. et Suppl. p. 208. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 308. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13.

Cakile rugosa. Herit. in DC. Fl. fr. 4. p. 719. Lois. Fl. gall. 2. p. 67.

Myagrum rugosum. Linn. Sp. p. 893. Willd. Sp. 3. p. 406. Tenor. Fl. nap. 2. p. 66. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 211. Savi Bot. etr. 1. p. 168. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 162.

M. monospermum. Forsk. Fl. constant. in Fl. aegypt.-arab. p. xxix. ex DC.

Ic. — All. Fl. ped. tab. 78. (*minus bona, ratione articuli siliculae inferioris vix aut neutiquam conspicui*). Iconogr. taurin. vol. 26. tab. 60. (*silicula pubescente*). et vol. 23. tab. 11. (*silicula glabra*).

Rapistrum monospermum. C. Bauh. Prod. p. 37. ic. J. Bauh. Hist. 2. p. 845. ic. ☩ Chabr. Sciagr. p. 273. ic. 3. ☩

Radix tereti-fusiformis, fibras emittens. Caulis sesquipedalis, bipedalis et ultra, erectus, ramosus, inferne pilis setosis, patulis hispidulus, superne glaber. Folia inaequaliter dentata, petiolata, radicalia et caulina inferiora hispidula, saepe lyrata, lobo terminali magno, ovato, obtuso, lateralibus ovatis aut oblongis, obtusis vel acutiusculis, subindeve indivisa, oblongo-obovata; caulina media indivisa aut sublyrata; summa lineari-lanceolata, glabra, brevius petiolata aut basi attenuata. Sepala oblonga, lutescentia subindeve liventia, glabra. Petala calice duplo et ultra longiora, flava, limbo obovato, ungue tenuissimo. Racemi corymbosi, fructiferi valde producti, nudi. Pedunculi breves, fructiferi adpressi. Siliculae erectae: loculo inferiore juniore interdum elliptico, adulto valde incrassato, clavato aut obconico, subanguloso: loculo superiore crassiore, subgloboso. Semina ovato-oblonga, fusca.

Variat siliculis etiam junioribus, etsi raro, glabris, adultis glabris aut pubescentibus, articulo utroque seminifero, vel altero, inferiore saepius, sterili.

Ad vias et in campis, frequens.

Fl. martio, majo. ①

60. RAPISTRUM ORIENTALE

R. foliis dentatis, inferioribus repandis lyratisve, obtusis, supremis lineari-lanceolatis; siliculis, etiam junioribus, glabris; articulo inferiore vix incrassato, terete subclavatove, pedicelliformi, pedunculis fructiferis gracilibus subduplo breviore; articulo superiore globoso, rugoso, sulcato striatove, magno.

Rapistrum orientale DC. Syst. 2. p. 433. et Prod. 1. p. 227. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 308.

Cakile orientalis. HERIT. Diss. Cak. ined. p. 7. ex DC.

Bunias raphanifolia. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 2. et Fl. graec. 7. p. 11.

Myagrum orientale. LINN. Sp. p. 893. WILLD. Sp. 3. p. 406. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 480. FIORINI Append. ad Fl. rom. Prod. p. 16.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 612.

In campis et ad sepes.

Fl. martio, majo. ①

Obs. Stirps faciem a *Rapistro rugoso* alienam prima fronte referens ob articulum siliculae inferiorem gracilem qui superioris globosi valdeque majoris pedicellum aemuletur. Num vero constanti hoc aliisque propositis characteribus a *Rapistro rugoso* specifice differat, equidem dubitaverim: varia enim res, plura *Rapistri rugosi* conferenti specimina, utriusque articuli crassities esse videtur: resque pariter variae sunt silicularum pubescentia et glabrities tum et articuli superioris striae, sulci aut rugae, styli longitudo atque crassities. Specimen vidi in Herbario DC. a claris. STEVENO traditum quod quidem ob siliculae formam cum *Rapistro costato* ejusdem DC. congruit, ob stylum brevem accedit ad *Rapistrum sulcatum* DC., quodque tamen propter silicularum pubescentiam ad *Rapistrum rugosum* a claris. DC. relatum est. Siliculae articulus inferior eo plerumque magis incrassatur una cum pedunculis in *Rapistro* nostro *rugoso*, quo magis hi breves sunt; vicissim in *Rapistro* nostro *orientali* pedunculi paullo longiores quam in *rugoso* vix aut neutiquam incrassantur fructiferi, vixque aut leviter incrassatur siliculae articulus inferior: interea *Rapistrum costatum* et *clavatum* DC. Syst. 2. p. 433-434. et Herbar. ob pedunculos inferiore articulo breviores aut subbreviores atque ob articulum siliculae inferiorem obconicum aut subobconicum, cum *Rapistro* nostro *rugoso* consentiunt, ob siliculas autem, etiam nascentes, glabras earumque articulum

superiorem inferiore valde majorem, accedunt ad *Rapistrum orientale* et iconem Florae graecae citatam aemulantur; quamobrem dubitasse licuerit *Rapistrum rugosum* pro varia forma quam offert in fructu, pro varia hujus aetate, variisque locis in quibus planta vegetat varias species mentiri.

XXIV. CRAMBE

Crambe Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1071. Juss. Gen. p. 242. Br. in H. kew. (ed. 2.) v. 4. p. 72. DC. Syst. 2. p. 650. et Prod. 1. p. 225. Tourn. Inst. tab. 100. Lmck. Ill. tab. 553. Gaertn. Fr. 2. tab. 142.

Calix patens, basi subaequalis. Stamina longiora apice saepius furcata. Stylus subnullus, stigmate capitato. Silicula coriacea, biarticulata; articulis unilocularibus, indehiscentibus, inferiore abortivo, pedicelliformi, superiore subgloboso, monospermo. Semen globosum, e longo funiculo a fundo loculi originem ducente pendulum. Cotyledones conduplicatae, profunde emarginatae.

61. CRAMBE HISPANICA

C. caule inferne retrorsum hispido; foliis hispido-scabris, inaequaliter dentatis, lyratis, lobo terminali cordato-ovato (magno); filamentis longioribus furcatis; siliculae articulo superiore globoso, mutico, inferiore teretiusculo.

Crambe hispanica Linn. Sp. p. 937. Willd. Sp. 3. p. 419. DC.! Syst. 2. p. 655. et Prod. 1. p. 226.

Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 180. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 193.

Ic. — Lmck. Ill. l. c. Myagrum sphaerocarpum. Jacq. Obs. 2. tab. 41. (*bona*). (*in sequentibus siliculae articulus inferior haud conspicuus*).

Rapistrum maximum, monospermum. Corn. Canadens. p. 148. ic. Moris. Hist. sect. 3. tab. 13. ic. penult.

R. maximum, monospermum, gemma lutea, flore niveo. Barr. Ic. tab. 387.

* *major*, caule elatiore, tri-quinquepedali foliisque amplioribus, lobo terminali maximo, saepe reniformi.

Ic. — Iconogr. taurin. vol. 16. tab. 94. (*e planta culta, loboque foliorum*

terminali reniformi). et Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 44. (*lobo foliorum terminali cordato-ovato*).

Radix tereti-fusiformis, inferne fibras agens. Caulis erectus, sulcato-angulatus, retrorsum hispidus, superne glaber, plus minusve ramosus, pedalis, tripedalis et ultra. Folia hispido-scabra, inferiora longius petiolata, pinnatisecta, lobo terminali unciam 1-2 lato, 1 1/2 2 1/2 longo, cordato-ovato aut cordato-orbiculato, inaequaliter dentato-crenatove (in var. *majore*, tres-quinque uncias lato totidemque et ultra longo, saepe reniformi et nonnumquam obsolete lobato), lobis lateralibus utrinque 1-2, ovatis aut oblongis parvis, crenato-dentatis integrisve (in var. *majore* latioribus atque in foliis radicalibus utrinque interdum 3); folia caulina superiora brevius petiolata, saepe indivisa: summa ex basi ramorum floriferorum originem ducentia, sessilia, lineari-lanceolata, exigua, integra aut tenuiter inciso-serrata. Racemi paniculati, demum longi; pedunculi graciles, angulati, ascendentes erective, flore et fructu paullo longiores. Sepala oblonga, glabra, lutescentia, margine membranacea. Petala obovata, integra, alba, ad unguem interdum rosea. Filamenta staminum longiora, nonnumquam rubentia, apice furcata. Antherae ovatae, flavae. Ovarium viridi-rubescens, stigmate sessili. Siliculae articulus superior globosus, laevis, monospermus, inferior multo exiguior, teretiusculus, abortivus, arescens. Semen laeve.

In apricis litoreis rupestribus montis Cea Barì, et ad sepes in maritimis circa Tortolì.

Fl. aprili. ①

Obs. Varietatis nostrae *majoris* quaedam specimina magnitudinem et faciem *Crambes reniformis* Desf. Fl. atl. p. 78. tab. 151. perbelle referunt, sed enim collata cum *Crambe reniformi* Herb. Desf. hanc a nostra *majore* differre animadvertit cl. Adrianus a Jussieu foliis magis membranaceis altiusque dentatis, articulo ovarii inferiore clavato, longiore quam in nostra, longiorum staminum filamentis inferne dilatatis, vixque dentatis, nec apice bifidis, tametsi a Desf. Fl. atl. l. c. dicantur furcata. *Majorem* nostram, varietatem esse *Crambes hispanicae* luxuriantem probatur ab ejus speciminibus sensim majoribus procerioribusque quo planta in solo pinguiori crescit, nec non a simili magnitudine quam quidem *Crambe hispanica* in hortis culta adipiscitur.

SECTIO II.

NUCAMENTACEAE

Siliculae vel capsulae uniloculares. Semen solitarium. Dissepimentum nullum aut fenestratum.

XXV. CALEPINA

Calepina Adans. Fam. 2. p. 423. DC. Syst. 2. p. 648. et Prod. 1. p. 225. Crambes sp. All. Buniadis sp. Murr. Willd.

Calix subpatens, basi aequalis. Petala exteriora paullo majora. Silicula coriacea, subglobosa, unilocularis, indehiscens, monosperma; stylo brevissimo, conico. Semen globosum, truncatum. « Cotyledones incumbentes, curvatae, truncatae, marginibus subre- « flexis subconduplicatae DC. ».

62. CALEPINA CORVINI

Calepina Corvini Desv. Journ. bot. 3. p. 158. DC.! Syst. 2. p. 648. et Prod. 1. p. 225. Lindl. Fl. graec. vol. 7. p. 17. Presl Fl. sic. 1. p. 225. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 194. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 308. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Bunias cochlearioides Murr. in Comm. gott. (1777.) p. 42. ex Syst. veg. (ed. 14.) p. 603. Willd. Sp. 3. p. 413. Urv. En. pl. archip. p. 77. DC. Fl. fr. 4. p. 77. Lois. Fl. gall. 2. p. 66.

Crambe Corvini. All.! Fl. ped. 1. p. 256.

Myagrum erucaefolium. Vill. Hist. 3. p. 279. Sebast. rom. pl. Fasc. 2. p. 59. Savi Bot. etr. 2. p. 174.

Laelia cochlearioides. Pers. Syn. 2. p. 185. Tenor. Fl. nap. 2. p. 69. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 211.

Cochlearia lyrata. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 8.

Cochlearia Corvini. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 180.

Ic. — Fl. graec. vol. 7. tab. 619. Bunias cochlearioides. Waldst. et Kitaib. Pl. rar. Hung. 2. tab. 107. Iconogr. taurin. vol. 13. tab. 102. et vol. 22. tab. 108.
Myagrum antiquorum quorumdam. Moris. Hist. sect. 3. tab. 25. ic. penult. (*mediocris: stylus nullus*).
Thlaspi anglicum, flore albido Corvini. Barr. Ic. tab. 894. ic. 1.
Myagrum supinum, album, Erucae foliis. Barr. Ic. tab. 1252.
(*Icones* Myagro affinis herba J. Bauhini Hist. 2. p. 895. ic. 1. *et* Chabraei Sciagr. p. 284. ic. 1. *huc relatae a cel.* Decandolleo, *ad* Nesliam paniculatam, *meo judicio, ob habitum, caulem hirsutum et fragilem, folia aspera et hirsuta, siliculae formam caeteraque a* J. Bauhino *et* Chabraeo *in descriptionibus memorata, aequius spectare videntur, tametsi plantae, ipsi tribuant flores pallidos.*)

Radix teretiuscula, fibrillas laterales emittens, inferne fibroso-ramosa. Caules teretes, erectiusculi aut diffusi, teneri, simplices ramosive, palmares, pedales et ultra. Folia radicalia et caulina infima sinuato- aut runcinato-lyrata, interdum subintegra, basi attenuata, petiolata, caetera sagittato-amplexicaulia, sessilia, oblonga aut lanceolata, erecta, repando-dentata vel integra, auriculis divergentibus acutisque. Sepala ovato-oblonga. Petala alba, basi lutescentia, exteriora paullo majora. Stamina inclusa, basim versus dilatata. Racemi fructiferi demum valde longi laxique; pedunculi graciles, calice plus minusve longiores, glandulis sessilibus subinde praediti, fructiferi erectiusculi. Fructus nucamentaceus, exiguus, bivalvis quidem sed indehiscens, glaber, demum rugoso-reticulatus. Semen subglobosum. Planta glabra, nitida, variat foliorum amplitudine et caulis crassitie.

In arenosis, herbosis, humentibus submontanis.
Fl. aprili, majo. ①

XXVI. ISATIS

Isatis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1072. Juss. Gen. p. 242. DC. Syst. 2. p. 564. et Prod. 1. p. 210. Tourn. Inst. tab. 100. Gaertn. Fr. tab. 142. Lmck. Ill. tab. 554.

Calix patulus, basi aequalis. Petala aequalia. Stigma sessile. Silicula

obverse lanceolata (samaraeformis), unilocularis, rarissime transverse bilocularis, depresso-plana; valvis vix dehiscentibus, carinato-alatis. Semen solitarium, dissepimento fenestrato exceptum. Cotyledones incumbentes o ||.

63. ISATIS LUSITANICA

I. foliis radicalibus sinuato-dentatis integrisque, subpubescentibus, caulinis summis subvillosis; petalis calice sesquilongioribus; siliculis obverse lanceolatis, obtusis acutisve, 5-7ptics longioribus quam latis.

Isatis lusitanica Linn. Sp. p. 936. et Herb. ex Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 3. et Fl. graec. vol. 7. p. 13.

I. canescens. DC.! Fl. fr. 5. p. 598. Syst. 2. p. 572. *a.* et Prod. 1. p. 211. *a.* Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 201. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 311. Lois. Fl. gall. 2. p. 65.

Ic. — Sibth. Fl. graec. vol. 7. tab. 615. Lmck. Ill. tab. 554. ic. 2.

* *lejocarpa*, siliculis glabris glabratisve.

Isatis aleppica. Scop. Del. insubr. 2. p. 31. tab. 16.?

Radix crassiuscula, ad perpendiculum descendens. Caulis erectus, glaber, teres, superne angulatus, ramosus, bi-tripedalis. Folia radicalia oblonga aut oblongo-obovata, acutiuscula, breviter petiolata, variant hirsuta et fere canescentia, glabra et margine ciliata, integra et sinuata vel sinuato-dentata in eadem planta aut in variis; folia caulina sagittata, auriculis acutis, inferiora oblongo-lanceolata, saepe glabra et remote denticulata, superiora lanceolata, integra, parce villosa aut rarius glabra. Racemi florum paniculati, in summo caule ramisque subcorymbosi. Sepala elliptico-oblonga, viridi-lutescentia. Petala lutea, oblongo-obovata, integra, sepalis sesquilongiora. Pedunculi filiformes, apice incrassati, erecti aut ascendentes, parce villosi aut glabri, fructiferi patuli aut penduli. Siliculae aut siliquae obverse lanceolatae, variant, juniores villoso-canescentes, adultae glabratae, aut omnes villoso-canescentes omnesve glaberrimae, basi regulariter attenuatae, apice stylo api-

culatae, neutiquam emarginatae, acutae vel obtusae, demum pendulae, pedunculis sesqui aut duplo longiores, 1 ½-2 lineas circiter latae, 8-10 longae, monospermae; vidi et nonnullas dispermas, semine altero abortiente. Semen oblongum. Planta glauca.

Inter segetes circa Torralba, Bonorva et Ozieri, altera ex varietatibus promiscue cum altera.

Fl. majo, junio. ②

Isatidis species, Indigoferarum aemulae, colorem coeruleum arti tinctoriae praestant. Veteribus ad hunc usum jam adhibebantur, uti DIOSCORIDES et PLINIUS memorant.

Obs. Specimina gallica *Isatidis canescentis* DC. et sardoa omnino congruunt cum icone et descriptione citata Fl. graecae: specimen *Isatidis canescentis* in Herbario DC. est e planta juniore. — Var. nostra *lejocarpa* propior est *Isatidi tinctoriae* LINN.; sed enim foliis inferioribus saepe sinuato-dentatis, superioribus subvillosis, potissimum vero siliculis constanter quam in *tinctoria* sesquilongioribus et nonnumquam acutis, certe differt. Nec memoratae varietates propter variam quadantenus silicularum formam ad diversas species referendae, siquidem habitu caeterisque characteribus inter se constantissime consentiunt, promiscue crescunt, talesque intermedios quod ad silicularum acutiem et villos offerunt gradus ut altera in alteram manifestissime abire videatur.

XXVII. CLYPEOLA

Clypeola DC. Syst. 2. p. 326. et Prod. 1. p. 165. Clypeolae sp. LINN. JUSS. GAERTN. Fr. 2. tab. 141. ic. 6. Jonthlaspi TOURN. Inst. tab. 99.

Calix basi aequalis. Staminum filamenta dentata. Silicula orbicularis, plana, subemarginata, indehiscens, unilocularis, monosperma. Stigma sessile. Semen orbiculatum, compressum. Cotyledones accumbentes o=.

64. CLYPEOLA JONTHLASPI

C. caulibus diffuso-ascendentibus; foliis lineari-spathulatis; siliculis disco subpubescentibus, margine ciliatis, pendulis.

Clypeola Jonthlaspi LINN. Sp. p. 910. WILLD. Sp. 3. p. 451. DC.! Syst. 2. p. 327. et Prod. 1. p. 165.

Desf. Fl. atl. 2. p. 72. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 15. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 186. Presl Fl. sic. 1. p. 59. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 197. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 309. DC. Fl. fr. 4. p. 690. Lois. Fl. gall. 2. p. 65. Cambess. En. pl. balear. p. 37.

Fosselinia Jonthlaspi. All.! Fl. ped. 1. p. 247.

Clypeola siliculis unilocularibus, monospermis. All. Fasc. st. sard. l. c. p. 91.

Ic. — Cavan. Ic. 1. tab. 34. ic. 2. Lmck. Ill. gen. tab. 560. ic. 1.

Thlaspi alterum, minus, clypeatum, Serpilli folio. Lob. Advers. p. 74. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 215. ic. 1. ✦

Lunaria peltata, minima. J. Bauh. Hist. 2. p. 935. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 294. ic. 3. ⁂

Jonthlaspi minimum, spicatum, lunatum. Columm. Ecphr. tab. 284. ic. 1.

Jonthlaspi clypeatum, Serpilli folio. Moris. Hist. sect. 3. tab. 9. ic. 9. (*a* Columna *deprompta. Siliculae ut in praecedentibus veterum iconibus haud emarginatae*).

Radix tenuis, ad perpendiculum descendens, inferne fibrillas agens. Caules ex ipsa basi saepe ramosi, filiformes, diffusi aut ascendentes, palmares, semipedales. Folia lineari-spathulata, integra, acutiuscula. Flores conferti. Racemi mox producti. Sepala oblonga, concava, extus pubescentia, margine membranacea, sero decidua. Petala angusta, exigua, calicem subaequantia, flava, senescendo albescentia. Pedunculi capillares, recurvi. Silicula pendula, orbicularis, plana, paullo plusquam lineam aut fere duas ampla, apice subemarginata, disco virens vel demum purpurascens, pilis simplicibus, adpressis a centro ad marginem vergentibus subpubescens, margine albo-membranacea, ciliolata. Semen compressum, rufescens, ovato-ellipticum, laeve, funiculo tenui longoque, ad latus, paullo infra apicem siliquae, insertum. Planta pube stellata, molli, canescens.

In apricis aridis, praesertim maritimis.

Fl. a februario ad aprilem. ①

SECTIO III.

SILICULOSAE

A. siliculosae angustiseptae.

Siliculis bilocularibus, bivalvibus, loculis mono-polyspermis; dissepimento sublineari, valvulis conduplicato-carinatis aut valde convexis multo angustiore.

XXVIII. BISCUTELLA

Biscutella Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1084. Juss. Gen. p. 239. DC. Syst. 2. p. 406. et Prod. 1. p. 181. Gaertn. Fr. 2. tab. 141. Thlaspidium Tourn. Inst. tab. 201.

Calix basi aequalis aut bicalcaratus. Petala aequalia. Stamina edentula. Silicula complanato-depressa, biscutata, loculis orbiculatis, e latere axi adnatis ab eoque a basi ad apicem separabilibus, monospermis; stylo loculos longe superante. Semen medio dissepimento adfixum. Cotyledones accumbentes o=.

65. BISCUTELLA COLUMNAE

B. hirsuta; caule superne subglabro; foliis remote serratis, radicalibus spathulatis, caulinis obverse lanceolatis lanceolatisve, supremis integris; calice ecalcarato; siliculis, centro scabris, margine scabro-ciliolatis.

Biscutella Columnae Tenor.! Prod. Fl. neap. p. 38. et Syll. p. 310. DC.! Syst. 2. p. 412. et Prod. 1. p. 182. Lindl. Fl. graec. vol. 7. p. 27.

B. apula. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 16. non Linn.

B. didyma β. Linn. Sp. p. 911. ex DC.

B. ciliata. Moris Stirp. sard. elench. 1. p. 3. non DC.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 162. ic. 1. Reich. Pl. crit. Cent. 7. tab. 612. ic. 833. Fl. graec. vol. 7. tab. 629.

Jondraba alyssoides, apula, spicata. Columm. Ecphr. tab. 284. ic. 1. ✦ Barr. Ic. tab. 253. ic. 1. ✦

Leucojum biscutatum, asperum. Moris. Hist. sect. 3. tab. 9. ic. 12. ✢ (*a* Columna *deprompta, sed mala quod spectat ad flores et siliculas*).

Radix ad perpendiculum descendens, inferne fibrosa. Caulis teres, erectus, hirsutus, superne pilis paucis rarisque praeditus aut glaber, simplex aut ramosus, semipedalis, pedalis. Folia oblonga, hispida, remote serrato-dentata, viridia, radicalia caulinaque interdum inferiora in petiolum breviter attenuata, caetera sessilia, summa lanceolato-linearia, integra. Corymbi florum terminales, in racemum fructiferum, plerumque densum abeuntes. Calix basi fere aequalis, sepalis oblongis. Petala lineari-oblonga, obtusa, pallide lutea. Siliculae biscutatae, quarum lobi sive loculi pilis, nudo oculo, crassiusculis clavatis, brevibus, in centro, iisdemque circa marginem confertioribus praediti, oculo praeterea armato undique denseque pilis tenuissimis brevissimisque adpressis obsiti se praebent. Semina helvola, compressissima, laevia, immarginata.

Variat caule pedali et ultra, e basi, ut in icone Fl. graec. citata, vel superne ramoso, inferne praesertim foliato, foliis obverse lanceolatis; et caule palmari, semipedali, simplici aut vix ramoso, folio uno alterove dumtaxat praedito, ut in icone Reich. Tenor. Columň. citatis.

In pascuis aridis et in apricis collinis montanisque.

Fl. a martio ad majum. ①

Obs. Habitu et silicularum magnitudine ac forma, varietas *Biscutellae Columnae* robustior valde accedit ad *Biscutellam ciliatam* DC. Syst. et. Herbar.; sed enim hujus siliculae omnino in disco laevissimae, oculo ipso armato, se praebent.

XXIX. IBERIS

Iberis Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 83. DC. Syst. 2. p. 393. et Prod. 1. p. 178. Iberidis sp. Linn. Gaertn. Fr. 2. tab. 141.

Calix basi aequalis. Petala exteriora, interioribus majora. Stamina edentula. Silicula depressa, obcordato-emarginata, valvulis navicularibus, compressis, ad carinam marginatis; dissepimento interdum

bipartibili; loculis monospermis. Semen ex apice loculamenti pendulum. Cotyledones accumbentes o=.

66. IBERIS INTEGERRIMA

I. caule basi suffrutescente, ramis ascendentibus, superne brevissime glanduloso-pubescentibus; foliis carnosis, glabris, spathulatis, obtusis, integerrimis aliquove (raro) unidentato; siliculis racemoso-corymbosis, ellipticis, acute obcordato-emarginatis, lobis acutiusculis obtusisve, stylo aequilongis brevioribusve.

Iberis integerrima Moris Stirp. sard. Elench. fasc. I. p. 4.

Ic. — Tab. VIII.

* *minor*, foliis lineari-spathulatis, angustis; floribus siliculisque minoribus.

Planta quadriuncialis, semipedalis. Radix lignosa, extus albido-flavescens, longa, ad perpendiculum descendens, inferne fibras agens. Caules e communi caespite saepe plures, flexuosi, erectiusculi aut diffusi, ramosi, breves. Rami ascendentes, more congenerum striato-angulati, inferne saepe glabrati, superne pilis brevissimis, oculo armato, apice glanduliferis, pubescentes. Folia carnosa, viridia, obtusa, basi instar petioli juxta ramos caulesque leviter decurrentis attenuata, integerrima, raro aliquod unidentatum, inferiora saepius obovato-spathulata, glabra, superiora oblongo- vel lineari-spathulata (in var. *minore* omnia lineari-spathulata, angustiora), oculo armato interdum breviter ciliolata. Flores corymbosi; pedunculi conferti, glandulòso-pubescentes, ascendentes. Sepala elliptica, obtusa, erecto-patentia, disco virentia, margine membranaceo-albescentia aut purpurascentia, integra vel, oculo armato, obiter denticulata. Petala alba, aut purpurascentia, ungue calicis longitudine, limbo obovato, integerrimo, exteriora majora. Staminum filamenta teretia, glabra, unguium longitudine: antherae oblongae, erectae, biloculares, flavae. Stylus staminibus brevior, teres, glaber. Siliculae racemoso-corymbosae, virentes aut purpurascentes, sesquilineam aut fere duas lineas latae, duas et semis aut fere tres longae (in var. *minore* exiguiores, glabrae),

ellipticae, obcordato-emarginatae, lobis modo acutis, modo obtusis, stylo lobos subaequante aut superante. Semina marginata.

In collinis apricis calcareis circa fodinam Monteponi et in summo monte Marganai, Iglesias. Var. *minor* in asperis montanis calcareis Tonneri d'Irgini. Inter 234. et 1000. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, junio. ♄

Siliculis duplo circiter minoribus: folio raro aliquo vix unidentato caeterisque ab affini *Iberide Pruiti* Tin differt.

XXX. TEESDALIA

Teesdalia Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 83. DC. Syst. 2. p. 391. et Prod. 1. p. 178. Guepinia DC. Fl. fr. Suppl. p. 596. Iberidis et Lepidii sp. Linn.

Calix fere quadripartitus, deciduus. Petala aequalia aut inaequalia. Stamina intus, basi, squamula aucta. Silicula ovalis, depressa, apice emarginata; valvulis navicularibus ad carinam marginatis; loculis dispermis: stigmate subsessili. Cotyledones accumbentes o=.

67. TEESDALIA LEPIDIUM

T. petalis aequalibus.

Teesdalia Lepidium DC. Syst. 2. p. 392. et Prod. 1. p. 178. Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 11. Guss. Pl. rar. p. 264. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 312.

Lepidium nudicaule. Linn. Sp. p. 898. Willd. Sp. 3. p. 432.

Thlaspi nudicaule. Desf. Fl. atl. 2. p. 67. Maur. rom. pl. Cent. xiii. p. 33. Lois. Fl. gall. 2. p. 60. DC. Fl. fr. 4. p. 708. var. β.

Guepinia Lepidium. DC. Fl. fr. Suppl. p. 596.

Ic. — Reich. Pl. crit. Cent. 4. tab. 398. ic. 583. 584. Guss. Pl. rar. tab. 46. ic. 1.

Nasturtium minimum, vernum, foliis tantum circa radicem. Magn. Bot. monsp. p. 187. tab. 186.

Radix exilis, fibrosa. Caules (aut scapi) ex eadem saepe radice plures, graciles, simplices, raro-ramosi, bi-tri-quadriunciales, aphylli vel parce foliosi, centrales erecti, laterales ascendentes. Folia ra-

dicalia conferta, erectiuscula, in petiolum attenuata, dentata, sublyrata aut pinnatifida, lobis acutis, quaedam interdum integerrima: folium caulinum nullum aut unum alterumve, lineari-lanceolatum, dentato-pinnatifidum integrumve. Flores minimi. Racemi corymbosi, mox producti. Calicis sepala ovata, viridia aut rubentia, glabra, margine membranacea, basi coalita. Petala spathulato-obovata, aequalia, integra, alba, calice vix longiora. Stamina plerumque quatuor, raro sex; filamentis albis; antheris flavis. Stigma sessile. Pedicelli fructiferi angulo recto patentes. Silicula obovato-orbiculata, glabra, inferne gibba, superne concava. Semina compressa, suborbiculata, laevia. Stirps raro perfecte glabra, foliis radicalibus subinde pilosiusculis, caulinis caulibusque, pilis (oculo armato) rigidulis, patentibus, brevissimis, saepe praeditis.

In collinis et in montanis apricis.

Fl. a februario ad aprilem. ①

XXXI. THLASPI

Thlaspi DC. Syst. 2. p. 373. et Prod. 1. p. 175. Thlaspios sp. Linn. Juss.

Calix basi aequalis. Petala aequalia. Stamina edentula. Silicula depressa, obcordato-emarginata; stylo filiformi, longiusculo aut brevi; valvulis navicularibus ad carinam marginatis; loculis bi- aut saepe polyspermis. Cotyledones accumbentes o=.

68. THLASPI PERFOLIATUM

T. foliis subintegris, radicalibus petiolatis, oblongis ovatisve, caulinis cordato-sagittatis, semiamplexicaulibus; siliculis obcordatis, suboctospermis; stylo brevissimo, lobos non superante.

Thlaspi perfoliatum Linn. Sp. p. 902. Willd. Sp. 3. p. 446. DC.! Syst. 2. p. 378. et Prod. 1. p. 176.

Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 11. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 73. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 8. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 183. Presl Fl. sic. 1. p. 62. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 215. Sebast. et Maur. Fl. rom.

Prod. p. 213. SAVI Bot. etr. 2. p. 180. ALL.! Fl. ped. 1. p. 249. DC. Fl. fr. 4. p. 710. LOIS. Fl. gall. 2. p. 60.

T. arvense, perfoliatum, majus. ALL. Fasc. stirp. sard. in Misc. taur. 1. p. 101.

Ic. — Engl. bot. 33. tab. 2354. JACQ. Fl. austr. tab. 337. Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 49. ic. 1. 2.

Thlaspi alterum, mitius, rotundifolium. COL. Ecphr. tab. 276. ic. 2.

T. arvense, perfoliatum, majus et minus. MORIS. Hist. sect. 3. tab. 17. ic. 15. 16.

Bursa pastoria foliis Perfoliatae. J. BAUH. Hist. 2. p. 938. ic. ⁂ CHABR. Sciagr. p. 295. ic. 1. ⁂

Thlaspi cordatum, minus, flore albo, insipidum. BARR. Ic. tab. 815. (*stylus ut in iconibus cit.* CHABR. BAUH. *et* MORISONI *nullus*).

* *simplicissimum*, caule solitario, simplici, exili.

Radix fibrosa. Caules palmares, semipedales, ex eadem radice unicus pluresve, plerumque ramosi, teretes, striati. Folia integra vel obsolete dentata; radicalia petiolata, obtusa, oblonga, ovata aut orbiculata; caulina alterna, ovato-oblonga, cordato-sagittata, semiamplexicaulia, acutiuscula, radicalibus plerumque latiora. Sepala ovata, disco-virentia aut colorata, margine albo-membranacea. Racemi terminales, demum longi. Petala oblongo-spathulata, alba, obtusa, integra, calice subduplo longiora. Stamina petalis breviora, calicem paullo superantia. Pedunculi fructiferi angulo recto patentes, inferiores silicula longiores. Silicula glabra, obcordata, lobis stylum brevissimum saepe multo superantibus, 4-8-sperma. Semina vix compressa, ovata, helvola, laevia. Planta glaucescens, glabra.

In summis jugis montis calcarei Oliena; fl. majo. Var. *simplicissimum* in saxosis calcareis maritimis circa S. Elia Cagliari; fl. a februario ad aprilem. ⓘ

Ital. *Erba montanella. Tlaspi perfogliato.*

69. THLASPI RIVALE

T. foliis radicalibus obovatis oblongisve, obsolete crenatis, petiolatis, caulinis subsagittato-cordatis, semiamplexicaulibus; siliculis cuneato-ellipticis, 4-8-spermis; stylo brevissimo, lobos non superante.

Thlaspi? rivale. PRESL Delic. prag. 1. p. 12. et Fl. sic. 1. p. 62. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 216.

T. alpestre var. *pumilum* Balb. Herbar. ex Soleirolii! Specimin. e Corsica.

Ic. — Tab. IX. ic. 1.

— *minus*. Tab. IX. ic. 2.

Radix ad perpendiculum descendens, inferne fibras agens. Caules ex eadem radice unicus vel saepius plures, simplices aut basi ramosi, erectiusculi, teretes, striati, uni-biunciales aut fere semipedales. Folia carnosula, glaucescentia, radicalia conferta, in orbem jacentia, obovata aut oblonga, obtusa, petiolata, obsolete crenata; caulina inferiora radicalibus saepe similia; caetera integra, oblonga, acutiuscula, sessilia, semiamplexicaulia, subsagittato-cordata. Flores primum corymbosi, racemi mox producti. Sepala ovata aut ovato-oblonga, in centro virentia, interdum colorata, margine albo-membranacea. Petala alba, lineari-spathulata, calice fere duplo longiora. Stamina calicem superantia, petalis breviora, filamentis albis, antheris luteis (numquam purpurascentibus). Pedunculi filiformes silicula ut plurimum breviores. Silicula glabra, cuneato-elliptica, lobis saepe conniventibus, stylo brevissimo vel lobos aequante, vel plerumque breviore, numquam exserto. Semina ovoidea, helvola, glabra, laevia. Planta glabra.

In pascuis editis montis Genargentu: a 1700. ad 1750. metr. supra maris superficiem.

Fl. junio. ♃

Obs. Thlaspios rivalis petala, in sardois speciminibus, calice sesqui- aut fere duplo longiora, stamina petalis constanter breviora; cum autem haec varient, namque clariss. Gussonius l. c. stamina petalis aequalia, petala calice vix longiora *Th. rivali* adscripsit, sequitur constantiorem in antheris flavis et in stylo (ut in *Th. perfoliato*) brevissimo collocandum esse nostrae plantae characterem quo a *Thlaspi alpestri* aliisque affinibus perennibus distinguatur. *Thlaspios alpestris* complura mihi observata specimina, antheras rubellas vel purpureas, quales ab Auctoribus memorantur et stylum constanter exsertum praebuere: accedit quod specimina *Thlaspios rivalis* culti quae mihi benevole tradidit erfurtensis Professor praeclarissimus Bernhardius, characteres a styli brevitate et antherarum colore flavo depromtos, cultura perstitisse luculenter ostendant.

XXXII. CAPSELLA

Capsella VENT. Tabl. 3. p. 110. DC. Syst. 2. p. 383. et Prod. 1. p. 177. Thlaspios sp. LINN. Bursa pastoris TOURN. Inst. tab. 103.

Calix basi aequalis. Petala aequalia. Stamina edentula. Silicula depresso-complanata, triangularis, obcordato-truncata, immarginata; valvulis ad carinam compresso-conduplicatis; loculis polyspermis. Cotyledones incumbentes o ‖ .

70. CAPSELLA BURSA PASTORIS

Capsella Bursa pastoris MOENCH. Meth. p. 271. DC. Syst. 2. p. 384. et Prod. 1. p. 177.

ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 45. PRESL Fl. sic. 1. p. 86. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 11. CAMBESS. En. pl. balear. p. 38.

Thlaspi Bursa pastoris LINN. Sp. p. 903. WILLD. Sp. 3. p. 447.

DESF. Fl. atl. 2. p. 68. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 8. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 183. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 214. et Suppl. p. 211. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 571. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 213. SAVI Fl. pis. 2. p. 90. et Bot. etr. 2. p. 181. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 163. ALL. Fl. ped. 1. p. 250. DC. Fl. fr. 4. p. 709. LOIS. Fl. gall. 2. p. 61.

Ic. — Thlaspi Bursa pastoris Engl. bot. 21. tab. 1485. Fl. dan. tab. 729. LMCK. Ill. tab. 557. ic. 2. Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 1. ic. 1. et tab. 2. ic. 1.

Pastoria Bursa. FUCHS. Hist. p. 611. ic. ⁂ DOD. Pempt. p. 103. ic. 1. ✦

Bursa pastoris. MATH. Valgr. p. 569. ic. LOB. Obs. p. 110. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 221. ic. 1. ✦

B. pastoria. J. BAUH. Hist. 2. p. 936. ic. ⁂ CHABR. Sciagr. p. 295. ic. 1. ⁂ (*silicularum forma haud conspicua*).

B. pastoris major, folio sinuato. ZANNICH. Ist. tab. 244.

Radix fusiformis, ad perpendiculum descendens, fibras laterales emittens. Caulis ex eadem radice unicus aut plures, simplex aut saepius ramosus, erectus, teres, pilis simplicibus vel stellatis plus minusve hirsutiusculus, palmaris, pedalis et ultra. Folia pilis stel-

latis (oculo armato) hirsuta, radicalia in orbem disposita caulinaque saepe inferiora petiolata, pinnatifida aut pinnatipartita, lobis triangularibus aut raro lanceolatis, antice potissimum dentatis, terminali majore: caetera oblonga vel oblongo-lanceolata, basi sagittato-amplexicaulia, integra aut serrata. Sepala ovato-oblonga, margine membranacea, apice interdum colorata et pilosiuscula. Petala oblongo-obovata, alba, sepalis parum longiora, integra. Antherae sagittato-ovatae, flavae. Racemi florentes, primo corymbosi, fructiferi demum longi laxique. Pedunculi filiformes, fructiferi patentes, silicula multo longiores. Silicula glabra, triangularis, obcordato-truncata. Semina oblonga, glabra, hinc gibba, illinc bisulcata. Variat foliis indivisis.

Ad vias, in ruderatis, in pascuis et in arvis vulgatissima.

Fl. omni anni tempore. ①

Ital. *Borsa di pastore. Borsacchina.*

Vern. s. *Borsa di pastori. Isperra-calzones.*

XXXIII. LEPIDIUM

Lepidium et Hutchinsiae sp. Br. in H. kew. (ed. 2.) v. 4. p. 82. 85. DC. Syst. 2. p. 384. 527. et Prod. 1. p. 177. 203.

Calix basi aequalis. Petala aequalia. Stamina edentula. Silicula ovata aut elliptica, depressa, apice integra rarove emarginata; valvulis ventricosis aut carinatis, apteris aut dorso subalatis; loculis monospermis, raro polyspermis. Cotyledones incumbentes o || (in L. petraeo accumbentes o=).

a. *Siliculae loculis 2-8-spermis.*

71. LEPIDIUM PROCUMBENS

L. caule diffuso foliisque glabris, pinnatipartitis, lyratis indivisisque, summis linearibus; petalis calice vix longioribus; siliculis elliptico-oblongis, obtusis, loculis 6-8spermis; stigmate sessili.

Lepidium procumbens. Linn. Sp. p. 898. Willd. Sp. 3. p. 432.

All.! Fl. ped. 1. p. 252. DC. Fl. fr. 4. p. 706. Lois. Fl. gall. 2. p. 57.

Hutchinsia procumbens DESV. Journ. bot. 3. p. 168. DC.! Syst. 2. p. 390. et Prod. 1. p. 178.

PRESL Fl. sic. 1. p. 63. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 207. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 11.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Nasturtium pumilum, supinum, vernum. MAGN. Bot. monsp. tab. 184.

Radix tenuis, longa, fibras inferne emittens. Caules ex eadem saepe radice plures, graciles, teretes, glabri, plerumque ramosissimi, erecti vel adscendentes decumbentesve, raro omnino procumbentes, palmares, dodrantales. Folia crassiuscula, variant, radicalia et inferiora nonnulla interdum indivisa, pleraque vero lyrata seu pinnatipartita, partitionibus spathulatis, lineari-oblongis aut obverse lanceolatis, caulina media nonnumquam pinnatifida, superiora subindivisa lineariaque. Flores exigui, primo dense corymbosi, moxque racemi fructiferi producti laxique. Sepala concava, elliptica, obtusa. Petala alba, integra, vix calicem superantia. Pedunculi filiformes, fructiferi patentes, silicula subduplo longiores. Silicula elliptico-oblonga, glabra, compressa, obtusa, subindeve obsolete emarginata; stigmate sessili. Semina in quoque loculo 6-8, raro plura, elliptica, utrinque saepe sulcata, laevia, rufescentia.

In arenosis maritimis Cagliari la Scaffa, S. Antioco, insulae Carloforte: frequentissimum.

Fl. hyeme. ①

72. LEPIDIUM PETRAEUM

L. caule puberulo; foliis pinnatipartitis, glabris; petalis calice vix longioribus; siliculis ellipticis, obtusis, loculis dispermis; stigmate sessili.

Lepidium petraeum LINN. Sp. p. 899. WILLD. Sp. 3. p. 434.

SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 5. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 182. SAVI Bot. etr. 2. p. 177. MAUR. rom. pl. Cent. 13. p. 31. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 162. et Fl. alp. apuan. ibid. p. 384. ALL.! Fl. ped. 1. p. 252. DC. Fl. fr. 4. p. 706. LOIS. Fl. gall. 2. p. 57.

Hutchinsia petraea Br. in H. kew. (ed. 2.) v. 4. p. 82. DC. Syst. 2. p. 389. (*errore typographico* Lepidium) et Prod. 1. p. 178.

Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 206. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 312. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. Cambess. En. pl. balear. p. 37.

Ic. — Jacq. Fl. austr. 2. tab. 131. Engl. bot. 2. tab. 111. Iconogr. taurin. vol. 45. tab. 56.

Cardamine pusilla, saxatilis, montana, discoides. Columm. Ecphr. tab. 273. ic. ✦ (*bona*).

Nasturtium pumilum, vernum. Moris. Hist. sect. 3. tab. 19. ic. 6. ✦ (*ex* Columna, *sed petala nimis ampla*).

Radix ut in praecedente. Caules graciles, teretes, ex eadem saepe radice plures, sesquiunciales, palmares, puberuli, simplices aut ramosi, ramis patulis. Folia profunde pinnatipartita, crassiuscula, glabra, partitionibus exiguis, integris, petiolulatis, utrinque 3-4, oppositis alternisve cum impari; radicalia et inferiora petiolata, partitionibus subovatis, acutis, caulina caetera ad ramorum divisiones sessilia, partitionibus exiguioribus, lineari-oblongis lanceolatisve. Flores dense corymbosi. Racemi mox producti. Sepala ovato-elliptica, patula, interdum purpurascentia. Petala exigua, alba, obsolete emarginata, calicem vix superantia. Antherae flavae. Pedunculi filiformes, fructiferi patentes, silicula subduplo longiores. Silicula elliptica, glabra, compressa, obtusa, saepe obsolete emarginata; stigmate sessili. Semina in quoque loculo bina, ovato-elliptica, laevia, utrinque saepe sulcata, rufescentia.

In apricis calcareis Tonneri d'Irgini et summi montis Oliena; 1000-1330. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo. ①

b. *Siliculae loculis 1-spermis.*

73. LEPIDIUM GRAMINIFOLIUM

L. caulibus ramisque virgatis; foliis radicalibus infimisque lyrato-pinnatifidis, caeteris lineari-lanceolatis linearibusve, integerrimis

nonnullisve unidentatis; floribus hexandris; siliculis ovato-ellipticis, apteris, glabris (non emarginatis), stylo brevi superatis.

Lepidium graminifolium Linn. Sp. p. 900. Willd. Sp. 3. p. 438.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 7. et Fl. graec. vol. 7. p. 15. (*excl. syn.* Math.). Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 210. et Suppl. p. 210. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 313. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 213. Savi Bot. etr. 2. p. 178.

L. Iberis DC.! Syst. 2. p. 550. (*excl. exclud.*) et Prod. 1. p. 207.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 51. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 182. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 163. All.! Fl. ped. 1. p. 253. Lois. Fl. gall. 2. p. 59.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

L. lanceolatum. Presl Fl. sic. 1. p. 82.

Ic. — Fl. graec. vol. 7. tab. 618. Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 65.

Iberis. J. Bauh. Hist. 2. p. 918. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 296. ic. ⁂

(*Icones* Iberis Dod. Pempt. p. 715. ✦ Iberis cardamantica Lob. Obs. p. 111. ✦ et Icon. 1. p. 223. ✦ *ad nostram speciem fortasse spectant, tametsi folia radicalia et infima serrata dumtaxat, nec lyrato-pinnatifida referant:* Iberis Math. Valgr. p. 293. ic. *habitu a nostra planta differre videtur.*)

Radix tereti-fusiformis, lignescens, ad perpendiculum descendens. Caules basi suffrutescentes, erecti, virgati, graciles, glabri, foliosi, pedales, bipedales et ultra, ramis alternis ascendentibus aut divergentibus. Folia radicalia et caulina infima lyrato-pinnatipartita, in petiolum canaliculatum, basi breviter ciliatum, attenuata, lobo terminali (apud nos), oblongo vel oblongo-lanceolato, acuto, modo serrato, modo integro; folia caetera lineari-lanceolata, sensim angustiora, superiora linearia, omnia basi vix ciliata, caeterum glabra, pleraque integerrima nonnullaque versus apicem vel utrinque vel altero dumtaxat latere unidentata. Racemi in summo caule ramulisque terminales, florentes corymbosi, fructiferi valde producti laxique. Sepala ovata, obtusa, albida, versus apicem violacea. Petala alba subindeve purpurascentia, limbo obovato, calice fere duplo longiora. Stamina sex, antheris luteis. Pedunculi filiformes, fructiferi erecto-patentes, sparsi, silicula duplo longiores. Silicula glabra, ovato-elliptica, acuta, stylo superata modo lineam fere di-

midiam longo, modo breviore. Semina ovato-elliptica, rufa, utrinque bisulcata.

Ad vias locis aridis et in ruderatis Cagliari, Sassari etc.
Fl. aestate. ♃

74. LEPIDIUM LATIFOLIUM

L. caule erecto, glaucescente; foliis imis ovato-oblongove lanceolatis, subserrato-dentatis, summis lanceolatis integrisque; siliculis apteris, ovato-orbiculatis, villosis, apice subintegris, stigmate subsessili superatis.

Lepidium latifolium Linn. Sp. p. 899. Willd. Sp. 3. p. 436. DC.! Syst. 2. p. 548. et Prod. 1. p. 207.

Desf. Fl. atl. 2. p. 66. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 95. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 6. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 209. Savi Bot. etr. 2. p. 179. All.! Fl. ped. 1. p. 253. DC. Fl. fr. 4. p. 704. Lois. Fl. gall. 2. p. 58.
Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Fl. dan. tab. 557. Engl. bot. 3. tab. 182. (*ramulus florifer absque siliculis*). Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 66.
Lepidium. Trag. Hist. p. 88. ic.
Lepidium. Fuchs. Hist. p. 484. ic. ✧ (*florifera sine fructibus*).
Lepidium Piperitis. Math. Valgr. p. 609. ic.
Lepidium Plinii. Dod. Pempt. p. 716. ic. 1. ✦
Raphanus sylvestris officinarum. Lob. Obs. p. 172. ic. 4. ✦ et Icon. tab. 318. ic. 2. ✦
Lepidium Pauli. J. Bauh. Hist. 2. p. 940. ic. 1. ✧ (*pessima*).
Lepidium Pauli et Plinii, Piperitis. Chabr. Sciagr. p. 296. ic. 5. ✧ (*pessima*).
Lepidium latifolium. Moris. Hist. sect. 3. tab. 21. ser. 2. ic. 1. (*mala*).

Radix valde crassa, obliqua. Caules teretiusculi, leviter striati, glabri, bi-tripedales et ultra, superne ramosi, ramis ascendentibus. Folia pallide virentia aut glaucescentia, ima ovato- aut oblongo-lanceolata, serrato-dentata vel integra, plus minusve saepe pubescentia radicaliaque longius petiolata, interdum subcanescentia nonnullaque sinuato-lobata; caulina summa sessilia, integra, lanceolata, glabra. Racemi conferti, foliosi, paniculati. Sepala ovato-elliptica, concava,

dorso pilis aliquot praedita, viridia aut purpurascentia, margine et apice albo-membranacea. Petala alba, sepalis duplo longiora, limbo elliptico, integro. Antherae ovatae, flavae. Pedicelli capillares, fructiferi erecto-patentes, silicula multo longiores. Silicula ovato-orbiculata, subcompressa, villosa, apice integra vel obsolete emarginata, stigmate obtuso, subsessili superata. Semina ovato-orbiculata, compressa, rufa, utrinque bisulcata. Caulis rami pedicellique pulvere glauco adspersi.

In udis palustribusve Ariola, Cabras, Siamanna, Alghero.

Fl. junio, julio. ♃

Ital. *Erba mostardina. Erba pepe. Lepidio di Paolo e di Plinio. Mostarda peperella.*

Herba acris: in acetariis adhibita. Ejus radix perinde ac illa Cochleariae Armoraciae (Raphani rusticani off.) ad condimenta in arte culinaria paranda adhibetur.

75. LEPIDIUM DRABA

L. pubescens; caule erecto, angulato; foliis oblongis, subdentatis, caulinis sagittato-amplexicaulibus, inferioribus in petiolum attenuatis; siliculis apteris, cordatis, subturgidis, apice integris, stylo superatis.

Lepidium Draba Linn. Sp. (ed. 1.) p. 645. DC.! Syst. 2. p. 529. et Prod. 1. p. 203.

Decaisn. Florul. sinaic. in Ann. sc. natur. (ann. 1835.) 3. p. 272. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 182. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 208. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 312. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 12. Cambess. En. pl. balear. p. 38.

Cochlearia Draba Linn. Sp. (ed. 2.) p. 904. Willd. Sp. 3. p. 451.

Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 95. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 9. Urv.! En. pl. archip. p. 77. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 212. Savi Bot. etr. 2. p. 182. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 163. All.! Fl. ped. 1. p. 255. DC. Fl. fr. 4. p. 702. Lois. Fl. gall. 2. p. 64.

Lepidium foliis lanceolatis, amplexicaulibus, dentatis. Vall. et All. Florul. cors. in Misc. soc. taur. 2. p. 212.

Ic. — Jacq. Fl. austr. tab. 315. Iconogr. taurin. vol. 19. tab. 67. (*minus bona*). Arabis sive Draba. Math. Valgr. p. 571. ic. (*foliis inferioribus semiamplexicaulibus, sessilibus*).

Draba seu Arabis latifolia, flore albo — et Draba angustifolia, babylonica, flore albo. Barr. Ic. tab. 213. ic. 1. 2. (*folia magis dentata quam in nostra planta*).

(Draba 1 vulgaris Clus. Hist. lib. 5. p. 124. ic. 2. ✦ *et* Arabis sive Draba Lob. Obs. p. 111. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 224. ic. 1. ✦ *spectant ad var. foliis integerrimis quam in Sardinia non vidi.*)

Radix longa, teretiuscula, ad perpendiculum descendens, fibras laterales agens. Caulis erectus, pubescens, angulatus, basi plerumque simplex, apice ramosus, ramis subcorymbosis. Folia oblonga, erecto-patentia, subtus potissimum cineraceo-pubescentia, parce dentata nonnullaque subrepanda; radicalia et caulina inferiora in petiolum attenuata, caetera sagittato-amplexicaulia. Sepala ovalia, vix patentia, concava, margine albo-membranacea. Petala alba, spathulata, patentia, integra (vidi interdum aliquot emarginata), calice duplo longiora. Antherae sagittato-ovatae, flavae. Racemi corymbosi, demum producti. Pedunculi filiformes, fructiferi erecto-patentes, silicula multo longiores. Siliculae cordato-ovatae aut reniformes, subturgidae, glabrae, valvulis ventricosis, altera saepe minore, apice integrae, stylo filiformi, lineam longo superatae. Semina triquetra, obovata, rufescentia.

In pascuis maritimis circa Orri, Sestu, Deximu, Alghero, Porto conte.

Fl. aprili, majo. ♃

Ital. *Cocola. Lattona.*

Herba amara.

76. LEPIDIUM SATIVUM

L. caule erecto, glaucescente, ramis non spinescentibus; foliis pinnatipartitis, summis lineari-lanceolatis indivisisque; siliculis elliptico-orbiculatis, alatis, emarginatis.

Lepidium sativum Linn. Sp. p. 899. Willd. Sp. 3. p. 435. DC. Syst. 2. p. 534. et Prod. 1. p. 204. *α.*

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 27. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 6. et Fl. graec. 7. p. 14. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 182. Cambess. En. pl. balear. p. 38. (*spontaneum?*).

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 616. Fl. dan. tab. 1761. (*planta junior caule simplici*). Iconogr. taurin. vol. 10. tab. 12.

Nasturtium. Math. Valgr. p. 565. ic. Lob. Obs. p. 107. ic. 2. ✦

Nasturtium hortense. Fuchs. Hist. p. 362. ic. ✦ Dod. Pempt. p. 711. ic. ✦

Cardamon. Nasturtium hortense. Lob. Obs. p. 107. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 212. ic. 1. ✦ (*omnes siliculis nequaquam emarginatis*).

Nasturtium vulgare. J. Bauh. Hist. 2. p. 912. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 289. ic. 1. ⁂ (*malae*).

Radix tereti-fusiformis, flexuosa, longa, ad perpendiculum descendens, inferne fibrillas agens. Caulis erectus, laevis, teretiusculus, pedalis, sesquipedalis, circa medium saepe ramosus, ramis ascendentibus, apice non spinescentibus. Folia, in nostra planta, basi subciliata, caeterum glabra, virentia, pinnatipartita, partitionibus lineari-lanceolatis, integris incisisve; summa lineari-lanceolata, indivisa. Sepala elliptica, concava, pilosiuscula, versus apicem membranacea, subcolorata. Petala sepalis duplo longiora, limbo ovato, integro, colore albido ad roseum exsiccatione praesertim vergente. Antherae ovatae, purpurascentes. Racemi primum corymbosi, mox longe producti densique, pedunculis tereti-compressis, laevibus, erectis, silicula vix brevioribus. Silicula elliptico-orbiculata, planiuscula, laevis, emarginata, valvulis obtusis, carinatis dorsoque alatis, stylo brevissimo, incluso. Semina triquetro-oblonga, laevia, rufa. Caulis, rami, pedunculi, siliquae pulvere glauco adspersa.

In arvis Campidano di Cagliari, di Oristano et Tertenìa praesertim inter Linum usitatissimum (*originis exoticae nuncque spontaneum?*).

Fl. aprili. ①

Off. Nasturtium hortense.

Ital. *Agretto. Cerconcello. Crescione inglese. Nasturzio ortense. Sergoncello.*
Vern. m. *Martuzzu.*

In acetariis saporis gratia adhiberi consuevit, oleum edule ex seminibus elici potest.

XXXIV. CORONOPUS

Coronopus Hall. Hist. 1. p. 217. All. Fl. ped. 1. p. 256. Gaertn. Fr. 2. p. 293. tab. 142. Senebiera Poir. Dict. 7. p. 75. DC. Syst. 2. p. 521. et Prod. 1. p. 202. Lepidii et Cochleariae sp. Linn.

Calix basi aequalis, patens. Petala aequalia. Silicula subindehiscens, didyma, bilocularis; loculis ventricosis, monospermis, dorso cristato-rugosis. Cotyledones incumbentes o ||.

77. CORONOPUS RUELLII

C. caulibus depressis, ramosis foliisque glabris, pinnatipartitis, partitionibus integris, dentatis pinnatifidisve; siliculis didymo-reniformibus, apiculatis, cristato-rugosis.

Coronopus Ruellii ALL.! Fl. ped. 1. p. 256. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 9. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 181. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 212. SAVI Bot. etr. 2. p. 182. LOIS. Fl. gall. 2. p. 57.

C. vulgaris. DC. Fl. fr. 4. p. 704. et Suppl. p. 595.

Senebiera Coronopus. POIR. Dict. l. c. DC.! Syst. 2. p. 525. et Prod. 1. p. 202. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 69. PRESL Fl. sic. 1. p. 81. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 196. et Suppl. p. 209. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 308.

Lepidium squamatum. FORSK. Fl. aegypt. p. LXIX.

Cochlearia Coronopus. LINN. Sp. p. 904. WILLD. Sp. 3. p. 450. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 95.

Ic. — Engl. bot. 24. tab. 1660. Cochl. Coronopus Fl. dan. tab. 202. Iconogr. taurin. vol. 30. tab. 44. LMCK. Ill. tab. 558.

Cornu cervi alterum, repens. DOD. Pempt. p. 110. ic. ✦

Coronopus repens Ruellii et Cornu cervi alterum vulgi. LOB. Obs. p. 240. ic. 1.✦ et Icon. tab. 438. ic. 1.✦ (*satis bonae*).

Coronopus Ruellii sive Nasturtium verrucosum. J. BAUH. Hist. 2. p. 919. ic. 2. ✧

Nasturtium verrucosum, Coronopus Ruellii. CHABR. Sciagr. p. 290. ic. 4. ✧ (*mediocres*).

Radix crassiuscula, ad perpendiculum descendens, inferne fibroso-ramosa. Caules plurimi, humifusi, teretiusculi, foliosi, ramosi, spithamei, pedales. Folia alterna, petiolo plus minusve lato, pinnatipartita; partitiones in foliis radicalibus utrinque quinque, sex, antice potissimum incisae, dentatae aut pinnatifidae, terminali lineari-lanceolata saepe indivisa; in foliis superioribus numero duae, tres, minus divisae aut integrae. Racemi oppositifolii, sessiles, primum corymbosi brevesque, mox producti et longitudine semunciales, unciales; pedicellis fructu brevioribus. Sepala ovata, concava, glabra, obtusa, viridia, margine albo-membranacea. Petala alba, obovata, sepalis parum longiora, integra aut vix emarginata. Filamenta

staminum alba; antherae ovatae, purpurascentes, demum nigrae. Stigma capitatum. Silicula didymo-reniformis, leviter compressa, nequaquam emarginata, valvis concavo-carinatis, coriaceis, dorso rugoso-cristatis, dissepimento angustissimo in stylum pyramidatum, stigmate coronatum, breviter exserto. Semina subglobosa, helvola. Planta glabra.

In herbosis udis.

Fl. aprili, junio. (1)

Ital. *Coronopo salvatico. Lappola.*

B. siliculosae latiseptae.

Siliculis bivalvibus, bilocularibus, loculis mono-polyspermis. Dissepimento ovato, oblongo, ellipticove, latitudine valvulas convexas planasve fere aequante.

XXXV. SUCCOWIA

Succowia Medik. Gen. pl. 1. p. 64. tab. 1. ic. 9. Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 79. DC. Syst. 2. p. 642. et Prod. 1. p. 224. Buniadis sp. Linn. Juss.

Calix erectus, basi subaequalis. Petala integra. Silicula globoso-ventricosa, stylo conico-subulato superata; valvulis convexis, echinatis. Semina in utroque loculo solitaria, globosa. Cotyledones conduplicatae ⋙.

78. SUCCOWIA BALEARICA

Succowia balearica Medik. in Ust. ann. 1. p. 41. ex DC.! Syst. 2. p. 643. et Prod. 1. p. 224. Presl Fl. sic. 1. p. 106. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 220. Cambess. En. pl. balear. p. 41.

Bunias balearica. Linn. Mant. 429. Willd. Sp. 3. p. 415.

Ic. — Jacq. H. vind. tab. 144. Gouan. Ill. tab. 20. B. Iconogr. taurin. vol. 20. tab. 110.

Radix tenuis, flexuosa, fibroso-ramosa. Caulis pedalis, bipedalis et ultra, ascendens, ramosus, angulatus, pilis brevibus rigidulis, deflexis, sparsis subhispidulus. Folia glabriuscula, rachide margineque pilis brevissimis, rigidulis, sursum spectantibus subciliata (in planta culta glaberrima), pinnatisecta, inferiorum segmentis sinuato-pinnatifidis, oblongis, obtusiusculis, subpetiolulatis, superiorum inciso-dentatis, oblongo-lanceolatis, acutiusculis. Calix viridi-lutescens, sepalis oblongis, obtusis. Petala flava, calice duplo longiora, limbo obovato, integerrimo. Staminum filamenta supra medietatem saepe purpurascentia: antherae ovatae, flavae. Stigma capitatum, flavescens. Racemi ebracteati, fructiferi demum longissime producti, plus minusve laxi, pedunculis brevibus, fructiferis teretibus, erectis. Siliculae erectae, ventricoso-subglobosae, aculeis conico-subulatis undique echinatae; dissepimentum ovale, pellucidum, in planta culta in centro evanidum, non in spontanea: stylus conico-subulatus, rectus, valvulis paullo longior. Semina sphaerica, laevia.

Inter dumeta in maritimis circa la Torre di Pula, in litore orientali inter Geremèas et Carbonara, Muravera, Barì, Tortolì, Orosei et in insula Tavolara.

Fl. aprili, majo. ①

XXXVI. CARRICHTERA

Carrichtera DC. Syst. 2. p. 641. et Prod. 1. p. 224. Vellae sp. Linn. Juss.

Calix erectus, basi subaequalis. Petala integra. Silicula ovata; valvulis convexis; stylo ovato, foliaceo, plano, demum cochleariformi. Semina in quoque loculo 4, globosa. Cotyledones conduplicatae ≫.

79. CARRICHTERA VELLAE

Carrichtera Vellae DC.! Syst. 2. p. 642. et Prod. 1. p. 224. Presl Fl. sic. 1. p. 105. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 35.

Vella annua Linn. Sp. p. 895. Willd. Sp. 3. p. 422. Desf. Fl. atl. 2. p. 64.

Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 95. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 4. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 219. ________________

Ic. — Engl. bot. 21. tab. 1442. Iconogr. taurin. vol. 14. tab. 48. et vol. 30. tab. 35. Lmck. Ill. tab. 555. ic. 1. Gaertn. Fr. 2. tab. 141.

Nasturtium sylvestre, valentinum. Clus. Hist. 2. p. 130. ic. 1. ✦ J. Bauh. Hist. 2. p. 920. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 290. ic. 3. ⁂

Eruca Nasturtio cognata, tenuifolia; Nasturtium sylvestre Clusii. Lob. Obs. p. 102. ic. 3. ✦ et Icon. tab. 205. ic. 2. ✦

Nasturtium sylvestre, Erucae affine. Moris. Hist. sect. 3. tab. 19. ic. 8. (*mala*).

Radix tereti-fusiformis, fibras laterales emittens. Caulis erectus, teres, striatus, ramosus, pilis setosis, deflexis hispidus, semipedalis, pedalis et ultra. Folia rachide potissimum hispidula, petiolata, bipinnatipartita aut pinnatipartita, partitionibus inciso-dentatis pinnatifidisve laciniisque linearibus. Calix saepe pilosus, pedunculis longior, sepalis linearibus, adpressis. Petala calice duplo longiora, integra, ochroleuca, venis violaceis picta. Pedunculi fructiferi angulati, deflexi. Siliculae subglobosae, ventricosae, deflexae; valvulis ovalibus, convexis, trinerviis, nervis, setulis conico-subulatis, patentibus, hispidis. Dissepimentum tenue, diaphanum, ellipticum. Stylus coriaceus, demum cochleariformis. Semina in quoque loculo 3-4, rufa, laevia, globulosa.

In ruderatis et ad muros in aridis maritimis; circa Caralim frequens.
Fl. a februario ad aprilem. (1)

XXXVII. NESLIA

Neslia Desv. Journ. bot. 3. p. 162. 163. DC. Syst. 2. p. 519. et Prod. 1. p. 202. Myagri sp. Linn. Juss. Rapistrum Gaertn. Fr. tab. 141.

Calix patens, basi aequalis. Petala integra. Silicula coriacea, indehiscens subglobosa; valvulis convexis, indistinctis; dissepimento interdum evanido unilocularis, (abortu) monosperma. Stylus filiformis. Semina globulosa. Cotyledones incumbentes o || DC. Monn. Gay (modo accumbentes o=, modo incumbentes o || Schkuhr).

80. NESLIA PANICULATA

Neslia paniculata Desv. Journ. bot. 3. p. 162. DC.! Syst. 2. p. 520. et Prod. 1. p. 202. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 56. Presl Fl. sic. 1. p. 80. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 195. et Suppl. p. 209. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 308. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 12.

Bunias paniculata. Herit. in DC. Fl. fr. 4. p. 721. Lois. Fl. gall. 2. p. 66.

Rapistrum paniculatum. Gaertn. Fr. 2. p. 285. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 1. Tenor. Fl. nap. 2. p. 68. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 212.

Crambe paniculata. All.! Fl. ped. 1. p. 256. (*excl. icon. Iconogr. taurin.*).

Myagrum paniculatum. Linn. Sp. p. 894. Willd. Sp. 3. p. 409. Desf. Fl. atl. 2. p. 63. Savi Bot. etr. 2. p. 173.

Ic. — Fl. dan. tab. 204. Gaertn. Fr. 2. tab. 141. Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 73. ic. 1. et tab. 74.

Myagro similis, siliqua rotunda. C. Bauh. Prod. p. 52. ic. ✦ Moris. Hist. sect. 3. tab. 21. ic. ultima. ✦

Myagro affinis herba, capitulis rotundis. J. Bauh. Hist. 2. p. 895. ic. 1. ⁂

Myagro affinis planta alia. Chabr. Sciagr. p. 284. ic. 1. ⁂ (*plantae flores tribuit pallidos cum* J. Bauhino, *sed habitus et descriptio cum nostra specie congruunt*).

Radix fusiformis, flexuosa, ad perpendiculum descendens, inferne fibras agens. Caulis pedalis, bipedalis, teres, erectus, simplex aut saepe ramosus, ramis paniculatis. Folia subdenticulata, primordialia obovata, radicalia et caulina inferiora lanceolato-oblonga, acutiuscula aut obtusa, subrepanda, instar petioli basi attenuata; caetera sessilia, lanceolata, acuta, et basi acute sagittata. Flores exigui, flavi. Racemi primum corymbosi, mox longi laxique; pedunculis glabris, filiformibus, fructiferis patulis. Silicula globuloso-subcompressa, coriacea, glabra, scrobiculato-rugosa, utrinque fere attenuata, bilocularis aut dissepimento evanido unilocularis, haud sponte dehiscens, tamen juxta marginem in duas valvulas partibilis. Semen rufescens, globulosum, in quoque loculo unicum, altero abortiente. Stylus persistens, filiformis, lineae dimidiae longitudine. Planta stellato-hirta, racemis fructiferis glabris.

In arvis frequens.
Fl. a martio ad majum. ①
Ital. *Miagro pannocchiuto.*

XXXVIII. DRABA

Draba Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 93. Drabae et Erophilae sp. DC. Syst. 2. p. 331. 356. et Prod. 1. p. 166. 172. Drabae sp. Linn. Juss. Lmck. Ill. tab. 556. Gaertn. Fr. 2. tab. 141.

Calix suberectus, basi aequalis. Petala integra vel bifida. Silicula compressa, ovalis aut oblonga, integra; valvulis planiusculis. Semina in utroque loculo plurima, disticha, immarginata. Cotyledones accumbentes o=.

81. DRABA MURALIS

D. caule folioso foliisque hirsutis, caulinis sessilibus, ovatis, dentatis, semiamplexicaulibus; siliculis elliptico-oblongis, 12-16-spermis, glabris.

Draba muralis Linn. Sp. (ed. 1.) p. 643. Willd. Sp. 3. p. 429. DC.! Syst. 2. p. 352. et Prod. 1. p. 171.

Desf. Fl. atl. 2. p. 65. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 5. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 182. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 223. et Suppl. p. 211. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 314. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 214. Savi Fl. pis. 2. p. 87. et Bot. etr. 2. p. 177. Balb.! Misc. bot. pedem. p. 31. (*non ejusd. Addit.*) DC. Fl. fr. 4. p. 699. Lois. Fl. gall. 2. p. 52.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Draba nemorosa All.! Fl. ped. 1. p. 244. non Linn.

Draba caule non ramoso, foliis cordatis, acutis, dentatis, sessilibus. All.! Fasc. st. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 92.

Ic. — Engl. bot. 13. tab. 912. Lmck. Ill. tab. 556. ic. 2. Gmel. Fl. bad. 3. tab. 1. Iconogr. taurin. vol. 14. tab. 72. ic. 2. 4.

Draba minima. Columm. Ecphr. tab. 272.

Bursae pastoriae, sublongo loculo, affinis, pulchra planta. J. Bauh. Hist. 2 p. 939. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 295. ic. 5. ⁂

Bursa pastoris major, loculo oblongo. C. Bauh. Prod. p. 50. ic. ✶
B. pastoris major, hirsuta, loculo oblongo. Moris. Hist. sect. 3. tab. 20. ic. 5. ✶
Myagroides subrotundis serratisque foliis. Barr. Ic. tab. 816.

Radix gracilis, inferne fibrillosa. Caulis erectus, exilis, teres, simplex vel ramosus, foliosus, spithameus, pedalis et ultra. Folia radicalia in orbem jacentia, obovata vel oblongo-obovata, obtusa aut acutiuscula, basi, petioli instar, attenuata, vix dentata; caulina sessilia, ovata, dentata, semiamplexicaulia. Sepala ovato-oblonga, viridia, pilosiuscula, margine membranacea. Petala spathulato-obovata, integra, alba, calice subduplo longiora. Racemi fructiferi demum longi laxique. Pedunculi filiformes, silicula longiores, fructiferi patuli. Silicula elliptica aut oblonga, glabra, stylo brevissimo. Semina ovata, compressa, rufescentia. Planta pilis rigidulis, simplicibus stellatisque hirsuta, racemo fructifero superne glabro. Variat foliis caulinis cordatis vel non.

In sylvestribus montanis et in pascuis Sardiniae centralis.
Fl. martio, aprili. ①
Ital. *Draba pelosa.*

82. DRABA VERNA

D. scapis multifloris, nudis; foliis oblongis, subdentatis, hirtis; petalis bifidis; siliculis ellipticis, glabris.

Draba verna Linn. Sp. p. 896. Willd. Sp. 3. p. 426.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 4. Chaub. et Bory. Exped. Mor. p. 181. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 222. et Suppl. p. 211. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 314. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 213. Savi Fl. pis. 2. p. 86. et Bot. etr. 2. p. 176. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 162. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. All.! Fl. ped. 1. p. 244. DC. Fl. fr. 4. p. 698. Lois. Fl. gall. 2. p. 51.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Erophila vulgaris DC.! Syst. 2. p. 356. et Prod. 1. p. 172. Presl Fl. sic. 1. p. 60. Cambess. En. pl. balear. p. 37.

Ic. — Engl. bot. 9. tab. 586. Gaertn. Fr. 2. tab. 141. Iconogr. taurin. vol. 9. tab. 1. ic. 2.

Paronychia alsinefolia. Lob. Obs. p. 249. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 469. ic. 1. ✦ (*foliis integris*).

P. vulgaris. Dod. Pempt. p. 112. ic. 2. ✦

Bursa pastoris minima, oblongis siliquis, verna, loculo oblongo. J. Bauh. Hist. 2. p. 937. ic. 2. ✧ Chabr. Sciagr. p. 295. ic. 3. ✧

B. pastoris minima, verna, petalis bifidis, loculo oblongo. Moris. Hist. sect. 3. tab. 20. ic. 7. ✧ (*petala majora ac in icone* J. Bauhini).

β. *praecox,* siliculis elliptico-orbiculatis.

Draba praecox. Stev. Mem. soc. mosqu. 3. p. 269. ex DC. Syst. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 181. Guss. Fl. sic. Prod. l. c. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 314.

Erophila praecox. DC.! Syst. 2. p. 357. et Prod. 1. p. 172. Presl Fl. sic. 1. p. 61.

Radix tenuissima, fibrillosa. Folia omnia radicalia, in orbem jacentia, oblonga, acuta, in petiolum attenuata, integra vel irregulariter parceque dentata, pilis simplicibus et bi-tripartitis, in utraque varietate, hirta. Scapi ex eadem saepe radice plures, aphylli, 1-4-unciales, filiformes, simplices, inferne pilosi, superne glabri. Flores 5-15, juxta racemum terminalem, laxum dispositi. Sepala ovata, subhirsuta, viridia vel interdum colorata, basi fere aequalia. Petala calice longiora, bifida, alba. Pedicelli fructiferi inferiores silicula longiores, summi saepe breviores. Silicula elliptica aut elliptico-oblonga, in β elliptico-orbiculata, glabra, stigmate subsessili, loculis in utraque varietate, apud nos, 12-16-spermis. Semina exigua, rufa, ovata, laevia.

In arvis et in pascuis maritimis et montanis Genargentu, usque ad 1700. 1800. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. a januario ad martium in maritimis: majo et junio in montanis. ①

Ital. *Draba primaticcia. Pelosella.*

XXXIX. KONIGA

Koniga Br. in Denh. Clapp. et Oudn. Voy. (vers. gall.) 3. p. 265. Konig Adans Fam. 2. p. 240. Lobularia Desv. Journ. bot. 3. p. 172. Alyssi sp. Auct.

Calix basi subaequalis, patens. Petala integra. Glandulae hypo-

gynae 8. Staminum filamenta omnia edentula. Silicula compressa, ovalis; valvulis planiusculis; loculis mono-polyspermis. Semina compressa, marginata. Cotyledones accumbentes o=.

33. KONIGA MARITIMA

K. caulibus basi suffruticosis, decumbentibus erectisve; siliculis pilosiusculis, dispermis.

Koniga maritima R. Br. in Denh. Clapp. et Oudn. [illegible] l. c. Lindl. Fl. graec. vol. 7. p. 19. Cambess. En. pl. balear. p. 36.

Alyssum maritimum. Willd. Sp. 3. p. 459. DC.! Syst. 2. p. 319. et Prod. 1. p. 164. Delil. Fl. aegypt. ill. p. 95. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 3. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 10. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 228. et Suppl. p. 211. Tenor. Fl. nap. 2. p. 71. et Syll. p. 316. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 214. Savi Fl. pis. 2. p. 94. et Bot. etr. 2. p. 183. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 164. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. All. Fl. ped. 1. p. 242. DC. Fl. fr. 4. p. 692. Lois. Fl. gall. 2. p. 53.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

A. minimum. Linn. Sp. p. 908.

A. arenarium. Presl Fl. sic. 1. p. 58.

Clypeola maritima. Linn. Sp. p. 910. Desf. Fl. atl. 2. p. 72.

Clypeola perennis, siliculis bilocularibus, ovatis, dispermis. Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. priv. taur. vol. 2. p. 208.

Ic. — Koniga maritima Fl. graec. 7. tab. 621. Alyssum maritimum Engl. bot. 24. tab. 1729. Iconogr. taurin. vol. 10. tab. 16. vol. 16. tab. 108. et vol. 20. tab. 34.

Thlaspi Lavandulae folio, flore odore favi mellis, acuto. Bon. tab. 61.

T. linifolium min. cineritium, fl. albo. Barr. Ic. tab. 908. ic. 1.

T. Leucoji folio acuminato. Bocc. Mus. tab. 130.

Radix frutescens, ramosa. Caules caespitosi, ramosi, decumbentes vel erecti, palmares, pedales et ultra. Folia modo linearia, angusta, modo lineari-lanceolata minusque angusta, integra, petioli instar basi attenuata, acuta, inferiora interdum obtusa. Flores primum corymbosi, mox racemus productus. Pedunculi filiformes, fructi-

feri erecto-patentes. Sepala concava, pilosa, interdum colorata, decidua. Petala alba vel purpurascentia, calice duplo longiora, limbo ovato aut subrotundo. Staminum filamenta neque appendiculis, neque dentibus aucta, versus apicem attenuata, purpurea: antherae flavae. Siliculae ovales, parce pilosae, subinde purpurascentes, non retusae, stylo quadruplo longiores. Semina in loculis solitaria, compressa, rufescentia, ovalia, margine albido-membranacea. Planta pilis simplicibus bifidisque adpressis obsita, saepius canescens aut cinerascens, interdum virens; semperflorens, floribus suavem mellis odorem spirantibus.

Ad muros, juxta vias et in sterilibus maritimis Sardiniae, insularum S. Pietro, Tavolara etc. frequens.

Fl. omni anni tempore. ♄

Ital. *Alisso murario. Alisso marittimo.*

Vern. s. *Filograna.*

XL. ALYSSUM

Alyssi sp. LINN. DC. Syst. 2. p. 301. et Prod. 1. p. 160. LMCK. Ill. tab. 559.

Calix basi aequalis. Petala integra aut emarginata. Staminum filamenta omnia aut nonnulla dentata. Silicula orbicularis, elliptica aut obovata, retusa emarginatave, compressa; valvis planis aut centro convexis; loculis mono-dispermis. Semina compressa, saepe marginata. Cotyledones accumbentes o=.

84. ALYSSUM ALPESTRE

A. stellato-tomentosum, incanum; caulibus basi suffruticosis, diffusis ascendentibusque; foliis obovato-spathulatis; filamentis omnibus appendiculatis; racemis corymbosis; siliculis elliptico-obovatis ellipticisve, canescentibus.

Alyssum alpestre LINN. Mant. 92. WILLD. Sp. 3. p. 462. α. DC.! Syst. 2. p. 307. et Prod. 1. p. 161.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 12. α. et Fl. graec. vol. 7. p. 21. All.! Fl. ped. 1. p. 241. DC. Fl. fr. 4. p. 693. Lois. Fl. gall. 2. p. 53.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Alyssum nebrodense Tin.! Pl. sic. Pug. 1. p. 12. DC. Syst. et Prod. l. c. Spr. Syst. 2. p. 860. Presl Fl. sic. 1. p. 57. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 225.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 623. (*racemo composito*). Iconogr. taurin. vol. 12. tab. 49. ic. 1. vol. 14. tab. 72. ic. 1. All. Fl. ped. tab. 18. ic. 2. (*folia limbo magis rotundata, in petiolum brevius attenuata quam in nostro*).

Alyssum caulibus fruticulosis, diffusis, foliis subrotundis, incanis. Ger. Fl. gallo-prov. p. 352. ic. 13. (*foliorum limbus magis quam in nostro rotundatus*).

Radix lignosa, rupium rimas subiens. Caules ex eadem radice plures decumbentes vel ascendentes, ramosi, exiles, canescentes, basi suffruticosi, tortuosi, tri-quinque unciales. Folia obovato-spathulata, obtusa vel acutiuscula, facie virentia aut minus cana subindeque concava, subtus cana, ad apicem ramulorum sterilium aggregata. Racemi florum terminales, modo simplices, modo compositi etiam in eadem planta, floriferi corymbosi, fructiferi parum producti. Sepala flavescentia, extus pube stellata, tomentosa atque subincana. Petala flava, lineari-spathulata, integra, calice longiora. Staminum filamenta glabra, omnia appendicula aucta; antherae luteae. Siliculae canescentes, subretusae, loculis mono-dispermis. Semina marginata. Planta stellato-tomentosa.

Inter fissuras rupium calcarearum in summo monte Oliena: 1330. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio. ♄

Obs. Alyssum nostrum *alpestre* consentit cum speciminibus *Alyssi nebrodensis* in Nebrodibus lectis et speciminibus *Alyssi alpestris* All. Herb.

85. ALYSSUM CAMPESTRE

A. stellato-hirsutum; caulibus herbaceis, diffusis erectisve; foliis lanceolato-ellipticis; calice deciduo; siliculis orbiculatis, subemarginatis, hirsutis, stylo quadruplo longioribus.

Alyssum campestre Linn. Sp. p. 909. Willd. Sp. 3. p. 467. DC.! Syst. 2. p. 314. et Prod. 1. p. 163.

Viv. Fl. lyb. Spec. p. 35. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 13. et Fl. graec. 7. p. 20. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 184. Presl Fl. sic. 1. p. 58. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 227. Tenor. Fl. nap. 2. p. 74. et Syll. p. 316. Savi Bot. etr. 2. p. 184. DC. Fl. fr. 4. p. 694. Lois. Fl. gall. 2. p. 54.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 622.

Thlaspi Alysson dictum, campestre, minus. Moris. Hist. sect. 3. tab. 16. ic. 3.? (*siliculae apice nimis rotundatae nec nullae subemarginatae, petala integra*).

(Thlaspi Alysson *etc.* Barr. Icon. tab. 912. ic. 2. *huc relata ab Auctoribus ad sequentem spectat ob calicem persistentem.*)

Radix flexuosa, inferne fibras agens. Caulis teres, simplex, erectus vel e basi ramosus, diffusus, palmaris, spithameus. Folia lanceolato-elliptica, subcanescentia, racemi dense multiflori, demum valde longi. Pedunculi fructiferi erecto-patentes, duas circiter lineas longi. Petala angusta, emarginata, lutescentia, senescendo albescentia, calice longiora. Staminum filamenta alia supra medium dentata, alia praedita ad basim appendice membranacea, pellucida, plana atque apice emarginata; antherae lutescentes. Siliculae orbiculatae, tuberculato-hirsutae, stylo quadruplo longiores, subemarginatae, loculis dispermis. Semina fusca, albo-marginata.

In saxosis maritimis Oliastra, Sarrabus florebat aprili; in montanis editis calcareis Tonneri d'Irgini, junio. (inter 1-2 et 1000 metr. circiter supra maris superficiem) ①

86. ALYSSUM CALICINUM

A. stellato-hirsutum; caulibus herbaceis, diffusis erectisve; foliis lineari-lanceolatis; calice persistente; siliculis orbiculatis, emarginatis, subhirsutis, stylo sextuplo longioribus.

Alyssum calicinum Linn. Sp. p. 908. Willd. Sp. 3. p. 464. DC.! Syst. 2. p. 315. et Prod. 1. p. 163.

Biv. sic. Cent. 2. p. 4. *excl. syn.* Cupani ex Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 227. Presl Fl. sic. 1. p. 58. Tenor. Fl. nap. 2. p. 74. et Syll. p. 316. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 214. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. DC. Fl. fr. 4. p. 694. Lois. Fl. gall. 2. p. 54.

Clypeola calicina All.! Fl. ped. 1. p. 246. (*excl. ic. Iconogr. taurin.*).

Ic. — Jacq. Fl. austr. 4. tab. 338. Fl. dan. tab. 1704.

Alyssum minimum. Clus. Hist. lib. 5. p. 133. ic. 2. (*siliculae haud emarginatae, stylus longiusculus, caeterum icon bona*).

Thlaspi graecum, propinquius, forte Diosc. Polygonati folio etc. Lob. Icon. tab. 213. ic. 2.? (*siliculae neutiquam emarginatae, stylus nimis longus*).

Thlaspi minus quibusdam, aliis Alyssum minus. J. Bauh. Hist. 2. p. 928. ic. ☆ (*stylus nimis longus*).

T. minus quibusdam, flore luteo. Chabr. Sciagr. p. 292. ic. 3. ☆

T. Alysson incan., lut., lunato utriculo. Barr. Ic. tab. 912. ic. 2. (*siliculae latiusculae, haud emarginatae, caeterum aequius ad hanc ob calicem persistentem et stylum brevem quam ad praecedentem speciem referenda*).

Simillimum praecedenti. Differt superficie paullo magis canescente minusque scabra; foliis potius lineari- quam elliptico-lanceolatis; floribus siliculisque plerumque confertius racemosis; pedunculis fructiferis angulo recto patentibus; calicibus persistentibus; petalis vix emarginatis, exiguioribus, senescendo promptius albescentibus; staminum filamentis tenuioribus, raro aliquot dente auctis, appendicibus baseos tereti-filiformibus, nec planis membranaceis et apice emarginatis; siliculis minus hirsutis nec tuberculato-hirsutis, apice minus rotundatis, magis conspicue emarginatis et paullo exiguioribus; seminum ala marginali saepius concolore; demum stylo duplo fere quam in *Alysso campestri* breviore, unde siliqua sextuplo et ultra, non quadruplo (*ut ex errore loci* DC. *Syst.* Presl *Fl. sic. l. c.*), stylo longior.

In saxosis maritimis floret martio, aprili; in editis montanis montis Oliena majo, junio: inter 1-2 et 1300 metr. circiter supra maris superficiem. (♃)

SECTIO IV.

SILIQUOSAE

XLI. NASTURTIUM

Nasturtium Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 109. DC. Syst. 2. p. 187. et Prod. 1. p. 137. Sisymbrii sp. Linn.

Calix patens, basi subaequalis. Siliqua teretiuscula, brevis aut de-

clinata; valvis convexis, enervibus; stigmate subbilobo. Semina utriusque loculi parva, irregulariter disticha, immarginata. Cotyledones accumbentes o=

87. NASTURTIUM OFFICINALE

N. foliis pinnatisectis, segmentis ovatis lanceolatisve, repandis; petalis calice duplo majoribus; siliquis declinatis, subfalcatis.

Nasturtium officinale Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 110. DC. Syst. 2. p. 189. et Prod. 1. p. 137.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 55. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 232. Presl Fl. sic. 1. p. 44. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 321. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 10. Cambess. En. pl. balear. p. 35.

Sisymbrium Nasturtium Linn. Sp. p. 916. Willd. Sp. 3. p. 489.

De Buch Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 500. Desf. Fl. atl. 2. p. 81. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 18. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 188. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 216. Savi Bot. etr. 2. p. 189. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 165. DC. Fl. fr. 4. p. 661. Lois. Fl. gall. 2. p. 79.

S. Nasturtium aquaticum. All.! Fl. ped. 1. p. 274.

Ic. — Engl. bot. 12. tab. 855. Fl. dan. tab. 690. Bull. Herb. tab. 302. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 3. tab. 138. Iconogr. taurin. 9. tab. 39.

Nasturtium aquaticum Trag. Hist. p. 82. ic. 2. ⁂ Dod. Pempt. p. 592. ic. 1. ✦

Sisymbrium Cardamine Fuchs. Hist. p. 723. ic. ⁂ J. Bauh. Hist. 2. p. 884. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 282. ic. 1. ⁂

Cratevae Sion erucaefolium. Lob. Obs. p. 105. ic. 3. ✦ et Icon. tab. 309. ic. 1. ✦

Nasturtium aquaticum supinum. Moris. Hist. sect. 3. tab. 4. ic. 8. (*mala*).

β. *lanceolatum*, foliorum segmentis lanceolatis.

Caules declinati aut erectiusculi, simplices ramosive, inferne radicantes, glabri. Folia petiolata, pinnatisecta; segmenta lucida, glabra vel juxta nervos pilosiuscula, dentato-repanda, subopposita, sessilia, raro vix petiolulata, juxta rachidem latiusculam decurrentia, in α ovata, cordata oblongave utrinque 1-4, in β lanceolata utrinque 2-6, vix in utraque varietate mucronulata, impari lateralibus in α praesertim, majore, lateralibus inferioribus sensim minoribus: petioli basi auriculati. Racemi terminales primum breves, corymbosi, mox longiusculi. Flores albi, pedunculati, pedunculis filifor-

mibus, pilis brevibus juxta latus superius subinde praeditis. Calicis sepala obtusa, laxa, exteriora basi vix gibbosa. Siliquae pedunculis demum vix longiores, apice sursum curvae, patentes aut declinatae, glaberrimae. Semina ovata, compressa, immarginata, eleganter reticulata.

In fontibus, rivulis, stagnis.

Fl. hyeme et vere. ♃

Offic. *Nasturtium aquaticum.*

Ital. *Agretto. Cicembro. Crescione. Nasturzio acquatico. Sisimbrio acquatico.*

Vern. m. *Martùzzu de arrìu.* — Vern. Algher. *Aciòne. Asciòne.*

Nasturtium tamquam alimentum, condimentum, medicamentum adhibetur: antiscorbuticum valde efficax, praeterea aperiens, deobstruens, attenuans· siccatione virtutem amittit: ejus semina satis abunde oleifera.

XLII. CARDAMINE

Cardamine Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1088. Juss. Gen. p. 239. Tourn. Inst. tab. 109. Lmck. Ill. tab. 562. Gaertn. Fr. tab. 143.

Calix subpatens, basi aequalis. Siliqua linearis, compressa; valvis planis, enerviis, elastice dissilientibus; stylo brevissimo aut stigmate sessili. Semina compressa, immarginata, unica serie disposita. Cotyledones accumbentes o=.

88. CARDAMINE HIRSUTA

C. subhirsuta; caule erecto; foliis pinnatisectis, segmentis petiolulatis, subdentatis, radicalium subrotundis, superiorum oblongis; petalis spathulato-linearibus, calice longioribus; siliquis erectis, obtusiusculis.

Cardamine hirsuta Linn. Sp. p. 915. Willd. Sp. 3. p. 486. (*excl. syn. et ic. Fl. dan.*). DC.! Syst. 2. p. 259. et Prod. 1. p. 152.

Desf. Fl. atl. 2. p. 80. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 10. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 18. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 187. Biv. Sic. cent. 1. p. 22. Presl Fl. sic. 1. p. 52. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 233. et Suppl. p. 212. Tenor. Fl. nap. 2. p. 83. et Syll. p. 318. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 216. Savi Bot. etr. 2. p. 188. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 164. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. All.! Fl. ped. 1.

p. 262. DC. Fl. fr. 4. p. 684. Lois. Fl. gall. 2. p. 84. Cambess. En. pl. balear. p. 36.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 7. tab. 492.

Cardamine quarta Dalechampii. Zannich. Ist. tab. 225. (*bona*).

Sisymbrium Cardamine hirsutum. J. Bauh. Hist. 2. p. 888. ic. ∴ Chabr. Sciagr. p. 282. ic. 4. ∴

Nasturtium aquaticum minus. Moris. Hist. sect. 3. tab. 4. ic. 11. ∴ (*siliquae crassiores*).

Cardamine sylvestris, minor, italica. Barr. Ic. tab. 455.

Radix fibrosa. Caules ex eadem radice saepe plures, graciles, erecti, striato-angulati, palmares vel pedales, simplices aut ramosi. Folia petiolata, pinnatisecta, segmentis subdentatis, petiolulatis, utrinque 2-4, ascendendo sensim latioribus, inferiorum foliorum orbiculatis, ovatis aut reniformibus, subsinuato-angulatis, terminali majore, saepe obsolete trilobo, superiorum oblongis vel linearibus; petioli basi ciliati. Flores exigui, albidi; stamina numero varia, 4-5-6. Siliquae compressae, graciles, glabrae, erectae; stylo brevissimo, obtuso. Semina compressa, ovata aut oblonga, apice fere truncata. Planta plus minusve hirsuta.

In umbrosis humidis praecipue montanis.

Fl. a januario ad majum. ①

Ital. *Billeri. Cardamina triviale.*

XLIII. ARABIS

Arabis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1094. Juss. Gen. p. 238. Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 104. DC. Syst. 2. p. 213. et Prod. 1. p. 142. Lmck. Ill. tab. 563. ic. 1-3.

Calix erectus, basi aequalis aut gibbus. Siliqua linearis; stigmate subsessili; valvis planiusculis, nervosis aut venosis. Semina marginata aut immarginata, compressa, unica serie disposita. Cotyledones accumbentes o= (in Arab. thaliana incumbentes o||).

89. ARABIS THALIANA

A. caule parce folioso foliisque hirsutiusculis, subintegris, caulinis sessilibus, oblongis linearibusve; racemis laxiusculis; siliquis exilissimis, ascendentibus.

Arabis thaliana Linn. Sp. p. 929. Willd. Sp. 3. p. 535. DC.! Syst. 2. p. 226. et Prod. 1. p. 144.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 28. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 187. Biv. Sic. cent. 1. p. 20. Presl Fl. sic. 1. p. 48. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 240. et Suppl. p. 212. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 324. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 219. Savi Fl. pis. 2. p. 105. et Bot. etr. 2. p. 196. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. All.! Fl. ped. 1. p. 268. DC. Fl. fr. 4. p. 618. Lois. Fl. gall. 2. p. 74.

Sisymbrium thalianum Gay et Monn. Obs. crucif. in Ann. sc. nat. 7. p. 399.

Ic. — Engl. bot. 13. tab. 901. Fl. dan. tab. 1106. Iconogr. taurin. 9. tab. 2. ic. 2. (*siliquis nimis crassis*). et 10. tab. 44. ic. 2.

Bursa pastoria sive Pilosella siliquosa. J. Bauh. Hist. 2. p. 870. ic. 2. ☆ (*siliquae paullo crassiores*).

Pilosella siliquosa sive Bursae pastoris similis, siliquosa. Chabr. Sciagr. p. 277. ic. 4. ☆

Draba angustifolia 1.ª minima, 2.ª media et major. Barr. Ic. tab. 269. 270. (*siliquae crassiores*).

Radix gracilis, fibroso-ramosa. Caulis ex eadem radice unicus aut plures, erecti, graciles, ramosi, teretes, striati, semipedales pedalesve, inferne ramique pilis patentibus hirsuti. Folia radicalia in orbem jacentia, ovata aut oblonga, in petiolum attenuata, pilis simplicibus furcatisve subhirsuta, ciliata; caulina angustiora, lineari-oblonga lineariaque, sessilia, pauca. Racemi terminales, demum longi laxique. Sepala oblonga, glabra, lutescentia. Petala lineari-spathulata, truncata, erecta, alba, ungue lutescente, calice fere duplo longiora. Glandulae ad staminum basim exiguae. Pedunculi glabri, filiformes, ascendentes aut patuli. Siliquae obsolete quadrangulae, exilissimae, pedunculum subaequantes eodemve duplo longiores. Semina ovata, non marginata.

In pascuis et in arvis Sardiniae et insulae Tavolara: frequens.

Fl. primo vere. (1)

90. ARABIS VERNA

A. hirsuta; caule superne subglabro; foliis serrato-dentatis, caulinis cordato-semiamplexicaulibus, ovatis; pedunculis calice hirsuto brevioribus; siliquis erectis.

Arabis verna Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 105. DC.! Syst. 2. p. 215. et Prod. 1. p. 142.

Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 11. Lindl. Fl. graec. 7. p. 38. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 188. Presl Fl. sic. 1. p. 46. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 237. et Suppl. p. 212. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 325. Cambess. En. pl. balear. p. 35.

Hesperis verna Linn. Sp. p. 928. Willd. Sp. 3. p. 533.

Desf. Fl. atl. 2. p. 90. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 27. Biv. Sic. Cent. 1. p. 42. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 219. All.! Fl. ped. 1. p. 271. DC. Fl. fr. 4. p. 653. Lois. Fl. gall. 2. p. 77.

Hesperis caule erecto, ramoso; foliis cordatis, amplexicaulibus, serratis, villosis. All. Fasc. st. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 96.

Ic. — Sibht. Fl. graec. 7. tab. 641. Iconogr. taurin. 31. tab. 83.

Leucojum marinum, alterum, latifolium, purpureo-violaceum. Lob. Obs. p. 180. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 333. ic. 2. ✦

L. maritimum, latifolium, flore coeruleo-purpurascente. J. Bauh. Hist. 2. p. 880. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 279. ic. 5. ⁂

L. annuum, marinum, latifolium, praecox, coeruleo, parvo flore. Moris. Hist. sect. 3. tab. 8. ic. 5.

L. purpureum, Bellidis folio, majus. Barr. Ic. tab. 875.

L. minus rotundifolium, flore purpureo. Barr. Ic. tab. 876.

Radix tereti-fusiformis, inferne ramosa. Caulis tenuis, simplex vel ramosus, erectus, triuncialis pedalisve. Folia latiuscule dentato-serrata, radicalia jacentia caulinaque interdum inferiora obovata vel oblongo-obovata, in brevem petiolum attenuata, caetera cordato-ovata, sessilia, semiamplexicaulia, obtusa aut acutiuscula. Flores dispositi in racemos terminales, demum productos. Sepala lineari-oblonga, unguem petalorum laxe ambientia, intus subconcava, glabra, extus gibba hirsutaque, margine membranacea. Petala ungue albo-lutescente, calice paullo longiora, limbo-lineari-obovato, integro, purpureo-violaceo, erecto-patente. Staminum filamenta planiu-

scula, alba: antherae sagittato-oblongae, flavae. Stigma subemarginatum. Siliquae angustae, lineares, compressae, erectae, glabrae, biunciales et ultra. Semina oblonga, non marginata. Planta hirsuta pilis simplicibus et bi-tripartitis, rigidulis; caule superne saepius glabro.

In apricis collinis.

Fl. aprili. ♃

91. ARABIS HIRSUTA

A. hirsuta; caule virgato, superne subglabro; foliis dentatis subintegrisve, caulinis sessilibus, oblongis; petalis lineari-spathulatis; siliquis longis, erectis.

Arabis hirsuta Scop. Fl. carn. 2. p. 30. DC.! Syst. 2 p. 223. et Prod. 1. p. 144. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 187. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 239. *α*. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 324. DC. Fl. fr. 4. p. 675. et Suppl. p. 592.

A. virgata *α*. Lois. Fl. gall. 2. p. 72.

Turritis hirsuta Linn. Sp. p. 930. Willd. Sp. 3. p. 543. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 29. All.! Fl. ped. 1. p. 269.

Turritis foliis omnibus hispidis, caulinis amplexicaulibus. All.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 102.

Ic. — Jacq. Ic. rar. 1. tab. 126. Fl. dan. tab. 1040. Engl. bot. 9. tab. 587. Iconogr. taurin. 14. tab. 18.

Erysimo similis hirsuta, alba. C. Bauh. Prod. p. 42. ic. 2. Moris. Hist. sect. 3. tab. 3. ic. 5.

β. sagittifolia, foliis caulinis basi sagittato-cordatis.

Arabis sagittata DC.! Fl. fr. Suppl. p. 592. Syst. 2. p. 221. et Prod. 1. p. 143. Presl Fl. sic. 1. p. 48. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 324. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 10.

A. hirsuta var. *b*. Guss. Fl. sic. Prod. Chaub. et Bory Exped. Mor. l. c. Cambess. En. pl. balear. p. 35. *α*.

A. virgata *γ*. Lois. Fl. gall. 2. p. 72.

Turritis sagittata Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 165. Viv. Ann. bot. 2. p. 132. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 220.

Ic. — Iconogr. taurin. 9. tab. 72. ic. 2. (*ad* Turritidem hirsutam *ab* Allionio *adducta*).

Radix fusiformis, inferne ramosa. Caulis ex eadem radice unicus pluresve, simplices aut rarissime superne ramosi, pedales, bipedales. Folia crenata aut serrato-dentata, nonnumquam fere integra; radicalia obovata aut oblonga, obtusa, in petiolum attenuata; caulina oblonga, angustiora, obtusa aut acutiuscula, in β auriculis nunc acutis, nunc obtusis. Racemus terminalis, strictus, simplex, raro ramosus, demum longus; pedunculis calicem aequantibus vel paullo superantibus. Sepala oblongo-linearia, viridia, margine albo-membranacea. Petala erecto-patentia, lineari-spathulata, alba, calice fere duplo longiora. Staminum filamenta planiuscula: antherae sagittato-oblongae. Stigma emarginatum. Siliquae anguste lineares, glabrae, in utraque varietate compressae, torulosae, nervosae. Semina oblonga, non marginata. Planta pilis simplicibus aut bi-tripartitis plus minusve hirsuta, caule superne saepius glabro; omnino glabra se mihi non praebuit.

In collinis montanisque frequens.

Fl. aprili, majo. ♃

Obs. Turritis hirsuta Linn. Herbar. pertinet ex DC. Syst. l. c. ad nostram *A. hirsutam sagittifoliam*, cum vero in sp. pl. synonimon et iconem C. Bauhini Prod. Linnaeus ad *Turritidem hirsutam* retulerit, credibile est sub hoc nomine utramque varietatem comprehendisse.

92. ARABIS MURALIS

A. hirsuta; caulibus superne glabris; foliis serratis integrisve, caulinis sessilibus, oblongis; petalis oblongo-obovatis, calice duplo longioribus; siliquis erectis, subsecundis; seminibus marginatis.

Arabis muralis Bertol.! Pl. genuens. in Amoen. p. 79. DC. Syst. 2. p. 224. et Prod. 1. p. 144. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 324. Fiorini Append. ad Fl. rom. Prod. p. 17. Savi Bot. etr. 2. p. 197. DC. Fl. fr. Suppl. p. 592. Duby Bot. gall. 1. p. 29.

A. collina Tenor.! Prod. Fl. neap. p. 39. Append. ad cat. 1815. p. 59. et Fl. neap. Syll. p. 323. DC.! Syst. 2. p. 241. et Prod. 1. p. 148. Presl Fl. sic. 1. p. 51. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 242.

A. scabra Lois. Fl. gall. 2. p. 72. an All.?

Ic. — Arabis collina Tenor. Fl. nap. tab. 164. ic. 1.

Radix fusiformis, inferne ramosa. Caules ex eadem radice saepe plures, subsimplices, erecti aut ascendentes, spithamei, pedales. Folia radicalia spathulata, conferta, caulina saepe pauca, ovato-oblonga, vel oblonga, basi vix aut neutiquam cordata, nec auriculata. Racemi florum terminales, fructiferi longi. Pedunculi calice longiores. Sepala oblongo-linearia, obtusa, pallide virentia, glabra vel raro pilis aliquot praedita, margine membranacea. Petala alba vel interdum pallide rosea, limbo obovato, patente, calice plerumque duplo longiora. Filamenta staminum alba; antherae sagittato-oblongae, luteae. Stigma integrum subindeve emarginatum. Siliquae duas tertias lineae partes latae, pleraeque uncias duas, duas et semis, nonnullae sesquunciam, apud nos, longae, graciles, compressae, torulosae, glaberrimae, nervosae, subsecundae. Semina ovata, compressa, marginata. Planta pilis simplicibus ramosisque hirsuta, superne glabra; variat foliis virentibus vel canescentibus, integris et serratis, radicalibus nonnullis interdum serrato-lyratis; petalis albis roseisve calicem vel paullo vel duplo et ultra superantibus.

In collinis montanisque frequens.

Fl. aprili, majo. ♃

Obs. Spectat ad *Arab. collinam* ex clarissimo Tenor. Fl. neap. Syll. l. c. *Arabis rosea* DC. Syst. 2. p. 215. et Deless. Icon. select. 2. tab. 23.: huic vero habitus quam in nostris speciminibus robustior.

XLIV. BARBAREA

Barbarea Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 109. DC. Syst. 2. p. 205. et Prod. 1. p. 140. Erysimi et Sisymbrii sp. Linn.

Calix erectus, basi parum inaequalis. Glandulae nectariferae 4. Siliqua tetraquetro-anceps; valvis convexo-carinatis. Semina immarginata, tuberculoso-punctata, unica serie disposita. Cotyledones accumbentes o=.

93. BARBAREA PRAECOX

B. foliis inferioribus lyratis, lobis lateralibus pluribus, terminali ovato; foliis superioribus pinnatipartitis, lobis lineari-oblongis; siliquis erecto-patulis.

Barbarea praecox Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 109. DC.! Syst. 2. p. 207. et Prod. 1. p. 140. Tenor.! Fl. neap. Syll. p. 321.

Erysimum praecox Sm. Fl. brit. 2. p. 707. Willd. Sp. 3. p. 510. Savi Bot. etr. 2. p. 193. DC. Fl. fr. 4. p. 661. Lois. Fl. gall. 2. p. 78.

E. Barbarea var. β. Linn. Sp. p. 922.

E. Barbarea var. All. Fl. ped. 1. p. 273. et Herbar.

Sisymbrium Barbareae var. All. Auct. ad Fl. ped. p. 19. et Herbar.

Ic. — Erysimum praecox Engl. bot. 16. tab. 1129. Fl. dan. tab. 1759. Petiv. engl. Herb. tab. 46. ic. 2. Encyc. of plants by Loudon ic. 8978.

Caulis bi-tripedalis, striato-angulatus, ramosus. Folia pinnatim divisa, lobis juxta rachidem decurrentibus, pluribus; radicalia lobis profundius divisis, lateralibus irregulariter ovatis vel oblongis, terminali ovato, raro cordato, magno; caulina media lobis oblongis; superiora lobis lineari-oblongis: petioli semiamplexicaules, basi auriculati. Flores pallide lutei. Racemi erecti: pedunculis calicis longitudine, fructiferis valde incrassatis. Siliqua biuncialis et ultra. Semina fusca, ovata, (oculo armato) tuberculoso-punctata. Planta glabra, petiolis margine plus minusve ciliatis.

In humidis umbrosis et juxta rivulos locis collinis montanisque Barì, Arizzo.
Fl. aprili, majo. ②

Ital. *Erba S. Barbara. Irione primaticcio.*

Herba Nasturtium officinale virtute aemulans, recens in acetariis adhibita.

94. BARBAREA RUPICOLA

B. foliis inferioribus indivisis lyratisve, lobo laterali utrinque unico, terminali ovato, subcordato; foliis superioribus sinuato-pinnatifidis, lobis lateralibus lineari-oblongis paucisque, terminali oblongo-lanceolato; siliquis longis, erecto-patulis.

Barbarea rupicola Moris Elench. Stirp. sard. fasc. 1. p. 55.

Ic. — Tab. x.

Radix lignosa, obliqua. Caules ex eodem caespite saepe plures, basi interdum purpurascentes, longitudine semipedales sesquipedales, striato-angulati, simplices aut superne plerumque ramosi. Folia radicalia et caulina inferiora variant alia indivisa, alia lyrata subindeve omnia indivisa aut omnia lyrata, lobo terminali ovato, saepe cordato, integro aut repando, in petiolum plus minusve longum more congenerum decurrente, lobo laterali utrinque unico, exiguo, ovato; caulina caetera sinuato-pinnatifida, lobo terminali oblongo aut oblongo-lanceolato, sinuato-dentato, lateralibus utrinque 1-2, oblongis aut linearibus. Petioli basi semiamplexicaules, auriculati, nec margine ciliati ut in praecedente. Pedunculi longitudine calicem superantes, plerique longiores quam in *Barbarea praecoce*, fructiferi ascendentes vel patuli, minus incrassati ac in specie praecedente. Sepala convexo-carinata, oblonga, obtusa, medio pallide virentia, caeterum lutescentia, margine attenuata. Petala lutea, limbo obovato, integro. Stamina duo breviora calicem subaequantia, quatuor longiora petalis paullo breviora. Siliquae tenues, longitudine etiam biunciales et ultra, tetraquetro-ancipites. Semina ut in praecedente. Planta glabra.

In montanis humidis praeruptis opacis, inter rupium fissuras aqua irroratas et juxta rivulos montium Cuglieri, Arizzo, Limbara; nec ad humiliora etsi umbrosa humentiaque loca descendere mihi observata est.

Fl. majo, junio. ♃

Virtus praecedentis.

Obs. Barbarea nostra *rupicola* foliorum forma ad *Barbaream vulgarem* quadantenus accedit, siliquis autem duplo triplove longioribus recedit. A *Barbarea praecoce* differt foliis infimis saepe indivisis, lobis omnium lateralibus numero semper paucis, praeterea petiolis margine non ciliatis quo quidem charactere iterum ad *Barbaream vulgarem* accedit, caeterum planta in aliis atque aliis Sardiniae locis inspecta eamdem constanter propriamque retulit faciem.

XLV. CHEIRANTHUS

Cheiranthus Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 118. DC. Syst. 2. p. 178. et Prod. 1. p. 135. Cheiranthi sp. Linn. Juss.

Calix erectus, basi bisaccatus. Petala longe unguiculata. Siliqua tetraquetra, compressa, longa. Stigma capitatum aut bilobum, lobis dorso haud gibbis. Semina monosticha, compressa. Cotyledones accumbentes o=.

95. CHEIRANTHUS CHEIRI

C. caule suffruticoso; ramis angulatis; foliis lanceolatis, acutis, integris, pube simplici et bipartita; siliquis compressis, linearibus, stigmate bifido.

Cheiranthus Cheiri α. Linn. Sp. p. 924. Presl Fl. sic. 1. p. 43. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 387.

C. Cheiri *fruticulosus* DC. Syst. 2. p. 179. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 254.

C. fruticulosus Linn. Mant. 94. Willd. Sp. 3. p. 516. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 23.

Ic. — Leucojum aureum Math. Valgr. p. 877. ic.

L. floribus luteis, Keiri arabum. Lob. Obs. p. 179. ic. 1. ✦

L. luteum, Keiri. Lob. Icon. tab. 330. ic. 1. ✦ Dod. Pempt. p. 160. ic. 2. ✦

Viola petraea lutea. Tabern. Kraut. 2. p. 688. ic. 1.

Leucojum vulgo Keiri, flore simplici. J. Bauh. Hist. 2. p. 872. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 278. ic. 4. ⁂

L. luteum vulgare. Moris. Hist. sect. 3. tab. 8. ic. 15. ✦

Caulis suffruticosus, ramosus, ramis angulatis, confertim foliosis. Folia lanceolata, acuta, petioli instar basi attenuata, virentia vel subtus praecipue canescentia, integra, aut raro infima subserrata. Flores in racemos terminales dispositi, odori. Sepala oblongo-linearia. Petala lutea. Filamenta staminum basi non dilatata. Siliquae erectae, canescentes, subancipites; stigmatum lobis modo recurvis, modo non. Semina matura, immarginata. Planta pubescens, pube simplici et bipartita adpressa.

Inter rupium fissuras S. Michele (Cagliari), Arcuentu, montis nieddu Bosa.

Fl. vere. ♄

Obs. Icones citatae TABERNAEMONTANI et J. BAUHINI ad *Cheiranthum fruticulosum* L. relatae, cum nostro *Cheirantho Cheiri* congruunt perinde ac illae DODONAEI et LOBELII quae ad *Cheiranthum Cheiri* L. referuntur. Icon *Leucojum minus fruticans* BARR. Icon. tab. 1228. petalis praesertim tenuioribus differt. *Cheiranthus fruticulosus* Engl. bot. vol. 27. tab. 1934. flores duplo majores praebet ac noster.

Cheiranthus Cheiri major seu *hortensis*, minus pubescens, nec canescens, foliis floribusque amplis (italice *Leucojo giallo, Cheiri, Keiri, Violacciocca gialla, Viole a ciocche*. Vern. m. *Viola gròga*. Vern. s. *Bàscu*), in Sardinia mihi non observata nisi in hortis culta, ubi variat flore pleno floribusque extus ferrugineis. Ejus flos aliaeque plantae partes veteribus graecis in pretio fuere; emmenagogae et deobstruentes habitae, nunc obsoletae.

XLVI. MATHIOLA

Mathiola BR. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 119. DC. Syst. 2. p. 162. et Prod. 1. p. 132. non LINN. Cheiranthi sp. LINN. JUSS.

Calix erectus, basi bisaccatus. Petala longe unguiculata. Siliqua teres vel compressa, longa; stigmate bilobo, lobis conniventibus, dorso incrassatis cornigerisve. Semina compressa, unica serie disposita, saepe marginata. Cotyledones accumbentes o=.

96. MATHIOLA INCANA

M. caule basi suffruticoso, ramoso; foliis lanceolato-oblongis, subincano tomentosis, caulinis integerrimis; siliquis tereti-compressis, eglandulosis; stigmatibus incrassatis; seminibus marginatis.

Mathiola incana BR. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 119. DC.! Syst. 2. p. 163. et Prod. 1. p. 132.

PRESL Fl. sic. 1. p. 39. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 246. et Suppl. p. 212. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 10. CAMBESS. En. pl. balear. p. 35.

Cheiranthus incanus LINN. Sp. p. 924. WILLD. Sp. 3. p. 520.

DESF. Fl. atl. 2. p. 86. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 12. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 95. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 24. SEBAST. et MAUR. Fl. rom.

Prod. p. 218. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 165. ALL.! Auct. ad Fl. ped. p. 19. DC. Fl. fr. 4. p. 656. LOIS. Fl. gall. 2. p. 75.

Ic. — Engl. bot. 27. tab. 1935.

Viola matronalis FUCHS. Hist. p. 314. 315. ic.

Leucojum album et purpureum. MATH. Valgr. p. 876. ic. LOB. Obs. p. 178. ic. 4. ✦

Viola alba et purpurea. LOB. Icon. tab. 329. ic. 2. ✦

Leucojum candidum majus DOD. Pempt. p. 159. ic. 1. ✦

Leucojum incanum majus. MORIS. Hist. sect. 3. tab. 8. ic. 1. ✦

Caulis basi suffruticosus, erectus, ramosus, teres. Folia caulina integra nonnullaque subundulata, radicalia saepe sinuata, omnia lanceolata vel oblonga, obtusa, basi petioli instar attenuata. Racemi floriferi demum longi, pedunculis fructiferis erectis vel adscendentibus. Flores odori. Sepala oblongo-linearia, erecta, subcolorata, margine membranacea. Petala limbo obovato, saepe denticulato-subemarginato, purpurea aut coccinea, ungue flavescente. Filamenta virentia, longiora basi dilatata. Siliqua tri-quadriuncialis, subtorulosa. Semina compressa, cordato-ovata, marginato-alata. Planta pilis brevibus, stellatis, molliter tomentosa, subcanescens subindeve foliis pallide virentibus.

In litoreis et rupestribus maritimis circa Cala bona (Alghero) et in insula S. Pietro : occurrit nonnumquam flore pleno. Multiplex autem ejus varietas flore albo, purpureo, vario-picto, simplici plenove in hortis colitur.

Fl. aprili, majo. ♄

Ital. *Violacciocco pavonazzo. Violacciocco vinato.*

Vern. m. *Viola arrùbia.*

97. MATHIOLA SINUATA

M. caule herbaceo, ramoso; foliis lanceolato-oblongis, incano-tomentosis, radicalibus caulinisque inferioribus sinuatis; siliquis compressis, tomentosis, glanduloso-muricatis; stigmatibus incrassatis; seminibus marginatis.

Mathiola sinuata BR. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 120. DC.! Syst. 2. p. 167. et Prod. 1. p. 133.

PRESL Fl. sic. 1. p. 40. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 247. et Suppl. p. 213. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 322.

Cheiranthus sinuatus LINN. Sp. p. 926. WILLD. Sp. 3. p. 524.
DESF. Fl. atl. 2. p. 83. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 27. et Fl. graec. 7. p. 37. URV. En. pl. archip. p. 82. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 191. ALL.! Fl. ped. 1. p. 273. DC. Fl. fr. 4. p. 657. LOIS. Fl. gall. 2. p. 75.
SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 7. tab. 462. Fl. graec. 7. tab. 640. Iconogr. taurin. 31. tab. 81.
Leucojum maritimum majus. LOB. Adv. p. 141. ic. ✶ et Icon. p. 330. ic. 2. ✶ (*petala nimis angusta*).
L. maritimum majus, latifolium. J. BAUH. Hist. 2. p. 876. ic. 1. ☆ (*satis bona*). CHABR. Sciagr. p. 279. ic. 4. ☆

Caulis uni-bipedalis, erectus, teres, ramosus. Folia radicalia caulinaque inferiora lanceolato-oblonga, in petiolum attenuata, plus minusve sinuata, superiora lineari-lanceolata, integra. Racemi floriferi demum longi, multiflori, pedunculis, glandulis sparsis, muricatis, fructiferis patulis. Flores purpurei, advesperascente coelo noctuque odori. Sepala, petala staminaque fere ut in praecedente. Siliqua quadri-quinqueuncialis, torulosa, glandulis sparsis muricata. Semina compressa, cordato-ovata, marginato-alata. Planta dense floccoso-tomentosa, tomento stellato, incano.

In arenis maritimis litoris orientalis, insulae Tavolara, Oristano circa Stagnum di sasso, Alghero.
Fl. ab aprili ad julium. ②
Vern. Algher. *Violetta de mare.*

98. MATHIOLA TRICUSPIDATA

M. caule herbaceo, ramoso; foliis sinuato-pinnatifidis, oblongis, incano-tomentosis; siliquis tomentosis, subglandulosis, apice tricuspidatis, cuspidibus acutis, subaequalibus; seminibus demum immarginatis.

Mathiola tricuspidata BR. l. c. DC.! Syst. 2. p. 175. et Prod. 1. p. 134.
PRESL Fl. sic. 1. p. 42. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 251. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 322.
Cheiranthus tricuspidatus LINN. Sp. p. 926. WILLD. Sp. 3. p. 523.
DESF. Fl. atl. 2. p. 88. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 95. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 12. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 26. et Fl. graec. 7. p. 36. URV. En. pl. archip. p. 81. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 191. ALL.! Auct. ad Fl. ped. p. 19. DC. Fl. fr. 4. p. 655. LOIS. Fl. gall. 2. p. 75.

Soleirol! Requien.! Pl. siccat. e Corsica.
Cheiranthus villosus. Forsk. Fl. aegypt. p. cxix. Descript. p. 120.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 639.
Leucojis affine Tripolium Anguillarae et Leucojum maritimum Camerarii. J. Bauh. Hist. 2. p. 876. ic. 2. ☆ (*bona*).
Leucojum maritimum Camerarii, Tripolium Leucojis affine etc. Chabr. Sciagr. p. 280. ic. 2. ☆
Leucojum marinum Cam. Moris. Hist. sect. 3. tab. 8. ic. 13. (*siliquis basi ventricosis peccans*).

Caulis pedalis, teres, ex ipsa basi saepius ramoso-diffusus. Folia oblonga, basi attenuata, sinubus lobisque plerumque obtusis. Racemi multiflori, demum producti; pedunculis fructiferis patulis. Sepala petalaque ut in praecedentibus. Siliquae teretes, longitudine unciales, biunciales et ultra, apice tricuspidatae, cuspidibus acutis, lateralibus primum deflexis, demum horizontalibus vel adscendentibus intermediam aequantibus vel paullo superantibus. Semina compressa, ovato-oblonga, demum immarginata.
In litoreis arenosis Sardiniae et insularum adjacentium.
Fl. ab aprili ad junium. ①
Vern. s. *Berbesa*. — Vern. l. *Erva cravina*. — Porto-torres *Bacu marinu*.

XLVII. MALCOLMIA

Malcolmia Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 121. DC. Syst. 2. p. 438. et Prod. 1. p. 186. Cheiranthi et Hesperidis sp. Linn.

Calix erectus, basi bigibbus aut subaequalis. Siliqua teres; stigmatibus duobus conicis, arcte conniventibus coalitisque subindeve demum divisis. Semina immarginata. Cotyledones incumbentes o ||.

99. MALCOLMIA PARVIFLORA

M. pilis stellatis tomentoso-pubescens cinerascensque; foliis lineari-oblongis, obtusis, subintegris; pedunculis demum calicem subsuperantibus; siliquis torulosis, tenuibus.
Malcolmia parviflora DC.! Syst. 2. p. 442. et Prod. 1. p. 187.

Presl Fl. sic. 1. p. 71. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 265. et Pl. rar. p. 276. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 572.

Hesperis parviflora DC. Fl. fr. 4. p. 654. et Suppl. p. 590. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 219. Savi Bot. etr. 2. p. 195.

H. ramosissima Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 11. Biv. Sic. Cent. 2. p. 29. Presl Fl. sic. 1. p. 72. (*excl. syn.? praeter* Bivon). Lois. Fl. gall. 2. p. 77. (*excl. syn.* Desf. *et* DC. *Syst.?*).

Ic. — Lois. Fl. gall. tab. 11. DC. Icon. gall. rar. tab. 35.

Radix longa, flexuosa, inferne fibrosa. Caules ex eadem saepe radice plures, erecti aut ascendentes, palmares pedalesve. Folia inferiora saepe oblongo-obovata aut obverse lanceolata, caetera lineari-oblonga aut lineari-lanceolata, omnia obtusa, integra aut leviter paucidentata. Calix ungue petalorum brevior, basi vix bisaccatus, sepalis linearibus, virentibus, moxque per anthesim purpurascentibus, margine membranaceis. Petala violacea, limbo obovato. Siliquae exiles, teretiusculae, torulosae, stellato-pubescentes, stylo brevissimo, glabro apiculatae, stigmatibus conniventibus, arcte coalitis subindeve demum divisis atque interdum divergentibus. Semina oblonga, minima, fulva, laevia, duabus juxta longitudinem lineis exarata. Planta cineraceo-tomentosa.

In arenosis maritimis litoris praesertim orientalis et in insula Tavolara.

Fl. martio, aprili. ①

Obs. Species stigmata duo divisa referens in siliquis maturis, nec tamen constanter neque in omnibus ejusdem plantae; quamobrem vel si pauca spectentur specimina aut alia siliquis maturis, alia non, modo ad *Malcolmias*, modo ad *Hesperides* prima fronte spectare videbitur. Styli acuties res procul dubio varia, quod ex plurimis quae habeo speciminibus eruo; tamen in icone Lois. l. c. styli nimium tenues.

Hesperis ramosissima Desf. Fl. atl. 2. p. 91. ex speciminibus atlanticis Herbarii Desf. et aegyptiis Herbarii DC. differt a *Malcolmia parviflora* floribus paullo majoribus, antheris linearibus duploque longioribus, calice basi conspicuius saccato, siliquis multo magis torulosis hirsutisque, tota planta stellato-hirsuta potiusquam tomentosa. Caeterum stirpes habitum plane similem referunt. Num varietates a climate?

XLVIII. SISYMBRIUM

Sisymbrium All. Fl. ped. 1. p. 274. Br. in H. kew. (ed. 2.) 4. p. 111. DC. Syst. 2. p. 458. et Prod. 1. p. 190. Erysimum Tourn. Inst. tab. 111. Sisymbrii et Erysimi sp. Linn.

Calix laxus, basi aequalis. Siliqua teretiuscula vel obsolete angulosa, stylo brevissimo aut stigmate sessili. Semina ovata aut oblonga, immarginata, unica serie disposita. Cotyledones incumbentes o ||.

100. SISYMBRIUM OFFICINALE

S. caule erecto ramisque patentibus retrorsum hispidis; foliis pinnatipartitis, pilosis, runcinatis; racemis spicaeformibus, nudis; siliquis adpressis, rectis, subulatis; stylo brevissimo.

Sisymbrium officinale Scop. Fl. carn. (ed. 2.) n.° 824. DC. Syst. 2. p. 460. et Prod. 1. p. 191.

Presl Fl. sic. 1. p. 73. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 269. et Suppl. p. 213. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 319. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. All.! Fl. ped. 1. p. 277. DC. Fl. fr. 4. p. 672. Lois. Fl. gall. 2. p. 81. Cambess. En. pl. balear. p. 38.

Erysimum officinale Linn. Sp. p. 922. Willd. Sp. 3. p. 509.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 500. Desf. Fl. atl. 2. p. 85. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 22. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 189. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 218. Savi Fl. pis. 2. p. 100. et Bot. etr. 2. p. 194. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 165.

Ic. — Engl. bot. 11. tab. 735. Fl. dan. tab. 560. Bull. Herb. tab. 259. Iconogr. taurin. 9. tab. 76. ic. 2. (*etsi caulis glaberrimus*).

Verbena foemina Trag. Stirp. p. 102. ic. 1. (*non* Brunf.).

V. recta sive mas Fuchs. Hist. p. 592. ic. ⁂

Irio sive Erysimum Lob. Adv. p. 69. ic. ✦ et Icon. tab. 206. ic. 1. ✦ (*siliquis non adpressis*). Dod. Pempt. p. 714. ic. ⁂

Erysimum vulgare Zannich. Ist. tab. 287. Moris. Hist. sect. 3. tab. 3. ic. 1. ⁂ (*mala*).

E. Tragi, flosculis luteis juxta muros proveniens J. Bauh. Hist. 2. p. 863. ic. ⁂

Irio sive Erysimum Chabr. Sciagr. p. 278. ic. 1. ⁂

Radix fusiformis, ad perpendiculum descendens. Caulis pedalis,

sesquipedalis, erectus, simplex aut ramosus, foliosus, teres, pilis tenuibus rigidisque, brevibus, deflexis, una cum aliis paullo majoribus setosis et calloso puncto insidentibus, apud nos, hispidus. Rami patuli. Folia facie virentia, subtus glaucescentia, pinnatipartito-runcinata, petiolis canaliculatis, partitionibus utrinque tribus-quatuor, inciso-dentatis, angulatis subintegrisve, irregulariter ovatis, terminali majore subtriangula, inciso-lobata; folia superiora sessilia partitionibus sensim numero minoribus, angustioribusque, terminali majore lanceolata, subintegra. Racemi terminales spicaeformes, stricti, nudi, demum valde longi. Pedunculi calice breviores, erecti, fructiferi incrassati. Sepala oblonga, concava, obtusa, extus pilosiuscula, virentia, demum lutescentia. Petala lineari-spathulata, exigua, integra, lutea, sepalis fere duplo longiora. Stamina glabra, petalis vix breviora; antheris luteis, demum nigrescentibus. Stigma capitatum. Siliquae longitudine semiunciales, striato-angulatae, villoso-pubescentes, rachidi adpressae, subulatae, stylo brevissimo mucronatae. Semina matura non vidi.

In ruderatis et ad vias.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Irione rapicella. Cascellora. Erba cornacchia. Erba crociona. Erba grana maschio. Erisamo. Verbena muschiata.*

Herba tamquam diuretica, expectorans, antiscorbutica jamdiu celebrata: syrupus ex ejus succo recente paratus in viarum aërearum catarrhis adhiberi consuevit.

Specimina *Sisymbrii officinalis* in Sardinia lecta, caules ramosque non pubescentes, ut in *Sisymbrio officinali, vulgari* Europae temperatae, sed hispidos referunt, caeterum discrimen nullum.

101. SISYMBRIUM IRIO

S. caule foliisque glabris, runcinato-pinnatipartitis, partitionibus dentatis, terminali longiore; calice siliquisque erecto-patulis, laevibus; stigmate sessili; racemis terminalibus, nudis.

Sisymbrium Irio Linn. Sp. p. 921. Willd. Sp. 3. p. 503. DC.! Syst. 2. p. 467. et Prod. 1. p. 192.

De Buch Catal. pl. canar. in archiv. bot. 1. p. 500. Decaisn. Florul. sinaic. in Ann. sc. nat. (1835.) 3. p. 271. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 95. Sibth. et Sm.

Fl. graec. Prod. 2. p. 20. Presl Fl. sic. 1. p. 73. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 270. et Suppl. p. 213. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 320. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 218. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 11. All.! Fl. ped. 1. p. 276. DC. Fl. fr. 4. p. 669. Lois. Fl. gall. 2. p. 82. Cambess. En. pl. balear. p. 38.

S. pinnatifidum Forsk. Fl. arab. p. cxvi. et Cent. iv. p. 118.

Ic. — Jacq. Fl. austr. tab. 322.

Irio apulus alter, laevi folio Erucae. Columm. Ecphr. tab. 265.

Erysimum latifolium majus, glabrum. Moris. Hist. sect. 3. tab. 3.? (*a* Columna *fortasse deprompta, siliquis tamen crassioribus nec torulosis*).

Sinapi sylvestre monspessulanum, lato folio, flosculo luteo, minimo, siliqua longissima. J. Bauh. Hist. 2. p. 858. ic.? ☆ Chabr. Sciagr. p. 274. ic. 6.? ☆

(Sisymbrium Irio Engl. bot. 23. tab. 1623. *floribus majoribus et siliquis minus gracilibus a nostro recedit.*)

β. *subindivisum*, foliis omnibus aut inferioribus indivisis, lanceolatis.

Radix fusiformis, inferne fibras agens. Caulis teretiusculus, glaber, superne ramosus, pedalis, bipedalis. Folia petiolata, glabra vel juxta nervum medium et margine interdum pilosiuscula, pinnatipartita, partitionibus lanceolatis, patentibus vel leniter recurvis, acutis, inaequaliter dentatis subindeve nonnullis integris, utrinque saepe quatuor-septem; in foliis superioribus, numero sensim minoribus longioribusque, in foliis ralicalibus, brevioribus et magis angulatis. Flores primum corymbosi, racemi mox producti. Rachis interdum pubescens. Calix erecto-patulus. Petala calice longiora, exigua, flava. Pedunculi fructiferi filiformes, ascendentes, tres-quinque lineas longi, glabri aut pubescentes, siliqua quadruplo aut quintuplo breviores. Siliquae teretiusculae, graciles, torulosae, glabrae, sesquiunciales aut fere biunciales; stigmate capitato, sessili, subemarginato. Semina oblonga, laevia, helvola.

In ruderatis et ad muros: frequens.

Fl. a februario ad junium. ①

Ital. *Erba irida. Ireos.*

Obs. Folia nostri *Sisymbrii Irionis* β. *subindivisi* variant in alio mihi obvio specimine omnia indivisa, lineari-lanceolata, in alio inferiora indivisa lanceolataque, caetera runcinato-pinnatifida, quamobrem speciem ab α. diversam

ex hactenus spectatis speciminibus haud putaverim, eo vel magis quod reliquo habitu caeterisque non differat characteribus.

102. SISYMBRIUM POLYCERATON

S. caulibus ramosis, patulis, foliisque glabris, repando-dentatis, inferioribus sinuato-runcinatis, laciniis acutis; pedunculis axillaribus, brevissimis, subternis.

Sisymbrium polyceratium Linn. Sp. p. 918. Willd. Sp. 3. p. 494. DC.! Syst. 2. p. 479. et Prod. 1. p. 194.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 71. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 19. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 188. Presl Fl. sic. 1. p. 74. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 268. et Suppl. p. 213. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 319. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 217. Savi Fl. pis. 2. p. 99. et Bot. etr. 2. p. 191. All.! Fl. ped. 1. p. 277. DC. Fl. fr. 4. p. 667. Lois. Fl. gall. 2. p. 80.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Sisymbrium siliquis axillaribus, sessilibus, subulatis, aggregatis; foliis repando-dentatis. Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 216.

Ic. — Jacq. Hort. vindob. 1. tab. 79. Iconogr. taurin. 27. tab. 82.

Irio alter Math. Valgr. p. 573. ic.

Erysimum Mathioli alterum. Lob. Obs. p. 103. ic. ✦ et Icon. tab. 206. ic. 2. ✦

Erysimon alterum Mathioli, siliquis parvis, quibusdam Dentaria. J. Bauh. Hist. 2. p. 864. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 278. ic. 2. ⁂

Erysimum polyceraton s. corniculatum. Moris. Hist. sect. 3. tab. 3. ic. 2. (*seriei secundae*).

(*Huc allata ab Auctoribus icon* Turritis foliis caulem ambientibus, Polyceration Bocc. Mus. tab. 41. *differt a* Sisymbrio polyceratio *siliquis versus apicem non attenuatis, racemo nudo, foliis superioribus non hastatis*).

Radix fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caules ex eadem radice plures, teretes, patuli, valde foliosi ramosique, pedales, sesquipedales. Folia petiolata, repando-dentata, inferiora sinuato-pinnatifida aut pinnatipartita, laciniis acutis, in radicalibus saepe deorsum vergentibus (runcinata), in caeteris saepius horizontalibus, infimis cujusque folii majoribus: folia superiora lanceolata, subhastata, brevius petiolata. Flores axillares, solitarii, bini ternive, exigui. Sepala apice pilosa, pilis rigidulis, paucis. Petala, pallide lutea, sepala

subaequantia. Pedunculi brevissimi, erecti, fructiferi incrassati. Siliquae 6-9 lineas longae, teretiusculae, torulosae, versus apicem attenuatae, glabrae (oculo armato, scabriusculae), pleraeque arcuatae, stylo brevi crasso, stigmate subemarginato. Semina ovata, helvola. Planta glabra, foetida.

Circa moenia Carlo-forte, in insula S. Pietro : et in ruderatis peninsulae S. Antioco. Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Crescione fetido.*

103. SISYMBRIUM ERYSIMOIDES.

S. caule erecto foliisque glabris, lyrato-pinnatipartitis, inaequaliter inciso-dentatis; racemis terminalibus, nudis; pedunculis brevissimis; siliquis rigidis, subulatis, rectangulo patentibus.

Sisymbrium erysimoides Desf. Fl. atl. 2. p. 84. Willd. Sp. 3. p. 502. DC. Syst. 2. p. 482. et Prod. 1. p. 195.

S. rigidulum Lag. Gen. et Sp. p. 20.

Ic. — Desf. Fl. atl. tab. 158.

Radix fusiformis, flexuosa, inferne fibras ramosve agens. Caulis erectus, firmus, tenuissime striatus, simplex aut ramosus, glaber, aetate purpurascens, pedalis, sesquipedalis. Ramuli saepe pilosiusculi. Folia lyrato-pinnatipartita, partitionibus lanceolatis, inaequaliter acuteque inciso-dentatis, terminali multo majore triangulari sive triangulo-lanceolata. Racemi longi, nudi: pedunculi brevissimi ad latus superius puberuli, fructiferi incrassati, angulo recto patentes, vix lineam nonnullique sesquilineam nec ultra longi. Siliquae subcompressae, glabrae, rectae, subulatae, longitudine unciales, sesquiunciales, patentissimae, rigidae, valvis juxta longitudinem trinerviis, stigmate subsessili, subemarginato. Semina oblonga, helvola, hinc stria longitudinali praedita, (oculo armato) punctata. Flores non vidi (albi ex Desf. l. c.).

In montanis apricis calcareis Gartellì lectum mense junio: in collinis aridis, graniticis, maritimis circa Geremèas aprili: siliquis omnibus jam maturis. (1)

Congruunt specimina *Sisymbrii erysimoidis* sardoa cum icone citata Desf. nec differunt nisi siliquis gracilioribus.

XLIX. BRASSICA

Brassica Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1096. Juss. Gen. p. 238. Brassica et Eruca DC. Lmck. Ill. tab. 565. Gaertn. Fr. tab. 143. Brassica, Eruca, Rapa et Napus Tourn. Inst. tab. 106. 111. 113.

Calix erectus, plus minusve connivens. Glandulae nectariferae 4. Siliqua teretiuscula, valvis convexis aut nervo medio carinatis; stylo subconico, monospermo vel aspermo. Semina globosa, unica serie disposita. Cotyledones conduplicatae ⋙.

104. BRASSICA CHEIRANTHUS

B. foliis petiolatis, subhispidis, pinnatipartitis, inferiorum partitionibus oblongo-lanceolatis, sinuato-dentatis pinnatifidisve, superiorum lineari-lanceolatis; caule inferne hispidulo; siliquis non stipitatis, torulosis, rostro ancipite, submonospermo.

Brassica Cheiranthus Vill. Hist. 3. p. 332. Willd. Sp. 3. p. 552. (*excl.* Linn. *et* Barr. *syn.*). DC. Syst. 2. p. 600. et Prod. 1. p. 216.

Tenor. Fl. neap. Syll. p. 328. DC. Fl. fr. 4. p. 650. Lois. Fl. gall. 2. p. 70. Duby Bot. gall. 1. p. 51.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

B. montana DC. Fl. fr. 4. p. 651.

B. Erucastrum Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 2. p. 1. non Linn.

Sinapis Tournefortii All.! Fl. ped. 1. p. 265. (*excl. syn. ex* All. Auct. p. 17.).

S. recurvata All.! Fl. ped. et Auct. l. c. Desf. Fl. atl. 2. p. 97.

S. Cheiranthus Koch. Deutsch. Fl. 4. p. 717.

Ic. — All. Fl. ped. tab. 87. (*stylus brevior quam in nostra planta et nimis acutus*) Vill. l. c. tab. 36. (*flos et fructus*).

Leucojum terrestre majus Columm. Ecphr. p. 262. ic. 1.

Radix crassiuscula, tereti-fusiformis. Caulis bi-tripedalis, herbaceus, teres, ramosus, pilis setosis, patentibus, sparsis, versus basim praesertim hispidulus, superne glaber. Folia ad petiolorum marginem et nonnumquam juxta nervos pilis setulosis, paucis praedita, radicalia conferta caulinaque inferiora petiolata, pinnatisecta vel pro-

funde pinnatipartita, partitionibus oblongis vel oblongo-lanceolatis, sinuato- aut pinnatifido-dentatis, infimis cujusque folii minoribus, caeteris sensim auctis, propioribus supremisque confluentibus; folia caulina media brevius petiolata, caeterum fere uti radicalia; suprema pinnatifida aut pinnatipartita (raro unum alterumve lineari-lanceolatum indivisumque), laciniis lineari-lanceolatis, vix dentatis aut integerrimis. Sepala lineari-oblonga, viridi-flavescentia aut colorata, apice pilosiuscula. Antherae sagittato-lineares. Stigma obsolete bilobum. Petala limbo obovato, flavo, subvenoso. Pedunculi fructiferi 3-5-lineas longi, plus minusve demum patentes. Siliquae non stipitatae, glabrae, rectae aut curvae, torulosae, sesquiunciales fereve triunciales, rostro 4-5-lineas longo, subancipite, saepe monospermo. Semina matura non vidi.

In umbrosis montium Bollotana, Patada; ab 800 ad 900 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo. ② ♃?

Obs. Brassica Cheiranthus radice bienni aut perenni nec annua, ab affinibus *Brassica Erucastro* Linn. et *Brassica Tournefortii* Gouan differt: a *Brassica Erucastro* praeterea foliis tenerioribus, pilis setosis, rigidioribus, ad ipsam caulis basim angulo recto patentibus nec deflexis, floribus fere duplo majoribus, siliquis non stipitatis, rostro longiore, ancipite et magis dilatato: a *Brassica Tournefortii* Gouan. Ill. tab. 20. A. floribus longe majoribus, siliquis rostro quadruplo longioribus caeterisque differt, ut noster jam clariss. Allionius in Auctario l. c. adnotavit.

105. BRASSICA INSULARIS

B. suffruticosa, glabra; foliis crassiusculis, glaucis; inferioribus petiolatis, indivisis lyratisve, inaequaliter crenato-dentatis subintegrisve; superioribus longe linearibus, sessilibus; (petalis albis, venis sanguineis) antheris rectis; siliquis subtetraquetris, nervosis, brevi stipitatis, rostro longiusculo, conico, aspermo.

Brassica cretica Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 3. non Sibth. et Sm.

Ic. — Tab. xi.

Caulis fruticosus, digiti pollicis crassitie, cortice cineraceo, rugoso obductus, e rupium fissuris erumpens, longitudine circiter

semipedalis, ramos flexuosos emittens, basi frutescentes, rugosos et veterum petiolorum cicatricibus notatos, in ramulos abeuntes semipedales, pedales et paullo ultra. Folia crassiuscula, glauca, subtus pallidiora, primordialia orbiculata, subrepanda, late crenata aut serrato-dentata, margine pilis rigidulis raris subciliata; quae ad basim ramorum floriferorum vel circa summitatem sterilium originem ducunt, conferta sunt et forma admodum varia; modo scilicet ovato-orbiculata praesertim in ramis junioribus, modo ovato-oblonga aut rarius oblongo-lanceolata, basi cordata vel non, alia lyrata, alia indivisa, vel omnia indivisa omniave lyrata, lobis distinctis aut confluentibus, ovatis, rotundatis aut oblongis, lateralibus paucis exiguisque, terminali maximo, 2-6-uncias longo, 1-4-lato, subintegro aut late crenato dentatove vel irregulariter sinuato-dentato; petiolis plus aut minus profunde canaliculatis, non auriculatis, limbo subaequalibus aut brevioribus: folia quae juxta ramos floriferos oriuntur sensim minora, ex infimis aliquot interdum vix petiolata, caetera sessilia, angustiora, linearia obtusaque, omnia integra aut serrato-dentata, supra ramulos sparsa et ad eorum divisiones. Ramuli, superne praesertim, angulati. Flores racemoso-corymbosi, magni. Racemi mox producti. Sepala oblongo-linearia, obtusiuscula. Petala alba, venis sanguineis, limbo obovato, calice duplo et ultra longiora. Antherae oblongo-lineares, flavescentes, basi sagittatae. Ovarium subrubens. Pedunculi fructiferi ascendentes aut angulo interdum recto patentes nonnullive deflexi, semiunciales, unciales. Siliquae lineam et dimidiam circiter crassae, breviter stipitatae, subtetraquetrae, vix aut neutiquam torulosae, juxta longitudinem reticulato-nervosae, rectae aut vix curvae, valvis longitudine bi-triuncialibus, rostro tres sex lineas longo, aspermo, juxta longitudinem obsolete nervoso, conico, basi nonnumquam leniter compresso. Semina sphaerica, fusca, oculo armato, tenuissime punctata. Planta pedalis, bipedalis, glauca, glabra vel pilis juxta nervos raro aliquot, in foliis infimis praedita.

Inter fissuras rupium vulcanicarum Arcuentu, la Cartiera (Cuglieri); calcarearum montis S. Giovanni (Iglesias), domus de Medusa (Samugheo) et insulae Tavolara.

Fl. aprili, majo. ♄

Obs. Specimen *Brassicae creticae* quod a clariss. Siebero habeo ex insula Creta, valde consentire videtur cum *Brassica* nostra *insulari*, folia enim refert inferiora sublyrata, lobo terminali maximo, subrepando lateque crenato; antheras, ut in nostra, neque fimbriatas neque aduncas; flores (ex sicco) albidos venososque. *Brassica* autem *cretica* Fl. graec. 7. p. 42. tab. 645. ad nostram habitu accedit, sed differt floribus flavis, non albis, nec venis sanguineis reticulatis; antheris fimbriatis, mucrone ascendente terminatis. A *Brassica rupestri* Rafin. Caratt. p. 77. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 279. nostra differt foliis radicalibus caulinisque infimis, haud semper lyratis; planta circiter bipedali, non quinquepedali; petalis albis, venis sangüineis pictis, non pallide vel intense luteis.

† BRASSICA OLERACEA

B. glaberrima; foliis pruinoso-glaucescentibus, crassiusculis, repandis lobatisve; siliquis erecto-patentibus, torulosis, rostro cylindraceo, mono-dispermo.

Brassica oleracea Linn. Sp. p. 932. Willd. Sp. 3. p. 548. DC. Syst. 2. p. 583. et Prod. 1. p. 213.

α. *acephala*, caule terete, procero; foliis expansis, racemis paniculatis.

* *vulgaris*, caule subsimplici, foliis sinuato-pinnatifidis.

Ital. *Cavolo arboreo.*

Vern. m. *Cauli a matta.*

** *Sabellica*, caule subsimplici, foliis sinuato-lobatis, lobulis crispis.

Brassica oleracea *Sabellica* Linn. l. c.

Ic. — Brassicae secundum genus Fuchs. Hist. p. 414. ic. ⁂

B. fimbriata Lob. Obs. p. 124. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 247. ic. 1. ✦

B. crispa Dod. Pempt. p. 622. ic. 1. ✦

B. crispa laciniosa J. Bauh. Hist. 2. p. 832. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 271. ic. 1. ⁂

Ital. *Cavolo crespo o a falpalà.*

Vern. s. *Caula crespa.*

β. *capitata*, caule pumilo, foliis concavis, non bullatis, in capitulum confertum ante florescentiam congregatis.

Brassica oleracea *capitata* Linn. l. c.

Brassicae quartum genus Fuchs. Hist. p. 416. ic. ⁂

Brassica capitata Lob. Obs. p. 123. ic. 1. ✦

B. capitata alba Dod. Pempt. p. 623. ic. 2. ✦

B. alba, sessilis, glomerata Lob. Icon. 1. p. 243. ic. 2. ✦
B. capitata alba J. Bauh. Hist. 2. p. 826. ic. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 269. ic. 1. ⍲
B. capitata alba et rubra Moris. Hist. sect. 3. tab. 1. ic. 1. ⍲
B. rubra capitata Dod. Pempt. p. 621. ic. 2. ⍲
B. capitata rubra J. Bauh. Hist. 2. p. 831. ic. 1. Chabr. Sciagr. p. 270. ic. 4. (*ut in* J. Bauhino).
Ital. *Cavolo cappuccio.*
Vern. m. *Cauli accupàu.*

γ. *caulo-rapa*, caule ad originem foliorum incrassato et subgloboso.
Brassica oleracea *gongylodes* Linn. Sp. l. c.
Ic. — Brassica caule rapum gerens Dod. Pempt. p. 625. ic. 1. ✦ Moris. Hist. sect. 3. tab. 1. ic. 12. ⍲
Caulorapum Lob. Adv. p. 463. ic. 2. ✦
Rapa, Brassica peregrina, caule rapam gerens Lob. Icon. tab. 246. ic. 1. ✦
Brassica caulorapa J. Bauh. Hist. 2. p. 830. ic. 1. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 270. ic. 3. ⍲
Ital. *Cavolo-rapa. Ravacoi.*
Vern. m. *Cauli a conca.*

δ. *Botrytis*, racemorum pedunculis corymbosis, confertis, ante florescentiam valde carnosis brevibusque, floribus saepe abortivis.
Brassica oleracea *Botrytis* Linn. Sp. l. c.
* *cauliflora*, caule humili; foliis oblongis, caesiis; capitulis crassis, terminalibus.
Ic. — Brassica cauliflora Dod. Pempt. p. 624. ic. 2.
B. florida Moris. Hist. sect. 3. tab. 1. ic. 10.
B. florida Botrytis Lob. Obs. p. 123. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 245. ic. 1. ✦
B. multiflora J. Bauh. Hist. 2. p. 829. ic. 1. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 269. ic. 4. ⍲
Ital. *Cavolo fiore. Cavolo di Malta.*
Vern. *Cauli a flori.*
** *asparagoides*, caule elatiore, foliis caesiis, longis; ramulis apice carnosis (floribus abortivis) alabastra minima gerentibus.
Ital. *Broccoli.*
Variat alabastris albis et purpurascentibus. Vern. *Brocculus biancus. Brocculus nieddus.*
Colitur in hortis. ② Var. *acephala* rara.

106. BRASSICA CAMPESTRIS

B. foliis pruinoso-glaucescentibus, radicalibus caulinisque inferioribus lyratis, hispidulis ciliatisque, caeteris cordato-semiamplexi-

caulibus, oblongis, acuminatis, glabris; siliquis teretiusculis; rostro conico-subulato, mono-aspermo.

Brassica campestris LINN. Sp. p. 931. WILLD. Sp. 3. p. 536. DC.! Syst. 2. p. 588. et Prod. 1. p. 214.

DESF. Fl. atl. 2. p. 94. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 44. PRESL Fl. sic. 1. p. 90. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 278. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 327. ALL. Fl. ped. 1. p. 266. LOIS. Fl. gall. 2. p. 69.

SOLEIROL ! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 32. tab. 2234.

Radix tereti-fusiformis. Caulis erectus, teres, glaber, glaucescens, ramosus, semipedalis, tripedalis. Folia glauca, subtus pallidiora, radicalia lyrata, dentata repandaque, juxta nervos pilis setosis paucis praedita, margine leviter ciliata: caulina inferiora fere uti radicalia: caetera cordato-semiamplexicaulia, ovato-acuta aut saepius oblonga, acuminata, subrepanda, dentata aut integra, glabra. Sepala oblonga, lutescentia. Petala lutea, sepalis duplo longiora. Racemi demum longi, pedunculis fructiferis 8-12-lineas longis, remotiusculis, nonnullis erectis, plerisque patulis. Siliquae substipitatae, ascendentes, teretiusculae, torulosae, juxta longitudinem nervosae, pedunculis duplo aut ultra longiores, rostro conico-subulato, striato, basi tetraquetro, mono- aut frequentius aspermo. Semina globosa, fusca, oculo armato, tuberculato-punctata.

In arvis maritimis montanisque frequens; praeterea colitur ad usum uti sequens. Fl. martio, aprili. ①

Ital. *Rapa salvatica. Rapaccini.* — Gall. *Colza. Colzat.*

Vern. m. *Caùli aresti.* — Vern. s. *Napu areste. Aligalza campina. Aligalza areste.*

Oleum e seminibus Brassicae campestris exprimitur, in artibus et oeconomia domestica proficuum.

+ BRASSICA NAPUS

B. glaberrima; foliis pruinoso-glaucescentibus, radicalibus lyratis, caulinis pinnatifidis, summis cordato-lanceolatis, semiamplexicaulibus; siliquis teretiusculis, rostro subancipite.

Brassica Napus LINN. Sp. p. 931. WILLD. Sp. 3. p. 547. DC. Syst. 2. p. 592. et Prod. 1. p. 214.

Ic. — Engl. bot. 30. tab. 2146.
Colitur in arvis et in hortis. (2)
Ital. *Colsat. Nagone. Navone. Napo. Navone domestico.*
Vern. m. *Napu.*
Oleum ex ejus seminibus exprimitur ad usum.

+ BRASSICA RAPA

B. radice carnosa; foliis radicalibus setoso-scabris, viridibus caulinisque inferioribus lyratis, summis cordato-lanceolatis, subintegerrimis, glabris; siliquis tereti-tetraquetris, rostro conico-subulato.

Brassica Rapa Linn. Sp. p. 931. Willd. Sp. 3. p. 548. DC. Syst. 2. p. 590. et Prod. 1. p. 214.

Ic. — Rapum Trag. Hist. p. 728. ic. ✧
R. sativum Fuchs. Hist. p. 212. ic. ✧
R. rotundum Math. Valgr. p. 435. ic.
R. vulgare Dod. Pempt. p. 673. ic. 1. ✦ Moris. Hist. sect. 3. tab. 2. ic. 1. ✦
R. majus orbiculatum Lob. Obs. p. 98. ic. 1. ✦
Orbiculatum seu turbinatum Rapum majus Lob. Icon. tab. 197. ic. 1. ✦
* *radice oblonga.*
Ic. — Rapum longum Math. Valgr. p. 436. ic.
R. tereti oblongaque radice Lob. Obs. p. 98. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 197. ic. 2. ✦
R. oblongius Dod. Pempt. p. 673. ic. 2. ✦ Moris. Hist. sect. 3. tab. 2. ic. 2. ✦

Radix infra collum, instar orbiculi carnosi, forma varii, saepe depressi, incrassata. Caulis erectus, teres, ramosus, laevis. Folia radicalia petiolata, lyrata, setoso-scabra, dentata, viridia nec glauco-pruinosa; caulina infima incisa vel fere uti radicalia; caetera cordato-lanceolata, subintegerrima, amplexicaulia, laevia, glaucescentia. Flores flavi, pedunculi fructiferi erecto-patentes, 6-10-lineas longi. Siliquae ascendentes, tereti-tetraquetrae, juxta longitudinem nervosae, pedunculis duplo triplove longiores. Rostrum conico-subulatum, striatum.

Colitur in hortis et in arvis, ad usum. (2)
Ital. *Rapa. Pulezze. Pulezzole.*
Vern. *Rava.*

107. BRASSICA SABULARIA

B. caule inferne foliisque hispidis, radicalibus lyrato-pinnatipartitis sectisve, lobis inciso-dentatis, postice auriculatis; foliis caulinis exiguis, paucis, summis lineari-lanceolatis indivisisque; siliquis torulosis, laxe racemosis, substipitatis, rostro compresso, longo, valvis duplo breviore.

Brassica sabularia Brot. Phyt. p. 97. Fl. lusit. 1. p. 582. DC.! Syst. 2. p. 605. et Prod. 1. p. 217. Spr. Syst. 2. p. 911. et Cur. post. p. 346.
B. rectangularis Viv.! App. 1.ª ad Fl. cors. Prod. p. 5.
Sisymbrium Parra Linn. Mant. 255. Willd. Sp. 3. p. 499.

Ic. — Brot. Phyt. lusit. tab. 43. (*planta glaberrima*).

Radix tereti-fusiformis, longa, ad perpendiculum descendens, albida, inferne fibras agens. Caulis erectus, herbaceus, teres, raro simplex, saepe parce ramosus, pedalis, sesquipedalis, pilis setosis, basi callosa insidentibus inferne hispidus, superne glaber. Folia subtus praesertim et juxta rachidem petiolumque hispida, radicalia plura, profunde pinnatipartita aut pinnatisecta, 2-4 uncias longa, lobis utrinque 6-9, ovatis oblongisve, inciso-dentatis sinuatisve, postice saepissime auriculato-lobulatis, imis cujusque folii sensim minoribus, summis confluentibus; folium caulinum inferius unum alterumve radicalibus simile, etsi valde exiguius, superiora ramorum basim ambientia, lineari-lanceolata, sessilia, acuta, minima, indivisa. Racemi erecti. Pedunculi glabriusculi, fructiferi semipatentes aut patentes, rigiduli, remoti, ebracteati, longitudine semunciales, unciales. Calix erectus, saepe demum purpurascens, basi subaequalis, sepalis oblongis, glabris aut inferne hispidulis. Petala flava, ungue calicis longitudine, limbo ovato, integro, venis paucis rubellis picto. Filamenta staminum glabra; antherae ovatae, flavae. Stigma capitatum. Siliquae subcompressae, leviter torulosae, glabrae, valvis nervo longitudinali medio praeditis, unciam, sesquunciam longis, rostro compresso, sex-novem lineas longo, mono- aut aspermo. Semina rufa, punctis tenuissimis, oculo armato, notata.

In arenis maritimis circa *la Scaffa* Cagliari, Porto-scuso, Calasetta S. Antioco, insulae Tavolara: et in arenosis circa Gonnessa.

Fl. februario, aprili. ①

108. BRASSICA ERUCA

B. foliis lyrato-pinnatipartitis, dentatis cauleque subhirsutis, pedunculis calice deciduo brevioribus; siliquae valvis oblongo-ellipticis, rostrum anceps, aspermum aequantibus paullove superantibus.

Brassica Eruca Linn. Sp. p. 932. Willd. Sp. 3. p. 552.

Desf. Fl. atl. 2. p. 95. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 30. et Fl. graec. 7. p. 43. α. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 191. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 285. Tenor. Fl. nap. 2. p. 90. et Syll. p. 328. Maur. rom. pl. Cent. 13. p. 33. All.! Fl. ped. 1. p. 267. DC. Fl. fr. 4. p. 649. Lois. Fl. gall. 2. p. 70.

Eruca sativa Lmck. Fl. fr. 2. p. 496. DC. Syst. 2. p. 637. et Prod. 1. p. 223.

Presl Fl. sic. 1. p. 104. (*excl. syn.* Cupan. et Bonanni). Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. Cambess. En. pl. balear. p. 41.

Ic. — Bull. Herb. tab. 313. Sibth. Fl. graec. 7. tab. 646. Iconogr. taurin. 9. tab. 42.

Sinapis alterum genus Fuchs. Hist. p. 539. ic. ✧

Eruca sativa Lob. Obs. p. 101. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 204. ic. 1. ✦ Dod. Pempt. p. 708. ic. 1. ✦

E. latifolia C. Bauh. Prod. p. 39. ic.

E. major sativa, annua, flore albo, striato J. Bauh. Hist. 2. p. 859. ic. ✧

Eruca Chabr. Sciagr. p. 276. ic. 1. ✧

E. latifolia, alba, sativa Dioscoridis Moris. Hist. sect. 3. tab. 5. ic. 1.

Radix fusiformis, flexuosa, fibras laterales agens. Caulis ex eadem radice unicus aut plures, pedales, bipedales, virides aut purpurascentes, teretiusculi, ramosi, basi decumbentes vel erecti, pilis rigidis, patentibus deflexisve plus minusve hirsuti. Folia crassiuscula, petiolata, lyrato-pinnatipartita, margine subciliata, superficie utraque hirsutiuscula aut glabra, inferiora petiolata, subtus subinde purpurascentia, partitionibus oblongis, dentatis, subincisis, a basi ad apicem in quoque folio sensim amplioribus, supremis subinde confluentibus, terminali majore ovata aut subrotunda: folia superiora sessilia, minus profunde divisa, lobis utrinque paucioribus, lanceo-

latis, subdentatis, acutiusculis, terminali oblongo-lanceolato: folia summa interdum hastata aut indivisa. Racemi florum demum producti. Sepala in tubum conniventia, lineari-oblonga, villosa glabrave, saepe liventia aut purpurascentia, margine superiore membranacea. Petala alba aut pallide citrina, venis atro-purpureis picta, calice duplo longiora, limbo obovato, integro aut vix emarginato. Pedunculi calice breviores, ascendentes erective, glabri aut pilosi, fructiferi subangulati. Siliquae subtetraquetrae, vix compressae, sesquilineam circiter demum crassae, rostro ancipite, striato, 3-4-lineas longo, valvas subaequante iisdemve paullo breviore, in nonnullis interdum duplo breviore. Semina ovata, subcompressa, laevia. Planta graveolens.

In ruderatis ad vias et in campis, circa Caralim vulgatissima.

Fl. a februario ad majum. ①

Ital. *Eruca. Rucola. Ruchetta.*

Vern. m. *Arrùcca.*

Herba recens in acetariis et inter ciborum condimenta recipitur. Semina acria.

L. SINAPIS

Sinapis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1097. Juss. Gen. p. 238. DC. Syst. 2. p. 607. et Prod. 1. p. 217. Tourn. Inst. tab. 112. Gaertn. Fr. 2. tab. 143. Lmck. Ill. tab. 566.

Calix patens, basi aequalis. Glandulae nectariferae 4. Siliqua teretiuscula; valvis concavis aut nervo medio subcarinatis; stylo conico-subulato aut ensiformi, mono-di- aut aspermo. Semina globosa, unica serie disposita. Cotyledones conduplicatae ≫.

109. SINAPIS ARVENSIS

S. caule foliisque piloso-scabris, ovali-oblongis lyratisve, dentatis; pedunculis brevibus; siliquis striato-multangulis, erectiusculis, torulosis, glabris hirtisve; valvis rostro subancipite sesqui triplove longioribus.

Sinapis arvensis Linn. Sp. p. 933. Willd. Sp. 3. p. 554. DC.! Syst. 2. p. 615. et Prod. 1. p. 219. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 70. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 31. Urv. En. pl. archip. p. 82. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 182. Presl Fl. sic. 1. p. 96. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 291. Suppl. p. 215. et Pl. rar. p. 280. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 329. Maur. rom. pl. Cent. 13. p. 33. Savi Fl. pis. 2. p. 106. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 166. All.! Fl. ped. 1. p. 262. DC. Fl. fr. 4. p. 644. Lois. Fl. gall. 2. p. 70. Cambess. En. pl. balear. p. 40.

Sinapis orientalis Linn. Sp. p. 933. Willd. Sp. 3. p. 554. DC.! Syst. 2. p. 616. et Prod. 1. l. c. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 12. DC. Fl. fr. 4. p. 645. Lois. Fl. gall. l. c.

Sinapis hispida Balb.! Misc. ped. p. 33. non Schousb.

* *Foliis indivisis nonnullisve vix lyratis.*

Ic. — Iconogr. taurin. 9. tab. 64. ic. 1. (*foliis omnibus indivisis*).

Irion Fuchs. Hist. p. 257. ic. ✢ (*foliis nonnullis vix lyratis*).

Rapistrum Dod. Pempt. p. 675. ic. 1. ✢

Lampsana vera, falso Theophrasti Erysimum Dod. Dalech. Hist. 1. p. 542. ic. 1. ✢

Rapistrum flore luteo J. Bauh. Hist. 2. p. 844. ic. ✢ Chabr. Sciagr. p. 273. ic. 1. ✢

** *Foliis plerisque lyratis.*

Ic. — Engl. bot. 25. tab. 1748. Iconogr. taurin. 9. tab. 64. ic. 2.

Radix tereti-fusiformis, saepe flexuosa, fibrillas laterales agens. Caulis erectus, teres, striatus, pilis setosis brevibus plus minusve hispidus, superne interdum glaber, pedalis, bipedalis et ultra. Folia hispido-scabra, inaequaliter dentata subrepandaque, petiolata, inferiora modo ovalia aut oblonga, indivisa, modo lyrata aut sublyrata, lobis ovatis aut ovato-oblongis, terminali magno. Summa sessilia, oblonga aut oblongo-lanceolata, dentata vel repanda. Sepala viridi-lutescentia, oblongo-linearia, glabra aut pilis raris praedita. Petala lutea. Racemi demum producti. Pedunculi calice breviores, fructiferi demum incrassati. Siliquae erectae aut patulae, striato-multangulae, torulosae subindeve ob valvas incrassatas fere turgidae et vix aut neutiquam striato-angulosae, modo glabrae (in utraque foliis indivisis vel lyratis varietate), modo pilis setosis brevibus, retrorsis aut patulis plus minusve hirtae, longitudine variae, valvis scilicet nunc vix semiuncialibus, nunc uncialibus et ultra, rostro subancipite, saepe

monospermo, striato, et plerumque glabro, sesqui aut triplo longioribus. Semina sphaerica, fusco-rufa, oculo armato, punctis impressis, minus conspicuis ac in sequentibus speciebus, notata.

In arvis et ad vias: vulgatissima.

Fl. a martio ad majum. ①

Ital. *Erba falcona. Rapaccini. Rapicello salvatico. Senape. Senapini. Serafini. Serapino.*

Vern. m. *Caulitu. Cauliscu.*

Obs. Glabrities siliquarum aut hirsuties mancum certe characterem praebent quo *Sinapis orientalis* et *arvensis* L. distinguantur. In *Sinapi arvensi* circa Taurinum crescente siliquas modo glabras, modo hispidas observaverat jampridem praeceptor meus celeberrimus J. BALBISIUS Addit. l. c.: idemque in Sicilia et in Calabria animadvertit clariss. GUSS. Fl. sic. Prod. et Pl. rar. l. c.: in eademque planta siliquas alias glaberrimas aliasque hispidulas ipse deprehendi. Siliquae hispidae rostrum modo glaberrimum, modo hispidulum, basi praecipue, se praebet.

110. SINAPIS INCANA

S. caule inferne foliisque piloso-scabris, inferioribus lyratis, inaequaliter dentatis, summis lineari-lanceolatis, integris; siliquis gracilibus, oligospermis, teretibus, subtorulosis, axi adpressis; rostro recto inflexove, mono-dispermo.

Sinapis incana DC.! Syst. 2. p. 619. et Prod. 1. p. 220.

DE BUCH Catal. pl. canar. in Archiv. bot. 1. p. 500. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 70. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 292. et Suppl. p. 215. DC. Fl. fr. 4. p. 646. BALB.! Misc. ped. p. 34. LOIS. Fl. gall. 2. p. 71. CAMBESS. En. pl. balear. p. 40.

Cordylocarpus pubescens SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 33. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 166. et Fl. alp. apuan. ibid. p. 388.

Hirschfeldia adpressa PRESL Fl. sic. 1. p. 97.

Myagrum hispanicum LINN. Sp. p. 893. WILLD. Sp. 3. p. 407.

Ic. — JACQ. Hort. vindob. 2. tab. 169.? (*siliquarum rostro nullo*).

β. *acutifolia*, foliorum inferiorum lobo terminali ovato-lanceolato lateralibusque acutis.

Ic. — Erysimum foliis subincanis, siliquis subincanis. HERMANN. Parad. p. 155. ic. (*mala quod ad siliquas, caeterum ob lobos foliorum acutos ad hanc varietatem referenda*).

γ. *crassifolia*, caule inferne strigilloso-scabro; foliis crassiusculis, subintegris, obtusis; siliquis non torulosis, loculis subhexaspermis, valvis rostro recto, tereti-conico, subduplo longioribus.

Ic. — Sinapis incana Iconogr. taurin. 19. tab. 22.

Radix tereti-fusiformis, inferne fibras agens. Caules ex eadem saepe radice plures erecti, teretes, basi interdum purpurascentes, ramosi, pilis setosis, patulis deflexisve hispiduli, superne glabri, ramis ascendentibus subindeve in varietate praesertim *crassifolia* divaricatis. Folia plus minusve, in petiolis potissimum, hispido-scabra, modo cinerascentia, modo virentia, radicalia et inferiora lyrata, inaequaliter dentata, lobo terminali in α ovato aut subrotundo, obtuso: in β ovato-lanceolato, plus minusve acuto; folia caulina superiora lineari-lanceolata, indivisa, integra. Sepala oblonga, pilosiuscula aut glabra. Petala flava, calice subduplo longiora. Pedunculi teretes, breves, fructiferi incrassati. Racemi fructiferi demum producti. Siliquae apud nos glabrae, variant in α et β graciliores et saepe torulosae, valvis duas tres lineas longis, rostro sesquilineam duas lineas longo, ad basim monospermo, mox attenuato subindeque inflexo: in γ minus graciles, vix aut neutiquam torosae, valvis tres-sex lineas longis, rostro sesquilineam tres lineas et semis longo, tereti-conico, recto, ad basim monospermo subindeve dispermo: valvae in utraque varietate nervo longitudinali medio praeditae. Semen rostri ellipticum aut oblongum. Semina in loculis ovata aut sphaeroidea, in α et β saepe quatuor, in γ saepe sex, omnia rufescentia, oculo armato, punctis notata. Planta pedalis tripedalis.

Ad vias et in aridis apricis, praesertim maritimis.

Fl. aprili, majo. ②

Vern. m. *Alaùssa*. — Vern. s. *Giùspinu*.

Obs. Sinapis incana nostra variat foliorum inferiorum lobo terminali lateralibusque ovatis, obtusis, et ovato-lanceolatis, acutis, in eadem etiam planta, quamobrem varietatem β. *acutifoliam*, foliorum inferiorum lobo terminali ovato-lanceolato acutoque, a specie haud sejungendam esse putavi; haec quidem ob foliorum faciem ad *Sinapim heterophyllam* Lag.! Gen. et Sp. p. 20. et Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 293. accedit, sed siliquas, apud nos, ejusdem plane longitudinis et formae offert ac var. nostra α.: eadem var. β. ubi in fertilibus cre-

verit, caulem subinde elatiorem et folia virentia sic profert ut *Sinapim nigram* mentiatur, a qua distinguitur siliquae rostro monospermo, ramulorum foliis haud pendulis caeterisque. Var. γ. *crassifolia,* caule inferne strigis potius quam pilis praedito; foliis crassiusculis et pilis paucioribus praeditis, non canescentibus, lobis integris aut vix dentatis; floribus paullo majoribus; siliquis duplo circiter crassioribus, loculo utroque saepe hexaspermo et rostro crasso, ab α. et β. sic differt ut speciem per se constituere prima fronte putaverim, specimina vero adesse videntur gradum intermedium ab hac ad priores varietates efficientia.

Num *Sinapis incana* Linn. a Smith. non adducta ad *Cordylocarpum* suum *pubescentem*, a *Sinapi incana* Auctorum diversa?

111. SINAPIS ALBA

S. foliis lyrato-pinnatifidis sectisve, lobis sinuato-dentatis incisisve; pedunculis fructiferis angulatis; siliquis torosis, oligospermis, hispidis, patentibus; valvis rostro ensiformi, monospermo subangustioribus brevioribusque.

Sinapis alba Linn. Sp. p. 933. Willd. Sp. 3. p. 555. DC.! Syst. 2. p. 620. et Prod. 1. p. 220.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 31. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 192. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 294. et Suppl. p. 215. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 329. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 220. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. All.! Fl. ped. 1. p. 263. DC. Fl. fr. 4. p. 645. Lois. Fl. gall. 2. p. 71.

Ic. — Engl. bot. 24. tab. 1677. Fl. dan. tab. 1393.

Brassica sylvestris, Erysimi folio viridi, flore luteo Bon. tab. 70.

Sinapi primum genus Fuchs. Hist. p. 538. ic. ✦ (*siliquis haud torosis peccat uti sequentes*).

S. secundum Math. Valgr. p. 563. ic. (*mala: siliquae fere sessiles*).

S. album, siliqua hirsuta, semine albo et rufo J. Bauh. Hist. 2. p. 856. ic. ✦

S. hortense album Chabr. Sciagr. p. 274. ic. 4. ✦

Caulis erectus, sulcatus, bi-quadripedalis, ramosus, pilis setosis, patentibus deflexisve, plus minusve hispidus. Folia petiolata, glabra aut juxta nervos petiolumque pilosa, lyrato-pinnatifida aut pinnatisecta, lobis foliorum inferiorum utrinque duobus-tribus, ovatis aut

oblongis, basi attenuatis, nonnumquam vix petiolulatis, superiorum saepius oblongis aut lanceolatis, paucioribus, terminali majore saepe inaequaliter trifido, omnibus inaequaliter dentatis, incisis sinuatisve. Racemi corymbosi, demum producti. Sepala oblonga. Petala limbo obovato, sepalis duplo longiora. Pedunculi fructiferi incrassati, quadranguli, patentes. Siliquae 8-12-lineas longae, pilis rigidis, albidis, plus minusve hispidae, torosae, adultae patentes, pedunculis longiores; valvis trinerviis; rostro trinervio, ancipite, saepe monospermo, interdum, abortu, aspermo. Semina in quoque loculo, raro unicum, plerumque duo, tria subindeve quatuor, magna, sphaerica, rufa, punctis notata.

In ruderatis et ad sepes Iglesias, Orosei, Muravera.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Luchettone. Rapicello salvatico. Ruchettone. Senapa bianca.*

Vern. m. *Alaussa.* — Vern. s. *Giùspinu.*

Semina Sinapis albae acria, pro ciborum condimento adhibentur; opportuna dosi purgantia sunt: oleum pingue, satis magna copia, expressionis ope praebent.

112. SINAPIS DISSECTA

S. foliis pinnatipartitis sectisve, lobis inciso-dentatis pinnatifidisve; pedunculis fructiferis sulcatis; siliquis torosis, oligospermis, glaberrimis hirtisve, ascendentibus patulisve; valvis rostro ensiformi subbrevioribus.

Sinapis dissecta Lag.! Gen. et Sp. p. 20. DC.! Syst. 2. p. 621. et Prod. 1. p. 220. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 295. Suppl. p. 215. et Pl. rar. p. 280. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 329.

Bonannia dissecta Presl Fl. sic. 1. p. 100.

Ic. — Tab. xii.

Raphanistrum luteum, Chelidonii quaterno folio, articulata siliqua Bon. tab. 44.

* *siliquis hirtis.*

Ic. — Iconogr. taurin. 48. tab. 33.

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caulis erectus, teres, ramosus, inferne vix striatus, superne striato-sulcatus, pedalis, sesquipedalis. Folia petiolata, pilis paucis praedita vel glabra, pinnatipartita aut pinnatisecta, lobis remotiusculis, sinuato-pinnatifidis,

dentatis, supremis confluentibus. Sepala oblonga, viridia. Petala flava; pedunculi fructiferi incrassati, angulato-sulcati. Siliquae juniores elliptico-oblongae, erectae vel adscendentes, adultae demum ovales aut ovatae, plerumque patulae, torosae, glabrae, raro hirtae, valvis trinerviis, pedunculis et rostro ensiformi, tri-quinquenervio brevioribus, loculis di-tetraspermis. Semina sphaerica, matura, ut in praecedente, non perfecte nigra sed fusco-rufa, oculo armato, punctis tenuissimis notata.

Species praecedenti affinis sed minor: caulis minus elatus, glaber aut minus hispidus minusque striatus: folia omnia teneriora, glabra vel pilis paucioribus, etiam secus petiolum, praedita, lobis, inferiorum potissimum, tenuioribus et profundius divisis: siliquae plerumque glabrae, raro hirtae; rostrum fere semper aspermum, gracilius valvisque subangustius.

In arvis maritimis, saepe inter *Linum usitatissimum*.

Fl. a martio ad majum. (1)

Vern. Muravera, *Mostarda*.

Herba plantae innuptae in acetariis apud hispanos adhibetur Lag. l. c.

LI. DIPLOTAXIS

Diplotaxis DC. Syst. 2. p. 628. et Prod. 1. p. 221. Sinapis et Sisymbrii sp. Linn.

Calix laxus, basi aequalis. Siliqua linearis, compressa; valvis planiusculis, nervo medio longitudinali; stylo conico aut lineari. Semina, utriusque loculi, duplici serie (subinde irregulari) disposita. Cotyledones conduplicatae ≫.

113. DIPLOTAXIS ERUCOIDES

D. caule piloso-scabro, foliis pilosiusculis, lyrato-pinnatifidis indivisisve, dentatis; siliquis semipatentibus, stipitatis; stylo ancipite, trinervio, submonospermo.

Diplotaxis erucoides DC.! Syst. 2. p. 631. et Prod. 1. p. 222.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 47. Presl Fl. sic. 1. p. 102. Guss. Fl. sic. Prod. 2.

p. 273. et Suppl. p. 214. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 325. Cambess. En. pl. balear. p. 40.

Sinapis erucoides Linn. Sp. p. 934. Willd. Sp. 3. p. 557. Biv. Sic. Cent. 1. p. 77. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 220. Balb.! Addit. ad Fl. ped. p. 92. DC. Fl. fr. 4. p. 644. Lois. Fl. gall. 2. p. 71.

Sisymbrium erucoides Desf. Fl. atl. 2. p. 83.

Ic. — Jacq. H. vindob. tab. 170. Iconogr. taurin. 16. tab. 41. (*siliquis junioribus*). Sinapi hyemale arvorum, flore albo, Erucae vel Rapi folio. Bon. tab. 52. Sinapistrum album hyemale, Erucae folio. Bon. tab. 9.

Radix tereti-fusiformis, flexuosa, inferne ramosa aut fibras laterales dimittens. Caules ex eadem radice unicus aut saepius plures, erecti vel adscendentes, raro simplices, plerumque ramosi, striato-angulati, pilis rigidis, brevibus, retrorsis piloso-scabri, pedales, sesquipedales. Folia, oculo armato, pilis brevissimis pilosiuscula, dentata, oblonga, basi sensim attenuata, indivisa, plerumque vero lyrato-pinnatifida, lobis ovatis oblongisve, terminali majore, radicalia et caulina inferiora petiolata, superiora sessilia. Sepala lineari-oblonga, pilosa, saepe purpurascentia. Petala limbo obovato, integro aut crenulato, alba aut rubella. Staminum filamenta glabra, pallida aut rubentia: antherae flavae, erectae. Ovarium ad angulos, oculo armato, tenuissime pilosiusculum; glandula crassiuscula, sessilis, truncata, utrinque inter stamina breviora et pistillum, et altera oblonga, extrinsecus utrinque, inter stamina longiora: punctaque glandulosa quatuor, fusca, ad basim staminum longiorum. Racemi demum producti. Pedunculi fructiferi tenues, pilosi, siliqua duplo triplove breviores. Siliquae compressae, glabrae, unciam circiter longae, lineam fere latae, brevi stipitatae, valvis nervo longitudinali medio praeditis, stylo ancipite, trinervio, mono- aut aspermo, lineam, sesquilineam longo: stigmate bilobo. Semina ovata, helvola, laevia.

In arvis et ad vias vulgatissima.

Fl. omni fere anni tempore: autumno et hyeme potissimum. (1)

Ital. *Rucola salvatica.*

Vern. m. *Ambulazza.*

Agricolae caules teneros vel plantam teneram incoctam comedunt.

114. DIPLOTAXIS TENUIFOLIA

D. glabra; foliis sinuato-pinnatifidis seu pinnatipartitis, laciniis linearibus oblongisve, integris pinnatifidisve; pedunculis semipatentibus; siliquis erectis, stipitatis; stylo brevi, aspermo.

Diplotaxis tenuifolia DC. Syst. 2. p. 632. *excl. syn.* Cup. *ex* Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 274. Presl Fl. sic. 1. p. 103. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 327. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13.

Sinapis tenuifolia Br. in Ait. Hort. kew. 4. p. 128.

Sisymbrium tenuifolium Linn. Sp. p. 917. Willd. Sp. 3. p. 493. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 19. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 217. All. Fl. ped. 1. p. 275. (*ex syn. et locis, non ex Herbar.*). DC. Fl. fr. 4. p. 665. Lois. Fl. gall. 2. p. 81.

Ic. — Sisymbrium tenuifolium Engl. bot. 8. tab. 525. Bull. Herb. tab. 335. Iconogr. taurin. 9. tab. 40. ic. 2.

Eruca salernitana laciniata, lanceolato folio Bon. tab. 47.

E. sylvestris lutea Zannich. Ist. tab. 178.

E. sativa Fuchs. Hist. p. 262. ic. ^ (*peccat siliquis neutiquam stipitatis et stigmate sessili, caeterum bona*).

E. tenuifolia, perennis, flore luteo J. Bauh. Hist. 2. p. 861. ic. ^ Chabr. Sciagr. p. 276. ic. 3. ^

Radix tereti-fusiformis. Caulis erectus, teres, ramosus, glaucescens, pedalis, sesquipedalis et ultra. Folia laevia, crassiuscula, margine integra aut vix dentata, variant (interdum indivisa) sinuato-pinnatifida aut pinnatipartita, laciniis oblongo-linearibus, obtusiusculis, indivisis, vel in pinguibus aut in cultis, pinnatifidis, superiora saepe indivisa lineariaque. Sepala ovato-oblonga, patula, glabra aut apice pilo uno alterove praedita. Petala lutea, odora, limbo majusculo, obovato, subemarginato, calice duplo longiora. Glandula exigua, inter ovarii basim utrinque et stamina breviora; aliaque lineari-oblonga, viridi-lutescens utrinque ad basim interiorem staminum longiorum. Racemi demum valde producti, nudi. Pedunculi fructiferi exiles longique. Siliquae lineam fere crassae, subtetraquetrae, longitudine unciales et ultra, stylo lineam circiter longo, lineari-subcompresso: stigmate orbiculari. Semina helvola, ovato-elliptica, laevia. Planta graveolens.

In ruderatis et ad muros: frequens.
Fl. ab aprili ad hyemem. ♃
Vern. *Ruchitta. Rughitta.*
In acetariis edulis perinde ac Brassica Eruca.

115. DIPLOTAXIS VIMINEA

D. glabra; caulibus subnullis brevibusve, decumbentibus; ramis floriferis scapisve simplicibus, nudis, ascendentibus; foliis lyrato-pinnatifidis, obtusis; petalis calicem vix superantibus; siliquis erectiusculis, non stipitatis; stylo brevi.

Diplotaxis viminea DC.! Syst. 2. p. 635. (*excl. syn. et icon.* J. Bauh. *et* Moris.) et Prod. 1. p. 222.

Presl Fl. sic. 1. p. 103. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 275. et Suppl. p. 214. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 327.

D. muralis Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 4. non DC.

Sisymbrium vimineum Linn. Sp. p. 919. Willd. Sp. 3. p. 497. (*excl. syn.* J. Bauh. *et* Moris.).

Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 189. Biv. Sic. Cent. 2. p. 61. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 217. Savi Bot. etr. 2. p. 190. DC. Fl. fr. 4. p. 665. Lois. Fl. gall. 2. p. 81.

Ic. — Eruca sicula, Bursae pastoris folio Bocc. Ic. et Descr. p. 18. tab. 10. ic. 2. E. sicula (mihi minima) Bon. tab. 45.

Radix exilis, teretiuscula, ad perpendiculum descendens, fibras laterales agens. Caules ex eadem radice plures, nonnulli simplices nudique (scapi), plerique vero in planta praesertim adulta, foliati, decumbentes brevesque, paullo supra basim ramos emittentes simplices, ascendentes, raro folio uno alterove inferne praeditos, fere semper nudos, in racemum superne abeuntes demum longum laxumque. Folia lyrato-pinnatifida, lobis ovatis, obtusis, aut rarius triangularibus, acutiusculis, nonnullaque interdum indivisa, oblongo-spathulata. Pedicelli fructiferi filiformes, summi lineam circiter longi, inferiores longiores. Sepala oblonga, obtusa. Petala lutea, erecta, sepalis paullo longiora, limbo obovato. Antherae ovatae, flavescentes. Siliquae semipatentes aut erectiusculae, compressae, sex-novem lineas longae, neutiquam aut vix nonnumquam stipitatae, valvis nervo

longitudinali medio praeditis, stylo lineari subindeve apice quam basi crassiore, mediam circiter lineam longo; stigmate exiguo, orbiculari, subbilobo. Semina ovata, helvola, laevia.

Planta palmaris aut vix semipedalis, glabra, variat apud nos foliis aliis lyratis, aliisque indivisis; varietatem foliis omnibus indivisis non vidi.

In aridis apricis: circa Caralim frequens.

Fl. hyeme, vere. (1)

ORDO VII.

CAPPARIDEAE

Capparides Juss. Gen. p. 242. et Ann. Mus. 18. p. 474. Capparideae DC. Prod. 1. p. 237. R. Br. in Denh. Clapp. et Oudn. Voy. (vers. gall.) 3. p. 278. Bartl. Ord. nat. p. 265.

Sepala 4, basi interdum coalita. Torus a calice liber eidemve nonnumquam ima basi adhaerens, hemisphaericus aut in thecaphorum gracilem productus. Petala 4, cruciata, saepe inaequalia, decidua, tori basi inserta. Stamina definita vel indefinita. Ovarium saepe stipitatum, placentis lamelliformibus, parietalibus, multiovulatis: stylus unus, columnaris, brevis, vel nullus: stigma saepe disciforme. Pericarpium uniloculare, polyspermum, vel bivalve siliquaeforme dehiscens, vel (ut apud nos) baccatum indehiscens. Semina exarillata, saepe reniformia. Albumen nullum. Embryo curvatus. Cotyledones foliaceae, subincumbentes. — Frutex (apud nos). Folia alterna petiolata, simplicia. Stipulae spinosae persistentes, vel setaceae deciduae.

LII. CAPPARIS

Capparis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 876. Juss. Gen. p. 243. DC. Prod. 1. p. 245. Tourn. Inst. tab. 139.

Calix profunde 4-partitus, partitionibus coriaceis, concavis. Petala 4,

magna. Stamina plurima; filamentis longis. Ovarium longe stipitatum. Stylus nullus. Bacca stipitata, pulposa, unilocularis, polysperma.

116. CAPPARIS SPINOSA

C. stipulis spinosis setaceisve; foliis subrotundis, obtusis; pedunculis solitariis, unifloris, folio longioribus.

Capparis spinosa Linn. Sp. p. 720. Willd. Sp. 2. p. 1130. DC. Prod. 1. p. 245. Desf. Fl. atl. 1. p. 403. Decaisn. Florul. sinaic. in Ann. sc. natur. 3. (1835.) p. 273. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 26. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 91. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 10. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 355. et Fl. graec. 5. p. 70. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 144. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 1. et Suppl. p. 171. Tenor. Fl. nap. 4. p. 301. et Syll. p. 253. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 155. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. All.! Fl. ped. 1. p. 293. DC. Fl. fr. 4. p. 724. Lois. Fl. gall. 1. p. 375. Cambess. En. pl. balear. p. 41.

C. aculeata All. Fasc. stirp. sard. in Misc. taur. 1. p. 90.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 5. tab. 486. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 2. tab. 95. Iconogr. taurin. 8. tab. 31.

Capparis Math. Valgr. p. 606. ic. (*peccat foliis fere sessilibus*). Chabr. Sciagr. p. 110. ic. 4. ✧

C. retuso folio variat. Lob. Obs. p. 359. ic. 2. ✦ et Icon. p. 635. ic. 1. ✦

C. spinosa et non spinosa. J. Bauh. Hist. 2. p. 63. ic. 2. ✧

β. *inermis*, stipulis setaceis, deciduis.

Capparis spinosa β. *rupestris* Viv. l. c.

C. spinosa *var.* Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 175. Savi Fl. pis. 2. p. 2. et Bot. etr. 4. p. 116.

C. rupestris Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. l. c. et Fl. graec. 5. p. 71. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 144. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 45. Urv. En. pl. archip. p. 56. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 1. et Suppl. p. 171. Tenor. Fl. nap. 4. p. 302. et Syll. p. 253.

Ic. — Sibth. Fl. graec. tab. 487. Iconogr. taurin. 10. tab. 60.

Frutex tri-quadripedalis, glaber. Caules diffusi, ramosi, ramis teretibus, longis. Folia petiolata, alterna, crassiuscula, integerrima, juniora villosa et canescentia, mox glabrata nitidaque, nervo medio brevissime producto mucronulata. Petioli breves, stipulis lateralibus, spinosis, saepe incurvis, in β setaceis deciduisque. Pedunculi axillares,

solitarii, superiores breviores, inferiores folio plus minusve longiores. Alabastra globosa, juniora villoso-canescentia. Sepala inaequalia, obtusa, viridia, concava, duo margine membranacea. Petala ovato-subrotunda, alba aut pallide rosea. Stamina plurima, petalis longiora, purpurascentia. Fructus non vidi.

Variat foliorum amplitudine, foliisque orbiculatis aut ovato-orbiculatis, basi cordatis vel non, apice retusis vel emarginatis et nonnumquam acutiusculis.

In rupestribus, calcareis praesertim: abunde circa Caralim, Castello et S. Tenera. Fl. majo, junio. ♄

Ital. *Capparo. Cappero. Cappero de' muri.*

Vern. m. *Tappara.*

Cortex radicis *Cappar. spinosae* amarus et acris, in medicina jamdiu adhibitus tamquam deobstruens et aperiens, et inter quinque radices aperitivas minores accensitus, nunc fere obsolevit; alabastra aceto condita antiscorbutica sunt et in usum domesticum ad gratiam et condimentum ciborum recipiuntur.

ORDO VIII.

RESEDACEAE

Resedaceae DC. Theor. elem. (ed. 1.) p. 214. Tristan in Ann. Mus. 18. p. 392. Lindl. Collect. bot. tab. 22. Br. in Denh. Clapp. et Oudn. Voy. (vers. gall.) 3. p. 294. Bartl. Ord. nat. p. 258.

Calix 4-6-divisus, persistens. Petala 4-6, decidua, inaequalia, palmatifida, antica subinde indivisa. Stamina 10-26. Torus discum exserens annularem, carnosum, liberum, staminum filamenta et petala interpositum. Ovella 3-6, modo valvatim coalita in ovarium uniloculare, apice hians; modo plus minusve libera. Styli 3-6, brevissimi, placentis alternantes, persistentes. Placentae medio carpellorum valvularumve adnatae. Pericarpium raro baccatum, saepe siccum, nuncque uniloculare, 3-6-valve, polyspermum, apice hians, nunc e carpellis folliculiformibus, 3-6, plus minusve liberis, mono-di-polyspermis, interno latere dehiscentibus. Semina reniformia. Albumen nullum aut tenue, carnoso-membranaceum. Embryo curvatus;

radicula prope hilum sita. — Herbae. Folia sparsa, pinnatim divisa indivisave, basi saepe biglandulosa. Stipulae nullae.

LIII. RESEDA

Reseda Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 831. Juss. Gen. p. 245. Gaertn. Fr. tab. 76. Lmck. Ill. tab. 410. Reseda Luteola et Sesamoides Tourn. Inst. tab. 238. Reseda et Astrocarpus Neck. El. n.° 991. 992.

Calix 4-6-partitus. Pericarpium capsulare, siccum, 3-6-valve, tri-hexaëdrum, uniloculare, apice hians; vel e carpellis follicularibus, ad medium usque coalitis liberisve, stellatim patentibus, intusque rima dehiscentibus.

117. RESEDA LUTEA

R. foliis infimis indivisis, caeteris tri- vel pinnatipartitis; calicibus sexpartitis; capsula oblonga, truncata, stylis brevibus, saepe 3, coronata.

Reseda lutea Linn. Sp. p. 645. Willd. Sp. 2. p. 879.

Desf. Fl. atl. 1. p. 374. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 323. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 133. Urv. En. pl. archip. p. 52. Presl Fl. sic. 1. p. 113. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 538. et Suppl. 1. p. 147. Tenor. Fl. nap. 4. p. 256. et Syll. p. 232. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 161. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 152. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 14. All. Fl. ped. 2. p. 91. (*ex syn. et locis, non ex Herbar.*). DC. Fl. fr. 4. p. 727. Lois. Fl. gall. 1. p. 337. Cambess. En. pl. balear. p. 57.

Ic. — Jacq. Fl. austr. 4. tab. 353. Bull. Herb. tab. 281. Iconogr. taurin. 3. tab. 87.

Reseda Phyteuma dicta, major et incisiori folio. Bon. tab. 40.

R. Plinii neotericorum etc. Lob. Adv. p. 76. ic. ✦ et Icon. 1. p. 222. ic. 1. ✦ (*capsulis apice haud truncatis peccant*).

R. lutea J. Bauh. Hist. 3. p. 467. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 484. ic. 3. ⁂ (*malae*).

β. *subbipinnata*, foliorum plerorumque partitionibus extimis, lacinia extime auctis.
Reseda mucronata Tin. Cat. H. R. panorm. p. 80. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 147.

γ. *crispa*, foliis undulatis crispisve, subrepandis.
Ic. — Engl. bot. 5. tab. 321.

Reseda crispa, gallica Bocc. Sic. p. 76. tab. 41. ic. 3.

Radix tereti-fusiformis, inferne fibras laterales emittens. Caules ex eadem radice unicus vel plures, pedales, tripedales, ascendentes erective, simplices vel ramosi, striato-angulati. Folia in petiolum decurrentia, radicalia et aliquot ex caulinis infimis oblonga, indivisa, quae mox sequuntur tripartita, caetera tri- aut pinnatipartita, partitionibus sensim angustioribus, indivisis vel iterum bi-tripartitis, subundulatis, margine scabrido-denticulatis, supremorum foliorum saepius mucronulatis. Flores in racemum dispositi aphyllum, demum longum. Pedunculi angulati, bracteolis linearibus, acutis, vix longiores. Calicis divisiones lineares, obtusae, subaequales. Petala sex, pallide lutea. Stamina 15-18, declinata; antheris lutescentibus, oblongis. Styli tres, raro quatuor. Capsula oblonga, subtriquetra, truncata, stylis parum conspicuis coronata. Semina reniformia, matura laevia, nitida, nigerrima.

Variat foliis tripartitis et pinnatipartitis, partitionibus in paucis foliis aut in plerisque modo lacinia extime auctis, modo non; caule in utraque varietate modo laeviusculo, modo retrorsum plus minusve scabro.

In pascuis aridis et ad vias Sassari, Cagliari.

Fl. majo, julio. ♃

Vern. *Reseda. Coa de gattu.*

Obs. Reseda lutea Jacq. Fl. austr. tab. 353. et Bull. Herb. tab. 281. ob foliorum partitiones extimas, lacinia subinde extime auctas, ad ipsam var. nostram *subbipinnatam* quadantenus etiam spectant. *Reseda lutea* All. Herbar. est *Reseda luteola* Linn.

118. RESEDA ALBA

R. foliis pinnatipartitis; calicibus quinquepartitis; capsula lineari-oblonga oblongave, truncata, stylis brevibus, 3-5, coronata.

Reseda alba Linn. Sp. p. 645. Willd. Sp. 2. p. 879.

Desf. Fl. atl. 1. p. 374. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 89. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 323. et Fl. graec. 5. p. 46. Urv. En. pl. archip. p. 52. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 162. All.! Fl. ped. 2. p. 91. (*excl. tab.* 87. *vol.* 3. *Iconogr. taurin.*). DC. Fl. fr. 4. p. 726. et 5. p. 599. Lois. Fl. gall. 1. p. 337. Cambess. En pl. balcar. p. 57.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

R. fruticulosa *var.* Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 537. et Suppl. 1. p. 146.

R. foliolis alternis, integerrimis, fructibus tetragynis. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 100.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 5. tab. 459. Iconogr. taurin. 15. tab. 48.

Reseda maxima Lob. Obs. p. 110. ic. 2. ✝ et Icon. 1. p. 222. ic. 2. ✝

β. *crispa*, foliis undulatis crispisve, subrepandis.

Ic. — Reseda minor, alba, dentatis foliis. Barr. Ic. tab. 588.

Radix ut in praecedente. Caules pedales, quadripedales, striato-angulati, solitarii vel ex eadem radice plures, simplices, erecti aut ramoso-diffusi, glabri, nec unquam retrorsum scabri, ut interdum in *Reseda lutea*. Folia profunde pinnatipartita, partitionibus lineari-oblongis vel lineari-lanceolatis, planis aut subundulatis, margine integris vel scabrido-denticulatis, apice mucronulatis, minoribus interdum interjectis. Flores racemosi, conferti. Calicis partitiones lineares, acutiusculae. Petala 5, alba, plus minusve profunde divisa, calice longiora. Stamina 12-14, antheris oblongis. Styli 3-5, ita nonnumquam in eodem racemo ad latera coaliti, ut nisi duo aut tres non appareant. Capsula subquadrangula, modo oblonga, 3-5-lineas longa; modo lineari-oblonga, longitudine 6-8-linearum. Semina reniformia, nigra, oculo armato, tenuissime tuberculato-punctata. Planta glabra.

Ad vias, in campis et in arenosis littoreis.

Fl. hyeme et vere. ♃

Vern. m. *Allupa-Cuaddu.*

Obs. Reseda alba nostra, maxime variat pro aetate atque pro locis, caule basi suffruticuloso vel non, numero et magnitudine partitionum in foliis, interruptarum vel non, planarum aut undulatarum, impari reliquis subaequali aut majore, florum magnitudine, petalorum divisione magis minusve profunda. Ejus varietatem habeo foliis tenuioribus, undulatis, subrepandis, circa Bonifacio Corsicae a clar. Soleirol lectam, cujus racemus flores alios praebet calice sexpartito, alios calice quinquepartito. Calices quidem *Resedae albae* sexpartitos tradidit Linnaeus in Sp. p. 645.; sed enim specimina *Resedae albae* Linn. Herbar. calices referunt quinquepartitos nec sexpartitos. Vagi demum incertique hactenus limites positi sunt inter *Resedam undatam*, *suffruticulosam* et *albam* Linn. (v. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. 1. p. 146.).

119. RESEDA LUTEOLA

R. foliis indivisis, lanceolatis, basi utrinque unidentatis; calicibus quadripartitis; carpellis follicularibus in capsulam obovatam ultra medium coalitis; stylis 3.

Reseda Luteola Linn. Sp. p. 643. Willd. Sp. 2. p. 876.

Desf. Fl. atl. 1. p. 373. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 89. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 322. Urv. En. pl. archip. p. 52. Presl Fl. sic. 1. p. 112. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 536. et Suppl. p. 146. Tenor. Fl. nap. 4. p. 256. et Syll. p. 231. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 161. Savi Fl. pis. 1. p. 448. All.! Fl. ped. 2. p. 91. DC. Fl. fr. 4. p. 725. Lois. Fl. gall. 1. p. 336. Cambess. En. pl. balear. p. 57.

Reseda foliis lanceolatis, integris; calicibus quadrifidis. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 100.

Ic. — Fl. dan. tab. 864. Engl. bot. 5. tab. 320. Iconogr. taurin. 3. tab. 88.

Pseudostruthium Math. Valgr. p. 1307. ic. (*mala*).

Luteola Lob. Obs. p. 190. ic. 3. ✦ et Icon. 1. p. 353. ic. 1. ✦

Lutum Herba Dod. Pempt. p. 80. ic. ✦ (*mala*).

Lutea Plinii quibusdam J. Bauh. Hist. 3. p. 465. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 484. ic. 1. ⁂

Antirrhinon Trag. Hist. p. 362. ic. (*foliis radicalibus subrepando-undulatis*).

β. *crispa*, foliis undulatis crispisve, subrepandis, caule e basi saepius ramoso.

Reseda crispata Link. En. alt. pl. H. Berol. 2. p. 8. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 537. et Suppl. p. 146. Tenor. Fl. nap. 4. p. 256. et Syll. p. 232.

R. Luteola De Buch. Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 500.

Radix ut in praecedentibus. Caulis sesquipedalis, tripedalis, striatus, simplex vel ramosus, ramis virgatis. Folia sessilia, lanceolata, margine laevia nec scabrido-denticulata, basi utrinque unidentata, inferiora obtusa, superiora acuta vel leviter acuminata. Racemi florum graciles, demum valde producti: bracteolae pedunculis longiores, lineari-subulatae. Calicis partitiones 4, oblongo-lineares, subaequales. Petala pallide lutea, inaequalia, superius majus, multifidum, lateralia trifida vel nonnumquam indivisa et ligulaeformia, inferius vix conspicuum. Stamina inaequalia, viginti circiter, stylis longiora; antheris luteolis. Styli tres. Capsula carpellis tribus conflata, ultra medietatem coalitis, ad internum latus superne dehiscentibus. Semina nigra, laevia, nitida, reniformia. Planta glabra.

In pascuis et in arvis maritimis montanisque: usque ad 800 metr. circiter supra maris superficiem (Tonnara). Var. β. saepe in saxosis sterilibusque.

Fl. majo, junio. ①

Ital. *Bietola gialla. Biondella. Erba gialla. Erba guada. Erba guada maggiore. Guaderella de' tintori. Guaidone. Luteola spontanea. Luteolo. Luteolo salvatico. Melardina. Pancella.*

Vern. m. *Reseda. Allupa-Cuaddu* — Tonnara. *Crocoë* — Macomer (*ubi folia vulneribus admoventur*) *Erba e su tagliu.*

Planta ad telas lineas, laneas, sericeas, gossypinas flavo colore inficiendas, tinctoribus jamdiu usitatissima.

Obs. Reseda luteola nostra *crispa* neque foliis undulatis, subrepandis, neque caule e basi ramoso, ab α. divelli potest; occurrunt enim specimina foliis planis et caule basi ramoso, aliaque caule simplicissimo et foliis repandis undulatisque: in utraque varietate folia basi, apud nos, unidentata sunt.

120. RESEDA SESAMOIDES oblongifolia

R. caulibus diffusis; foliis crassiusculis, lineari-oblongis spathulatisve; carpellis follicularibus, mono-dispermis, stellatim demum patentibus.

Reseda sesamoides β. DC. Pl. gall. rar. p. 12. All.! Fl. ped. 2. p. 92.

R. purpurascens Linn. Sp. p. 644. Willd. Sp. 2. p. 878.?

β. *spathulata*, foliis spathulato-orbiculatis, latioribus, obtusissimis, crassis.

Radix longa, simplex vel ramosa. Caules ex eadem radice plures, palmares, dodrantales, teretes, striati, graciles, diffusi, simplices vel parce ramosi. Folia crassiuscula, integerrima, lineari-oblonga vel lineari-spathulata, obtusa aut acutiuscula; in varietate *spathulata* crassiora, obtusissima, etiam duas lineas et semis ampla. Racemi florum valde graciles, demum valde longi. Bracteae ad pedunculorum basim, pedunculis aequales aut vix breviores, ovatae lanceolataeve, subconcavae, acutae. Calicis partitiones saepe quinque, ovatae, inaequales, in varietate *spathulata* pleraeque obovatae, demum reflexae. Petala alba, inaequalia, staminibus duplo et ultra longiora, superiora palmato-partita. Stamina petalis breviora, 10-12, antheris flavescentibus. Carpelli saepe quinque, stellatim patentes, qua intus rima dehiscunt, ciliato-laceri. Semina ovato-reniformia, demum nigra. Planta glaberrima.

In pascuis montanis arenosis inter Flumini major et Domos novas et in apricis Fonni: inter 800 et 1000 metr. circiter supra maris superficiem: var. *spathulata* circa Arizzo.

Fl. majo, junio. ♃

Obs. Foliis radicalibus caulinisque lineari-oblongis aut spathulatis nec ullis linearibus differt nostra *Reseda sesamoides* a *Reseda Sesamoide* DC. Ic. gall. rar. tab. 40. et a *Sesamoide parvo Salmantico* Clus. Hist. 1. p. 295. ic. 2. ✦ Lob. Obs. p. 190. ic. 4. ✦ et Icon. 1. p. 353. ic. 2. ✦

Reseda sesamoides All. Herbar. cum nostra *Reseda sesamoide* α. congruit; neutiquam vero icones ad *Resedam sesamoidem* ab Allionio adductae Fl. ped. tab. 88. ic. 3. ⩚ et Iconogr. taurin. 18. tab. 20. ⩚

Reseda odorata Linn. Sp. p. 646. colitur in hortis, vernaculo nomine *Reseda*.

ORDO IX.

CISTINEAE

Cistineae Dun. in DC. Prod. 1. p. 263. Bartl. Ord. nat. p. 282. Cisti Juss. Gen. p. 294. (*excl. gen. affin.*). Cistoideae Vent. Tabl. 3. p. 219.

Calix persistens, 3-5-sepalus, sepalis subaequalibus aut exterioribus duobus multo minoribus. Petala 5, ephemera, aequalia, per aestivationem contorta. Stamina libera, indefinita. Stylus 1, filiformis: stigma simplex. Pericarpium capsulare, subglobosum, 1-3-5-10-loculare, 3-5-10-valve, valva quaque ad axim vel placentam nerviformem, vel dissepimentum interno margine placentiferum referente. Semina indefinita. Albumen farinosum. Embryo curvus vel spiralis. — Frutices, suffrutices aut herbae. Folia indivisa, integerrima aut vix crenulato-dentata, basi nuda vel stipulis foliaceis binis, liberis praedita.

LIV. CISTUS

Cistus Juss. Gen. p. 294. Dun. in DC. Prod. 1. p. 263. Tourn. Inst. tab. 136. Gaertn. Fr. tab. 76. Cisti sp. Linn.

Calix 5-sepalus, sepalis subaequalibus. Capsula 5- aut 10-locularis;

valvis 5-10, medio septiferis. — Frutices (apud nos). Folia exstipulata, opposita. Pedunculi axillares et terminales uni-multiflori.

121. CISTUS VILLOSUS

C. foliis ovatis, rugosis, tomentoso-hirtis, petiolatis; petiolis sulcatis, dilatatis, basi connato-vaginantibus; pedunculis 1-3-nis, calicibusque longe villosis.

Cistus villosus Linn. Syst. veg. p. 412. Willd. Sp. 2. p. 1181. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 264.

Desf. Fl. atl. 1. p. 408. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 362. Chaub. et Bory. Exped. Mor. p. 146. Presl Fl. sic. 1. p. 114. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 10. et Suppl. p. 174. Tenor. Fl. nap. 4. p. 310. et Syll. p. 256. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 176. Savi Bot. etr. 2. p. 125.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Cistus pilosus Linn. Sp. p. 736.

C. eriocephalus Viv.! Fl. cors. Diagn. 1. p. 8. Lois. Nouv. not. p. 24. et Fl. gall. 1. p. 380.

C. cupanianus Presl Symb. bot. p. 33. (*etsi flores, in descriptione, ochroleuci*).

Ic. — Presl l. c. tab. xxii.

C. mas Math. Valgr. p. 176. ic.

C. mas, major, folio rotundiore. J. Bauh. Hist. 2 p. 2. ic. ✧ (*folia, superiora potissimum, minus ovata quam in iconibus praecedentibus et in nostra planta*).

Cistus Chabr. Sciagr. p. 95. ic. 1. ✧

Frutex bi-tripedalis et ultra. Caules teretes, erecti, ramosi, ramis junioribus villoso-tomentosis, canis. Folia opposita, ovata aut ovato-elliptica nonnullaque ex inferioribus ovato-subrotunda, obtusa vel acutiuscula, stellato-tomentosa, rugosa, virentia, subtus nervoso-reticulata pallescentiaque, omnia petiolata, floralia lanceolata, superiora sessilia. Petioli dilatati, juxta longitudinem nervosi, basi connato-vaginantes. Flores corymboso-paniculati. Pedunculi axillares et terminales solitarii, bini aut terni, versus medietatem plerique articulati. Sepala ovato-acuminata, subaequalia, plus minusve villosa, villis longiusculis, albis, demum ferrugineis. Petala rosea, rotundato-

cuneata, magna, crenulata. Capsula subrotundo-ovata, subpentaëdra, ferrugineo-villosa, quinquelocularis.

In pascuis maritimis aridis montanisque, frequens: ab 1-2, ad 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, junio. ♄

Ital. *Rosolajo.*

Vern. m. *Murdègu.* — Vern. s. *Mùciu biancu* — Arizzo. *Murdègu femina* — Arzana. *Murdègu-oinu.*

Caprae et boves comedunt nonnumquam folia tenera *Cisti villosi*, non oves.

Obs. Cistus corsicus Lois. Nouv. not. et Fl. gall. l. c. *Cisto villoso* affinis, sed ramorum visciditate et pilis minus confertis, brevioribus et manifestius stellatis uti in *Cisto salvifolio* Linn., foliis omnibus acutis, petiolis vix basi connatis differt, ex specim. clariss. Pouzolz.

122. CISTUS ALBIDUS

C. incano-tomentosus; foliis sessilibus, oblongo-ellipticis, subtus reticulato-nervosis basique 3-5-nerviis; pedunculis 1-3-nis, subcorymbosis, folio vix longioribus.

Cistus albidus Linn. Sp. p. 737. Willd. Sp. 2. p. 1186. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 264.

Desf. Fl. atl. 1. p. 411. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 363. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 147. All.! Fl. ped. 2. p. 102. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. DC. Fl. fr. 4. p. 812. Lois. Fl. gall. 1. p. 380. Cambess. En. pl. balear. p. 42.

Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Cistus arborescens foliis oblongis, tomentosis, incanis, sessilibus, supra aveniis, alis nudis. All.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 91. et Florul. corsic. ibid. 2. p. 207.

Ic. — Iconogr. taurin. 16. tab. 105.

Cistus mas 1. Clus. Hist. p. 68. ic. 2. ✢ Lob. Obs. p. 548. ic. 1. ✢ et Icon. p. 111. ic. 1. ✢

Cistus Dod. Pempt. p. 191. ic. 2. ✢

C. mas quartus, monsp., folio oblongo, albido. J. Bauh. Hist. 2. p. 3. ic. ✧

C. mas tertius, foliis dilute virentibus etc. Chabr. Sciagr. p. 95. ic. 3. ✧

Frutex bipedalis et ultra. Caulis erectus, teres, ramosus. Folia sessilia, oblongo-elliptica, obtusa aut acutiuscula, subtus reticulato-

nervosa, pleraque basi tri-quinquenervia subindeve nonnulla septemnervia. Pedunculi terminales solitarii, bini ternive, subcorymbosi, inferne nonnulli nodulo intersecti. Sepala ovata, interiora praesertim acuminata juxtaque longitudinem nervosa, exteriora laxiora. Petala integra aut subcrenulata, rosea. Capsula subrotundo-ovata, pentaëdra, pubescens, quinquelocularis.

Planta tomentosa, plus minusve incana aut cinerascens, pilis aliis stellatis, aliis simplicibus et apice glanduliferis, intermixtis: a simili *Cisto incano* Linn. differt ramis calicibusque tomentosis nec villosis, foliis neutiquam petiolatis caeterisque.

In aridis, calcareis, maritimis circa Orosei (in pascuis circa Villanova Tulo ex All. l. c.).

Fl. majo. ♄

Vern. m. *Murdègu.* — Vern. s. *Mùciu.*

123. CISTUS SALVIFOLIUS

C. foliis petiolatis, ovatis oblongisve, subcrenulatis, stellato-hirsutis, rugosis, junioribus subtus cano-tomentosis; pedunculis uni-trifloris, solitariis ternisve; sepalis exterioribus cordatis; stigmate sessili.

Cistus salvifolius Linn. Sp. p. 738. Willd. Sp. 2. p. 1184. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 265.

Desf. Fl. atl. 1. p. 410. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 28. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 364. et Fl. graec. 5. p. 78. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 147. Presl Fl. sic. 1. p. 116. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 11. et Suppl. p. 175. Tenor. Fl. nap. 1. p. 294. et Syll. p. 256. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 177. Savi Fl. pis. 2. p. 10. et Bot. etr. 2. p. 126. All.! Fl. ped. 2. p. 101. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. DC. Fl. fr. 4. p. 813. Lois. Fl. gall. 1. p. 379. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hisp. 2. p. 31. Cambess. En. pl. balear. p. 42.

Pouzolz! Pl. siccat. e Corsica.

Cistus arborescens, foliis ovatis, petiolatis, utrinque hirsutis, alis nudis. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 91.

C. frutescens, foliis ovatis, petiolatis, utrinque hirsutis, alis nudis. Vall. et All. Florul. cors. in Misc. soc. taur. 2. p. 207.

Ic. — Cavan. Ic. 2. tab. 137. Fl. graec. 5. tab. 497. Iconogr. taurin. 18. tab. 80.

Cistus foemina CLUS. Hist. p. 70. ic. ✦ LOB. Obs. p. 549. ic. 2. ✦ et Icon. p. 112. ic. 2. ✦

C. foemina monspeliana, flore albo et hispanica luteo. J. BAUH. Hist. 2. p. 4. ic. 2. ⁂ CHABR. Sciagr. p. 96. ic. 1. ⁂

Frutex pedalis, tripedalis. Caules teretes, ramosi, procumbentes aut erectiusculi, rufi aut rufo-fusci, glabrati, valde ramosi, ramulis, stellato-hirsutis. Folia petiolata, opposita, variant ovata, elliptica, oblonga aut ovato-oblonga, interdum acuta, saepius obtusa, subcrenulata, rugosa, pilis brevibus, stellatis utrinque hirsuta, juniora subtus cano-tomentosa, adulta, utrinque virescentia; floralia versus basim vel ad divisionem pedunculorum ovato-lanceolata lanceolatave, acuta. Pedunculi axillares et terminales, uni-triflori pedicellique cano-tomentosi, versus medietatem articulati, persistentes, receptaculo, matura capsula, sic breviter demum producto, ut pedunculi apice, articulationem glabram mentiantur. Sepala stellato-hirsuta, ovata, exteriora duo basi cordata, acutiuscula, interiora acuminata. Petala obcordato-cuneata, ungue luteo, caeterum alba vel ochroleuca, exsiccatione flavescentia. Capsula adpresse pubescens, superne interdum glabra, pentaëdra, subrotundo-ovata, retusa, quinquelocularis.

In pascuis aridis, maritimis montanisque Sardiniae et insularum adjacentium.

Fl. aprili, junio. ♄

Ital. *Brentine. Cisto femmina. Muccoli. Scornabecco. Spazza berrette.*

Vern. m. *Murdègu. Murdègu burdu.* — Vern. s. *Mùciu* — Arizzo. *Murdègu masciu.*

124. CISTUS MONSPELIENSIS

C. foliis lineari-lanceolatis, sessilibus, trinerviis, villoso-viscosis, subtus stellato-subtomentosis, reticulato-rugosis, margine revolutis; racemis subsecundifloris calicibusque villosis; stigmate sessili.

Cistus monspeliensis LINN. Sp. p. 737. WILLD. Sp. 2. p. 1184. DUN.! in DC. Prod. 1. p. 265.

DESF. Fl. atl. 1. p. 409. DE BUCH Catal. pl. canar. in Archiv. bot. 1. p. 501. 502. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 363. et Fl. graec. 5. p. 75. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 147. (*excl. ic.* CAVAN. et JACQ.). PRESL Fl. sic. 1. p. 117. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 13. TENOR. Fl. nap. 1. p. 294. et Syll. p. 256.

SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 176. SAVI Fl. pis. 2. p. 9. et Bot. etr. 2. p. 127. ALL.! Fl. ped. 2. p. 101. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 1. p. 13. DC. Fl. fr. 4. p. 814. LOIS. Fl. gall. 1. p. 379. CAMBESS. En. pl. balear. p. 42.

Cistus arborescens; foliis linearibus, sessilibus, utrinque pubescentibus, trinervis, alis nudis. VALL. et ALL. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. (1760. 1761.) p. 207.

Ic. — SIBTH. Fl. graec. tab. 493. Iconogr. taurin. 17. tab. 90.

Ledon quintum CLUS. Hist. 1. p. 79. ic. ✱

L. narbonense LOB. Icon. 2. p. 119. ic. 1. ✱

Cistus ladanifera sive Ledum monsp., angusto folio, nigricans. J. BAUH. Hist. 2. p. 10. ic. 2. ⁂ CHABR. Sciagr. p. 98. ic. 1. ⁂ (*folia haud ex ipsa basi trinervia*).

C. Ledon cretensis forma, angustifolius. BON. tab. 173.

Frutex bi-quadripedalis et ultra. Caulis teres, erectus, ramosus, ramis fuscis, junioribus viscoso-villosis. Folia lineari-lanceolata aut lanceolata, trinervia nonnullave interdum quinquenervia, viscosa, margine revoluta, inferiora basi angustiora, omnia in superiore pagina valde viridia, rugulosa, villosa, interdum glabra aut raro pilis stellatis brevissimis, paucis praedita; in pagina inferiore albescentia, nervosa, variant vel simpliciter villosa, vel frequentius villosa et pilis brevissimis stellatis plus minusve tomentoso-hirta. Flores racemosi, racemis simplicibus, subsecundis, nudis, villosis, viscosisque. Sepala ovato-acuminata, villoso-viscosa, subaequalia. Petala obovato-cuneata, alba, calice duplo longiora. Capsula quinquelocularis, ovato-subrotunda, pentaëdra, obtusa, versus apicem pilis stellatis brevissimis coronata, reliqua parte laevis.

In campis maritimis montanisque Sardiniae et insularum adjacentium S. Pietro, Asinara, Tavolara, la Maddalena: omnium vulgatissimus.

Fl. aprili, majo. ♄

Ital. *Cisto. Brentine. Imbrentano. Imbrentine. Mucchio. Mustio. Pisciacane. Rimbrentano. Rimbrentine. Tignamica. Tignamicone.*

Vern. m. *Murdègu.* — Vern. s. *Mudèju. Mucciu* — Arzana. *Murdègu-cistu.*

Folia cocta vel macerata, partibus contusis dolentibus admoventur (Bari).

LV. HELIANTHEMUM

Helianthemum Juss. Gen. p. 294. Dun. in DC. Prod. 1. p. 266. Tourn. Inst. tab. 128. Gaertn. Fr. 1. tab. 76. Cisti sp. Linn.

Calix 5-sepalus, sepalis duobus exterioribus minimis. Capsula trivalvis, valvis medio septi- aut seminiferis. — Herbae, frutices aut suffrutices. Folia opposita alternaque, exstipulata vel stipulata.

SPECIES

a. *Fruticosa suffruticosave; foliis oblongis lanceolatisve.*

H. halimifolium. H. semiglabrum.
H. canum. H. croceum.

b. *Suffruticosa; foliis anguste linearibus.*

H. glutinosum. H. Fumana.
H. laevipes.

c. *Herbacea.*

H. Tuberaria. H. salicifolium.
H. guttatum. H. niloticum.
H. aegyptiacum.

a. *Fruticosa suffruticosave; foliis oblongis lanceolatisve.*

125. HELIANTHEMUM HALIMIFOLIUM

H. fruticosum, exstipulatum, erectum, ramosum; foliis oblongis, in petiolum attenuatis, leproso-tomentosis subincanisque, utrinque pedunculis longis calicibusque leproso-tomentosis, albescentibus; stylo brevissimo.

Helianthemum halimifolium Willd. En. pl. H. Berol. p. 569. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 268.

Presl Fl. sic. 1. p. 119. Tenor. Fl. nap. 1. p. 295. et Syll. p. 257. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 177. DC. Fl. fr. Suppl. p. 621. Lois. Fl. gall. 1. p. 381.

Requien.! Saltzm! Pl. siccat. e Corsica. Lagasca! Pl. siccat. ex Hispaniae regno valentino in herbar. DC.

Cistus halimifolius LINN. Sp. p. 738. WILLD. Sp. 2. p. 1188. VIV. Fl. cors. Diagn. 1. p. 8. DESF. Fl. atl. 1. p. 412. SAVI Bot. etr. 1. p. 155. CAVAN. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 31.

Ic. — CAVAN. Ic. 2. tab. 138.

Cistus folio Halimi CLUS. Hist. 1. p. 71. ic. 1. 2. ✶

C. foemina, folio Portulacae marinae etc. et C. folio Halimi, secundus Clusii. LOB. Obs. p. 550. ic. 1. 2. ✶ et Icon. 2. tab. 113. ic. 1. 2. ✶

C. folio Halimi, flore luteo; et C. folio Halimi longiore, luteo. J. BAUH. Hist. 2. p. 5. ic. 2. 3. ✶ CHABR. Sciagr. p. 96. ic. 3. 4. ✶

C. Halimi minoris folio. BARR. Ic. tab. 287.

Frutex tri-quadripedalis. Caulis teres, erectus, cineraceus, ramosissimus, ramis oppositis, junioribus canescentibus. Folia saepe utrinque cana, raro cineraceo-virescentia, basi attenuata breviterque petiolata, petiolis connatis, inferiora obovata vel oblongo-obovata, obtusa, superiora elliptica, oblonga subindeve lanceolata, acutiuscula, floralia ad pedunculorum pedicellorumque originem sensim angustiora, summa linearia. Flores paniculati, pedicellis versus medium articulatis. Sepala exteriora angustissima, linearia, interiora ovato-oblonga. Petala subcrenulata, lutea, basi macula atro-sanguinea notata, nonnumquam immaculata. Capsula ovato-oblonga, trivalvis, versus apicem potissimum pubescens. Semina angulata, leprosa. — Rami juniores, folia pedunculi et calices, oculo armato, densissime stellato-tomentosi glandulisque saepe praediti.

In arenosis maritimis Sulcis, Portoscuso, S. Antioco, Sarrabus, Perdas de Fogu. Fl. junio. ♄

Vern. Muravera *Murdegu-alimu.*

126. HELIANTHEMUM CANUM

H. suffruticosum, exstipulatum; foliis petiolatis, oppositis, ovato-ellipticis oblongisve, planis, facie adpresse villosis, subtus incano-tomentosis; racemis terminalibus, bracteatis sepalisque piloso-canescentibus, internis quadrinerviis; stylo basi contorto, retroflexo, apice inflexo.

Helianthemum canum DUN.! in DC. Prod. 1. p. 277. TENOR. Fl. nap. 4. p. 316. DUBY Bot. gall. 1. p. 61. LOIS. Fl. gall. 1. p. 381.

H. marifolium Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 2. p. 1.
H. marifolium β. DC. Fl. fr. 4. p. 817.

Ic. — Helianthemum Serpilli folio incano, flore minore, luteo, inodoro Dill. Elth. 1. p. 177. tab. 145. ic. 173.

Chamaecistus tertius Clus. Hist. 1. p. 74. ✤

C. foliis Myrti tarentinae, canis vel cinereis. J. Bauh. Hist. 2. p. 18. ✤ Chabr. Sciagr. p. 102. ic. 3. ✤

Suffrutex palmaris, semipedalis. Caules decumbentes aut prostrati, ramosi; ramis junioribus superne villoso-tomentosis, canescentibus. Folia opposita, breviter petiolata, ovato-elliptica, elliptica vel oblonga nonnullave obovata, plana, acutiuscula, facie pallide virentia aut cinerascentia villosaque villis albis adpressis, subtus pilis simplicibus stellatisque tomentoso-incana. Racemi terminales, pauciflori, bracteati, bracteis oblongo-lanceolatis. Calices ovati, piloso-canescentes. Petala non vidi. Capsula ovata, pubescens. Semina vidi rufa sed immatura.

In asperis montium Oliena (carb. calcis.). 1300 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, junio. ♄

Obs. Helianthemum nostrum *canum* differt ab *Helianthemo marifolio* Dun. l. c. (Cavan. Ic. 2. tab. 143. Reich. Cent. crit. 4. ic. 578. Barr. Ic. tab. 441. non *Cist. marifol.* Engl. bot.) foliis nullis nec basi late ovatis nec subcordatis, tametsi minus acuta ac in Clusii icone citata et in quibusdam speciminibus breviora, intermedium quasi sistere videantur gradum inter *Helianthemum marifolium* et *Helianthemum canum* Auct.

Cistus canus All. Fl. ped. 2. p. 103. et Herbar. ad varietatem foliis longioribus *Helianthemi cani* Dunal jure referendus, a sardois nostris speciminibus non dissentit nisi foliis oblongo-lanceolatis. *Cistus canus* Jacq. Fl. austr. tab. 277. nisi surculorum juniorum foliis oblongo-lanceolatis, a nostro non differt. *Cistus marifolius* Sm., etsi ex descriptione et adductis synonimis in Engl. Bot. p. 396. Fl. brit. p. 572. et Engl. Fl. 3. p. 23. ad nostrum spectare videatur, tamen planta Engl. Bot. tab. 396., nostra plane viridior foliisque exiguioribus praedita.

127. HELIANTHEMUM SEMIGLABRUM

H. suffruticosum; ramis tomentoso-pubescentibus; foliis stellato-hirsutis, oppositis, petiolatis, stipulatis, subtus tomentoso-canescen-

tibus, margine vix revolutis, inferioribus ellipticis, mediis oblongo-linearibus, summis linearibus acutiusculis; sepalis glabriusculis, interioribus 4-5-costatis, costis subciliatis, margine scariosis; stylo basi flexo, apice clavato.

Helianthemum semiglabrum Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 14.
H. ciliatum Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 1. p. 6.

Ic. — Tab. xiii.

Radix lignea, fusca. Caules suffruticosi, erectiusculi aut decumbentes, basi rufescentes, ramosi, ramulis gracilibus, longis, simplicibus, inaequaliter tomentoso-pubescentibus. Folia opposita, breviter petiolata, superne virentia pilisque stellatis hirsuta, subtus stellato-tomentosa et canescentia, inferiora elliptico-oblonga, obtusiuscula, caetera lineari-oblonga, acutiuscula, suprema linearia subindeve lineari-lanceolata. Stipulae lineari-lanceolatae, pilosiusculae, subciliatae, acutae, mucronulatae, petiolo longiores. Racemi terminales, laxi, subsecundi, bi-sexflori, inaequaliter tomentoso-pubescentes, bracteati, bracteis lineari-lanceolatis, sparsis et suboppositifloris. Pedunculi filiformes, calice multo longiores, fere semper purpurascentes, fructiferi reflexi. Sepala tenuissime stellato-subhirsuta aut glabriuscula, exteriora duo linearia, valde exigua, interiora tria ovata, acutiuscula nec acuminata, quadri-quinque costata, costis purpureo-violaceis, pilis rigidis ciliatis aut glabriusculis. Petala obovata, inaequaliter denticulata, sepalis interioribus duplo circiter longiora latioraque, pallide rosea, ungue flavo. Stamina plurima: antherae flavae. Capsula ovato-triquetra, tomentoso-pubescens. Semina immatura (oculo armato) punctata, matura non vidi. Suffrutex palmaris, pedalis et paullo ultra.

In pascuis calcareis aridis Arcidano: 600 metr. circiter supra maris superficiem. Fl. majo, junio. ♄

Obs. Cistus ciliatus Desf. Fl. atl. 1. p. 421. tab. 109. foliis omnibus lineari-lanceolatis, acuminatis, calicibus ovato-acuminatis, a nostro *semiglabro* plane diversus. Specimina *Cisti ciliati* Desf. in Herbar. DC. foliis minus ciliatis et paullo minus acuminatis quadantenus recedunt ab icone Fl. atl. citata et ad nostra *semiglabri* specimina accedunt, differunt tamen foliis majoribus, facie

magis pilosis, supremis apice magis attenuatis. In eodem herbario DC. inter specimina *Helianthemi ciliati* Desf. specimen adest e *Carrara*, cum nostro *semiglabro* omnino congruens. Num hoc *Helianthemi ciliati* varietas?

128. HELIANTHEMUM CROCEUM

H. suffruticosum; foliis petiolatis, oppositis, stipulatis, margine subrevolutis, facie virentibus, pilosis, subtus incano-tomentosis, inferioribus ovato-ellipticis, superioribus oblongis; racemis terminalibus bracteatis, sepalisque pubescentibus, internis 4-costatis, margine scariosis; stylo basi flexo, apice subclavato.

Helianthemum croceum Pers. Syn. 2. p. 79. Presl Fl. sic. 1. p. 128. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 177. Tenor. Fl. nap. 4. p. 319.
H. vulgare ε. Bertol. Amoen. p. 32. et Pl. genuens. ibid. p. 373. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 19. b.
Cistus croceus Desf.! Fl. atl. 1. p. 422. Willd. Sp. 2. p. 1210.

Ic. — Desf. Fl. atl. tab. 110.

Caules ex eodem caespite plures, procumbentes, ramosi; ramulis subsimplicibus, longis, superne villoso aut tomentoso-pubescentibus. Folia breviter petiolata, facie plus minusve virentia, subtus incano-tomentosa, margine vix aut non revoluta, inferiora exiguiora, ovato-elliptica; superiora sensim majora, elliptico-oblonga vel oblongo-lanceolata. Stipulae lineari-lanceolatae, ciliatae aut pubescentes, utrinque virentes, petiolo longiores. Racemi terminales bracteati; bracteis lineari-lanceolatis, pubescentibus. Pedunculi filiformes, tomentosi aut pubescentes, fructiferi recurvi. Sepala exteriora duo, anguste oblongo-linearia; interiora tria ovata aut ovato-oblonga, sulcata. Petala aurea. Capsula ovato-triquetra, molliter tomentoso-pubescens. Semina angulata, nigrescentia, laevia.

Suffrutex palmaris, semipedalis, variat 1.° foliorum magnitudine, eorumque pagina superiore viridi vel glauco- aut pallide virente, pilis modo paucis praedita, modo plurimis stellatis, brevioribus, confertisque; 2.° calicibus flavescentibus aut juxta nervos potissimum purpurascentibus, pilosis aut stellato-pubescentibus.

In collinis montanisque rupestribus, aridis, calcareis Baunèi, Oliena, Monte-albo Siniscola, Galtellì.

Fl. majo, junio. ♄

Obs. Helianthemum croceum Lag. in Herbar. DC. ramis, racemis, calicibusque mollius, tenuius et densius tomentosis ab *Helianthemo croceo* Desf. differt. Specimina *Helianthemi crocei* Desf. et specimina Vahl e Barbaria in Herbar. DC. cum nostro congruunt.

b. *Suffruticosa; foliis anguste linearibus.*

129. HELIANTHEMUM GLUTINOSUM

H. suffruticosum; foliis oppositis stipulisque sublinearibus, margine revolutis, superioribus alternis; racemis terminalibus bracteatis sepalisque glanduloso-villosis, internis 4-5-venosis; stylo recto per anthesim obliquo.

Helianthemum glutinosum Pers. Syn. 2. p. 79. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 276. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 92. Presl Fl. sic. 1. p. 126. DC. Fl. fr. 4. p. 821. Lois. Fl. gall. 1. p. 382. Duby Bot. gall. 1. p. 60. Cambess. En. pl. balear. p. 44.

H. Barrelieri Tenor.! Fl. nap. 4. p. 314. B. Dun.! in DC. Prod. l. c. Presl Fl. sic. 1. p. 125. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 20. et Suppl. p. 179.

Cistus glutinosus Linn. Mant. p. 246. Willd. Sp. 2. p. 1206. Desf. Fl. atl. 1. p. 419. All.! Fl. ped. 2. p. 106.

Ic. — Chamaecistus angusto Thymi folio hisp. Barr. Ic. tab. 416.

C. incanus Tragorigani folio hisp. Barr. Ic. tab. 415.?

β. *viride*, foliis viridibus, linearibus, rigidulis, glabris.

Helianthemum viride Tenor.! Fl. nap. 1. p. 299. et Syll. p. 258. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 275. Presl Fl. sic. 1. p. 126. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 19. Pl. rar. p. 214. et Suppl. p. 179. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. Cambess. En. pl. balear. p. 44.

Bouchet! Pl. siccat. e Maroc.

Cistus thymifolius All.! Fl. ped. 2. p. 101.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 47. Iconogr. taurin. 18. tab. 73. ic. 3.

γ. *brevifolium*, foliis brevioribus, cineraceis viridibusve.

Helianthemum thymifolium Pers. Syn. Dun.! in DC. Prod. l. c. Lois. Fl. gall. 1. p. 382.

H. juniperinum Lag.! Dun.! in DC. Prod. 1. p. 275.

Cistus thymifolius LINN. Sp. p. 743. WILLD. Sp. 2. p. 1206. VIV. Fl. cors. Diagn. 1. p. 8. DESF. Fl. atl. 1. p. 420. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 367. et Fl. graec. 5. p. 81. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 148. α.
C. glutinosus CAVAN. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 36.
Ic. — Cistus thymifolius Fl. graec. 5. tab. 500. (*ob folia brevia huc spectat*). C. glutinosus CAVAN. Ic. tab. 145. ic. 2.
Chamaecistus luteus, Thymi folio, oliganthes seu minor. BARR. Ic. tab. 444.

Caules ramosi ramique erecti, ascendentes aut prostrati. Folia opposita, plus minusve linearia seu anguste oblongo-linearia, margine revoluta, alia apice setigera, alia non, superiora saepe alterna, omnia foliis lateralibus stipularibus subindeque aliis ad axillas fasciculatis, folio multo brevioribus, praedita. Racemi pubescentes viscosique, bracteati, bracteis anguste lanceolatis aut linearibus. Pedunculi filiformes. Sepala exteriora linearia, exigua, interiora ovata. Petala lutea, calice longiora. Capsula ovata, laevis aut versus apicem pilosiuscula. Semina demum fusca, punctato-rugosa, glabra. Suffrutex palmaris, pedalis. Variat stipulis et foliis in eadem planta plus minusve cinerascentibus virentibusve, acutis et basi attenuatis, a lineari forma quadantenus recedentibus ad eamdemve accedentibus; variat insuper ramulis modo a basi in planta praesertim juniore, modo a media earum parte ad apicem, modo versus apicem dumtaxat aut juxta racemos calicesque glutinoso-pubescentibus.

In apricis maritimis calcareis, Cagliari, Porto Conte; in graniticis Geremèas, Carbonara, S. Antioco; in collinis Villacidro et in montanis calcareis Arcidano, Arizzo: inter 5-6 et 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ♄

Obs. Varietas *Helianthemi glutinosi* nostra β *viridis*, speciem ab α prima fronte diversam refert ob caules proceriores ramosioresque, folia magis linearia, acutiora, rigidula, glabra atque viridia, caeterum illius sicula, neapolitana atque sardoa mihi observata specimina, folia nonnulla interdum, ex superioribus praesertim, leviter ciliata aut hispidula, ramulos juniores pilis conspersos tenuissimis brevissimisque oculo armato praebuerunt, praeterea pedunculos et calices viscoso-pubescentes: nec desunt specimina quae ratione pubescentiae formaeque foliorum et coloris virentis, gradum ab α *Helianthemi* nostri *glutinosi* faciunt ad β. Utriusque varietatis folia in aliis speciminibus longiora, in aliis breviora se praebent.

130. HELIANTHEMUM LAEVIPES

H. suffruticosum; foliis alternis stipulisque setaceis, glabris; racemis terminalibus, bracteatis; pedunculis glabris; sepalis pilosis, internis 4-5-venosis; stylo recto, per anthesim obliquo.

Helianthemum laevipes Willd. En. pl. H. Berol. p. 570. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 275.

Presl Fl. sic. 1. p. 125. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 16. et Suppl. p. 176. Tenor. Fl. nap. 1. p. 296. et Syll. p. 258. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. DC. Fl. fr. 4. p. 816. Lois. Fl. gall. 1. p. 382. Cambess. En. pl. balear. p. 43.

Cistus laevipes Linn. Sp. p. 739. Willd. Sp. 2. p. 1191.

Desf. Fl. atl. 1. p. 413. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 365. Viv. Fl. ital. fragm. in Annal. bot. 1. part. 2. p. 172. All.! Fl. ped. 2. p. 102. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 56.

Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in herbar. DC.

Ic. — Cavan. Ic. 2. tab. 173. Jacq. Hort. vind. tab. 158. (*racemorum rachide, pedunculis calicibusque pilosis*). Iconogr. taurin. 17. tab. 91. ic. 2. et 23. tab. 27.

Cistus suffruticosus, procumbens, foliis alternatim confertis, inaequalibus, setaceis. Ger. Fl. gallo-prov. tab. 14. (*rachis racemorum, pedunculi et calices glabri*).

Caules ramosissimi ramique erecti aut procumbentes, graciles. Folia glauca, setacea, alterna, lateralibus brevioribus, stipularibus, binis; aliisque, saepius, in axilla fasciculatis. Flores laxe racemosi, racemis bracteatis, bracteis lanceolatis seu ovato-lanceolatis, piloso-glandulosis. Pedunculi capillares, fructiferi reflexi. Sepala exteriora exigua, interiora ovata. Petala lutea, obovato-cuneata, immaculata. Capsula ovato-triquetra, laevis. Semina rugoso-reticulata, glabra, fusca

Suffrutex semipedalis, pedalis; foliis, ramis ramulisque glabris, racemis ad rachidem calicesque piloso-glandulosis, pedunculis glabris: variat foliis pilis aliquot praeditis, calicibus glabris, pedunculis pilosiusculis sed rarissime.

In collinis calcareis rupestribus Cagliari Mont'urpino, S. Elia, Iglesias.
Fl. aprili, majo. ♄

131. HELIANTHEMUM FUMANA

H. suffruticosum, exstipulatum; foliis alternis, linearibus, margine subhirtis, subinvolutis; pedunculis solitariis, unifloris; sepalis internis 4-5-venosis; stylo recto, per anthesim obliquo.

Helianthemum Fumana Mill. Dict. n.° 6. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 274. Presl Fl. sic. 1. p. 124. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 258. et Fl. nap. 4. p. 312. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 177. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 155. et Fl. alp. apuan. ibid. p. 273. DC. Fl. fr. 4. p. 816. Lois. Fl. gall. 1. p. 382. Duby Bot. gall. 1. p. 60.

Cistus Fumana Linn. Sp. p. 740. Willd. Sp. 2. p. 1191. Desf. Fl. atl. 1. p. 414. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 365. Savi Fl. pis. 2. p. 11. et Bot. etr. 1. p. 127. All.! Fl. ped. 2. p. 102.

Helianthemum procumbens Dun.! in DC. Prod. 1. p. 275. Tenor. Fl. nap. 4. p. 313. Duby Bot. gall. 1. p. 60.

Ic. — H. tenuifolium, glabrum, luteo flore. J. Bauh. Hist. 2. p. 18. ic. 2. ✧ Chabr. Sciagr. p. 101. ic. 1. ✧

H. tenuifolium Zannich. Ist. tab. 116. (*caulibus divaricatis, procumbentibus*).

β. *majus*, foliis minus angustis.

Helianthemum Fumana Desf. l. c. Viv. Fl. ital. fragm. in Annal. bot. 1. part. 2. p. 172. Cambess. En. pl. balear. p. 43.

Ic. — Desf. Fl. atl. tab. 105. Jacq. Fl. austr. 3. tab. 252.

Chamaecistus vi. Clus. Hist. p. 75. ic. (*folia nimis patentia*).

C. angustifolius, flore luteo, Clusii. J. Bauh. Hist. 2. p. 18. ic. 1. Chabr. Sciagr. p. 102. ic. 2. (*icones ex* Clusio, *sed minus bonae ob folia paullo latiora*).

Cistus luteus, vermiculato folio, major. Barr. Ic. tab. 445.

γ. *brevifolium*, foliis brevioribus.

Helianthemum ericoides β. *pubescens* Dun.! in DC. Prod. 1. p. 274. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 56. Guss. Pl. rar. p. 214. Fl. sic. Prod. 2. p. 17. et Suppl. p. 176. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 257. et Fl. nap. 4. p. 312. B. Soleirol! Pl. siccat. e Corsica. Lagasca! Pl. siccat. ex Hispania in herbar. DC.

Ic. — Cavan. Ic. et Descr. 2. tab. 172.

Cistus minor, brevi vermiculatoque folio, hispanicus. Barr. Ic. tab. 286. ✦ et 446. ✦

Suffrutex semipedalis, pedalis. Caules ramique procumbentes, diffusi vel erecti. Folia alterna, erecta, linearia, glaucescentia, rigidula, subinde imbricata, superne plana, subtus gibba, margine scabrido-

hirta, inferiora breviora et saepe confertiora. Pedunculi filiformes, uniflori, saepe oppositifolii atque purpurascentes, fructiferi retroflexi. Sepala exteriora duo exigua, interiora ovata, purpurascentia, nervis plerumque ciliatis. Petala lutea, calice longiora, immaculata. Capsula ovato-triquetra, laevis. Semina nigra, laevia. Folia interdum, ramuli autem juniores et pedunculi constanter apud nos brevissimeque (oculo armato) strigillosa: perfecte glabra, etsi plurimis spectatis, numquam vidi.

In calcareis rupestribus Mont'urpino Cagliari, Dorgali, Oliena.

Fl. aprili, majo. ♄

Obs. Helianthemi Fumanae ipsamet varietas nostra *brevifolia* foliis plus minusve tenuibus variat: hujus praeterea folia superiora reliquis interdum paulló longiora, ut in iconibus 286. et 446. Barr., gradum ad priorem varietatem faciunt.

Cisti Fumanae nomine in All. herbar. exstant specimina *Helianthemi Fumanae* Mill. et *Helianthemi viridis* Tenor.

c. *Herbacea.*

132. HELIANTHEMUM TUBERARIA

H. exstipulatum; caulibus basi perennantibus, floriferis annotinis ascendentibus, subsimplicibus; foliis 3-5-nerviis, inferioribus villoso-tomentosis oblongisque, in petiolum attenuatis, caeteris oblongo-lanceolatis, glabris, superioribus alternis; racemis bracteatis calicibusque laevibus, nitidis; stylo subnullo.

Helianthemum Tuberaria Mill. Dict. n.° 6. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 270. Benth. Catal. pl. pyren. p. 83.

Presl Fl. sic. 1. p. 120. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 22. et Pl. rar. p. 212. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 257. et Fl. nap. 4. p. 311. DC. Fl. fr. 4. p. 818. Lois. Fl. gall. 1. p. 380.

Cistus Tuberaria Linn. Sp. p. 741. Willd. Sp. 2. p. 1197.

Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 8. Desf. Fl. atl. 1. p. 415. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 366. Savi Bot. etr. 1. p. 153. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. All.! Fl. ped. 2. p. 103. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 1. p. 65.

Ph. Thomas! Saltzm! Pl. siccat. e Corsica. Lagasca! Pl. siccat. ex Hispaniae regno valentino, Murcia et Castella vetere in Herbar. DC.

Ic. — Cavan. Ic. 1. tab. 97.

Tuberaria nostras J. Bauh. Hist. 2. p. 12. ic. 4. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 99. ic. 3. ⁂

Radix teretiuscula, flexuosa, perennans. Caules ex eodem caespite plures, basi suffrutescentes; annotini virgati, ascendentes, fere pedales, inferne villosi, reliqua parte glabri. Folia radicalia et caulina inferiora ovalia aut oblonga, villoso-tomentosa, tri-quinquenervia, in petiolum attenuata, caetera sessilia, trinervia, superiora alterna sensim angustiora, glabra. Flores racemosi, subsecundi, pedunculis unifloris, alternis, longis, basi bracteatis. Sepala laevia, nitida, interdum purpurascentia, duo exteriora lanceolato-linearia, minima, interiora tria ovali-acuminata. Petala lutea, obovato-cuneata, irregulariter denticulata. Capsula ovata, pubescens.

In arenosis collinisve aridis, maritimis, Oliastra, Belvì, Perdas de Fogu, Paùlli-Gerrei, Calasetta S. Antioco, Nurra, insulae la Maddalena.

Fl. majo, junio. ♃

133. HELIANTHEMUM GUTTATUM

H. pilosum, erectum; foliis trinerviis, sessilibus, elliptico-oblongis aut oblongo-lanceolatis, inferioribus oppositis, exstipulatis, supremis alternis, lineari-lanceolatis stipulatisque; racemis ebracteatis; stylo subnullo.

Helianthemum guttatum Mill. Dict. n.° 18. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 270.

De Buch Catal. pl. canar. in Archiv. bot. 1. p. 502. Presl Fl. sic. 1. p. 120. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 23. Tenor. Fl. nap. 1. p. 297. et Syll. p. 257. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 178. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 14. DC. Fl. fr. 4. p. 819. et Suppl. p. 623. Lois. Fl. gall. 1. p. 380.

Requien! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica. Lagasca! Pl. siccat. ex Hispania in herbar. DC.

H. eriocaulon et punctatum Dun.! in DC. Prod. 1. p. 271.

Cistus guttatus Linn. Sp. p. 741. Willd. Sp. 2. p. 1198.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 366. et Fl. graec. 5. p. 79. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 147. Urv. En. pl. archip. p. 57. Savi Fl. pis. 2. p. 12. et Bot. etr. 2. p. 129. Viv. Fl. ital. fragm. in Annal. bot. 1. part. 2. p. 173. All.! Fl. ped. 2. p. 103.

C. serratus Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 57.

C. herbaceus, exstipulatus; foliis oppositis, trinerviis; racemis ebracteatis. All.

Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 91. et Florul. cors. in Misc. iisd. 2. p. 207.

Ic. — Engl. bot. 8. tab. 544. Cavan. Ic. 2. tab. 175. ic. 1. (*petala serrata*). Fl. graec. 5. tab. 498.

Helianthemum flore maculoso Columm. Ecphr. tab. 77. ic. 1. (*petala integra*).

β. *plantagineum*, foliis latioribus; racemis saepe brevioribus.

Helianthemum plantagineum Pers. Syn. 2. p. 77. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 270. De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 502. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 22. et Suppl. p. 180. Duby Bot. gall. 1. p. 59. Cambess. En. pl. balear. p. 42.

Cistus plantagineus Willd. Sp. 2. p. 1197.

C. serratus Desf. Fl. atl. 1. p. 416.

Ic. — Iconogr. taurin. 20. tab. 45.

γ. *inconspicuum*, foliis angustioribus, floribus exiguis.

Helianthemum inconspicuum Thib. in Pers. Syn. 2. p. 77. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 271.

Radix teretiuscula, flexuosa, inferne fibrillas emittens. Caulis erectus, semipedalis, pedalis, gracilis, saepe ramosus. Folia opposita, trinervia, elliptico-oblonga aut oblongo-lanceolata, acuta, inferiora instar petioli basi attenuata, radicalia nonnumquam obtusiuscula, superiora lineari-lanceolata, alterna, raro opposita et plerumque stipulata, stipulis lineari-lanceolatis. Racemi subsecundi, laxi, ebracteati, pedunculis filiformibus. Sepala pilosa, punctis verrucosis, nigris, demum, basi potissimum, notata. Capsula ovato-triquetra, versus apicem pubescens. Semina punctata.

Planta plus minusve viscida. Variat 1.° caule glabriusculo aut villoso-hirsuto, villis scilicet longiusculis vel pilis brevibus rigidulis; 2.° foliis modo pilis simplicibus, longioribus, mollibus, modo brevioribus stellatisque praeditis; 3.° sepalis exterioribus plus aut minus angustis brevibusque; 4.° petalis majoribus minoribusve, integris, crenulatis vel serratis, basi immaculatis vel maculatis; macula violacea, exigua aut majuscula.

Ad vias et in pascuis aridis maritimis, collinis montanisque Sardiniae et insularum la Maddalena, Asinara: vulgatissimum.

Fl. a martio ad junium. ①

134. HELIANTHEMUM AEGYPTIACUM

H. caule pubescente; foliis breviter petiolatis, lineari-oblongis, angustis, margine revolutis, subtus tomentoso-pubescentibus cineraceisque, summis alternis, omnibus stipulatis; sepalis internis scariosis, inflatis, quadrinerviis, petala includentibus; pedunculis oppositifoliis, fructiferis retroflexis; stylo recto, erecto, apice incrassato.

Helianthemum aegyptiacum Mill. Dict. n.° 23. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 273. Presl Fl. sic. 1. p. 123. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 25.

Cistus aegyptiacus Linn. Sp. p. 742. Willd. Sp. 2. p. 1200. Desf. Fl. atl. 1. p. 424. Lagasca! Pl. siccat. ex Hispania in herbar. DC.

Ic. — Jacq. Obs. 3. tab. 68.

Radix teretiuscula, fibroso-ramosa. Caules pubescentes, simplices vel ramosi, modo solitarii, erecti, modo plures ab eadem radice quorum laterales ascendentes diffusive. Folia opposita, lineari-oblonga, angusta, obtusiuscula, interdum lineari-lanceolata, margine revoluta, superne virentia et pilosiuscula, subtus pallida aut cineracea pilisque stellatis, brevibus tomentoso-pubescentia, summa alterna, omnia stipulata, stipulis linearibus. Flores racemosi; pedunculis filiformibus, alternis, pubescentibus, fructiferis retroflexis. Sepala exteriora duo, oblongo-linearia aut oblonga, exigua, viridia, pubescentia, interiora tria, pellucido-membranacea, conniventia, angulosa, nervis quatuor elevatis, mediis potissimum et margine altero ciliatis, fructifera ovato-acuta. Petala pallide lutea, elliptica, integra aut irregulariter denticulata, inclusa. Stamina 8-10, stylum subaequantia. Ovarium sericeo-tomentosum. Capsula ovato-triquetra, pubescens. Semina matura nigra, angulata, oculo armato, verruculoso-punctata.

In pascuis maritimis Carbonara, Oliastra, in collinis Paulli-Latino, in montanis inter Ozieri et Patada, Arizzo, Fonni et in summis jugis montis Linas: a 3-4 ad 1240 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, majo. ①

135. HELIANTHEMUM SALICIFOLIUM

H. tomentoso-pubescens; foliis penninerviis, breviter petiolatis, oppositis, oblongo-ovatis oblongisve, stipulatis, floralibus sessilibus,

alternis, subovatis, suboppositifloris; pedunculis horizontalibus, calice longioribus; sepalis internis trinerviis; stylo recto, erecto, apice incrassato.

Helianthemum salicifolium Pers. Syn. 2. p. 78. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 273. Benth. Catal. pl. pyren. p. 84.

Presl Fl. sic. 1. p. 122. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 24. Tenor. Fl. nap. 1. p. 297. et Syll. p. 257. DC. Fl. fr. 4. p. 820. Lois. Fl. gall. 1. p. 383.

Cistus salicifolius Linn. Sp. p. 742. Willd. Sp. 2. p. 1200.

Desf. Fl. atl. 1. p. 424. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 367. et Fl. graec. 5. p. 80. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 148. All.! Fl. ped. 2. p. 104. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 35.

Ic. — Fl. graec. 5. tab. 499. Cavan. Ic. 2. p. 144. (*folia floralia lineari-lanceolata , quod rarum in nostra*).

Helianthemum annuum, humile; foliis ovatis; flore fugaci. Seg. Veron. 3. tab. 6. ic. 3.

β. *denticulatum*, foliis denticulatis.

Helianthemum denticulatum Thib. in Pers. Syn. 2. p. 78. Dun.! in DC. Prod. l. c. Benth. Catal. pl. pyren. p. 84. Duby Bot. gall. 1. p. 60. Presl Fl. sic. 1. p. 122.

Radix teres, inferne fibroso-ramosa. Caulis simplex vel basi ramosus, modo solitarius, erectus, modo plures ex eadem radice quorum laterales decumbentes subindeve prostrati. Folia penninervia, breviter petiolata, obtusiuscula, facie virentia, subtus pallentia aut canescentia, opposita, inferiora obovata aut oblongo-obovata, media saepe oblonga aut elliptica, floralia sessilia, alterna, ovata aut ovato-oblonga, integra aut subdentata, raro lineari-lanceolata. Stipulae lanceolato-lineares, superiores sensim longiores folioque duplo breviores. Pedunculi filiformes, fructiferi horizontales, inferiores calice duplo longiores. Sepala exteriora duo linearia, exigua, uninervia, interiora tria trinervia, fructifera ovato-acuta. Petala lutea, fugacia. Capsula ovato-triquetra, laevis, ad angulos superne pubescens. Semina punctis tenuissimis oculo armato asperula, modo pallida vidi, modo rubescentia, etsi non semper matura, in utriusque varietatis speciminibus siccis.

Planta tomentoso-pubescens, pilis foliorum stellatis, caulinis stellatis vel fasciculatis; variat caule palmari et fere pedali. Ab *Helian-*

themo nilotico habitu graciliori, pedunculis horizontalibus, non incrassatis et calice longioribus, foliis floralibus saepius ovatis, capsulis duplo triplove semper minoribus, plane diversum.

In pascuis maritimis, collinis montanisque frequens.

Fl. aprili, majo. (1)

Obs. Ex clariss. Delil. et Benth. l. c. constans ex seminibus roseis in *Helianthemo denticulato*, albis in *Helianthemo salicifolio* eruitur character quo secernantur. Characteres autem utrique tributi, cultura perstare dicuntur; quod si multiplici probatur observatione et experientia, species distinguendae sunt, interea vero in unam coalescere posse putavi quod semina rubescentia et pallida promiscue in variis speciminibus etsi siccis observaverim, quae caeteris characteribus modo ad unam, modo ad alteram ex memoratis stirpibus pertinere videbantur, quod si characterem demas ex seminum colore desumptum, alii constantes quibus distinguantur certe nulli sunt.

Cistus salicifolius Cavan. Ic. l. c. tab. 144. ad *Helianthemum intermedium* a cl. Dunal relatus, cum *salicifolii* nostri quibusdam speciminibus congruit. *Helianthemi* autem *intermedii* specimina monspeliaca, calicis fructiferi sepalis internis oblongo-lanceolatis, paullo angustioribus longioribusque; racemo longiore, a nostro aliquatenus recedunt.

136. HELIANTHEMUM NILOTICUM

H. subtomentoso-hirsutum, erectiusculum; foliis penninerviis, breviter petiolatis, oppositis, infimis oblongo-obovatis, supremis oblongo-lanceolatis alternisque, oppositifloris, omnibus stipulatis; pedunculis erectis, calice brevioribus; sepalis internis trinerviis; stylo recto, erecto, apice incrassato.

Helianthemum niloticum Pers. Syn. 2. p. 78. Dun.! in DC. Prod. 1. p. 272. Presl Fl. sic. 1. p. 121. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 24. et Suppl. p. 180. Tenor. Fl. nap. 4. p. 312. et Syll. p. 257. Benth. Catal. pl. pyren. p. 83.
Cistus niloticus Linn. Mant. p. 246. Willd. Sp. 2. p. 1200. Desf. Fl. atl. 1. p. 423.
C. ledifolius All.! Fl. ped. 2. p. 104.

Ic. — Iconogr. taurin. v. 17. tab. 91. ic. 1. v. 18. tab. 73. ic. 1. et v. 25. tab. 3. (*planta luxurians*).

Radix flexuosa, fibras laterales aut ramos emittens. Caules teretes, solitarii, erecti aut ex eodem caespite plures, quorum late-

rales decumbentes vel ascendentes, centrales erecti, simplices aut parce ramosi. Folia breviter petiolata, opposita, penninervia, inferiora, apud nos, elliptico- aut oblongo-obovata, media oblonga, superiora oblongo-lanceolata, alterna, omnia stipulata, stipulis oblongo-lanceolatis, superioribus sensim longioribus. Pedunculi oppositifolii, alterni, erecti, calice breviores, inferiores remoti. Sepala exteriora duo oblongo-lanceolata, uninervia, interiora tria ovato-acuminata, trinervia, exterioribus paullo longiora. Petala pallide lutea, obovata, basi maculata, calice breviora. Stamina circiter 35, stylo subaequalia. Capsula ovato-triquetra, magna, laevis, ad angulos superne pubescens.

Planta palmaris, pedalis, pilis stellatis simplicibusque plus minusve tomentoso-hirsuta; a *Cisto ledifolio* Linn. Engl. bot. tab. 2414. *Helianthemo ledifolio* Willd. non differt nisi propterea quod magis tomentoso-hirsuta sit.

In pascuis collinis Morgongiori et in maritimis Porto-Conte.

Fl. aprili. ①

Obs. Cistus annuus Clus. Hist. 1. p. 76. ic. 2. ✦ *Cistus humilis, annuus, folio salicis humilis* Lob. Obs. p. 552. ic. 1. ✦ et Icon. p. 118. ic. 1. ✦ *Cistus annuus primus Clus., folio rotundiore* J. Bauh. Hist. 2. p. 13. ic. 3. ✦ Chabr. Sciagr. p. 99. ic. 4. ✦ ad *Helianthemum niloticum* nec ad *salicifolium*, brevitate pedunculorum spectare videntur, iisdem autem pedunculis inclinatis accedunt ad *Helianthemum salicifolium*, neutrum vero satis bene repraesentant.

ORDO X.

VIOLARIEAE

Violarieae Ging. in DC. Prod. 1. p. 287. Bartl. Ord. nat. p. 283. Violaceae Juss. Ann. Mus. 18. p. 476. DC. Fl. fr. 4. p. 801.

Sepala 5, persistentia, ima basi interdum coalita, saepe deorsum producta. Petala 5, raro aequalia, inferiore (in nostris) in calcar basi abeunte. Stamina 5, filamentis brevibus: antheris introrsis, ad latera contiguis adglutinatisve. Stylus simplex, stigmate subgloboso

acutove. Pericarpium capsulare, uniloculare, trivalve: placenta linearis valvae cujusque axi intus adnata. Semina plerumque indefinita: integumentum eorum triplex, extimum tenuissimum, prope hilum in carunculam incrassatum, intermedium crustaceum, endopleura tenuis. Albumen carnosum. Embryo rectus, axilis. — Herbae (apud nos), vel caule subterraneo (subacaules); vel caulescentes; pedunculi solitarii, axillares, uniflori, bibracteolati.

LVI. VIOLA

GING. in DC. Prod. 1. p. 291. TOURN. Inst. p. 419. tab. 236. Violae sp. LINN.

Sepala inaequalia, in appendices auriculaeformes basi producta. Petala inaequalia, inferius in calcar cavum deorsum productum. Staminum filamenta basi dilatata, duo anteriora appendicem gerentia nectariferam in calcaris cornu irrepentem.

137. VIOLA ODORATA

V. subacaulis; stolonibus radicantibus; foliis cordatis; calcare obtuso; stigmate uncinato, nudo; capsula turgido-subrotunda, hirta; seminibus turbinatis, albidis.

Viola odorata LINN. Sp. p. 1324. WILLD. Sp. 1. p. 1163. GING. in DC. Prod. 1. p. 296. R. et SCH. Syst. 5. p. 364.

DESF. Fl. atl. 1. p. 313. DE BUCH Catal. pl. canar. in GUILLEM. Archiv. bot. 1. p. 502. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 78. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 146. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 257. PRESL Fl. sic. 1. p. 142. GUSS. Fl. sic. Prod. 1. p. 253. et Suppl. p. 57. TENOR. Fl. nap. 1. p. 107. et Syll. p. 117. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 104. SAVI Fl. pis. 2. p. 295. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 132. ALL.! Fl. ped. 2. p. 97. DC. Fl. fr. 4. p. 803. LOIS. Fl. gall. 1. p. 131. CAMBESS. En. pl. balear. p. 46.

V. acaulis; foliis cordatis; stolonibus reptantibus. ALL. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. p. 103.

Ic. — Engl. bot. 9. tab. 619. Fl. dan. tab. 309. BULL. Herb. tab. 169. CHAUM. CHAMB. et POIR. Fl. med. 6. tab. 348. Iconogr. taurin. 6. tab. 90. ic. 1.

Viola BRUNF. Herbar. 1. p. 137. ic. 1. 2. RIV. Pentap. irr. tab. 119. ic. 1.

V. purpurea Fuchs. Hist. p. 311. ic. ☆ Math. Valgr. p. 1180. ic. Chabr. Sciagr. p. 509. ic. 1. ☆

V. martia purpurea J. Bauh. Hist. 3. p. 542. ic. ☆

V. nigra seu purpurea Dod. Pempt. p. 156. ic. 1.

V. martia, praecox, purpurea et alba etc. Lob. Icon. p. 608. ic. 2.

V. martia, purpurea Zannich. Ist. tab. 270.

Rhizoma (vel caulis radiciformis subterraneus) obliquum vel horizontale, veterum petiolorum stipularumque reliquiis squamosum, ramosum, inferne radices fibrillosas edens. Stolones radicantes, foliosi, longi, demum floriferi. Folia longe petiolata, cordato-orbiculata, reniformia vel cordato-ovata, obtusiuscula: petioli versus summitates rhizomatis plures, alterni. Stipula utrinque ad basim petiolorum, libera, lanceolato-acuminata, serrato-ciliata. Pedunculi axillares versus medium bracteati, bracteis lanceolatis. Sepala appendicibus saepe ciliatis. Capsula turgido-subrotunda, hirta, seminibus turbinatis, albidis, laevibus. — Planta modo pubescens, modo glabra, variat sepalis obtusis acutisve, petalis violaceis, rubris, pallidis et albis, obtusis aut acutiusculis.

In umbrosis humentibus Iglesias et Sardiniae centralis.

Fl. februario, martio. ♃

Offic. *Viola martia.*

Ital. *Mammola. Mammoletta. Mammolina. Viola mammola. Viola maura. Violacea. Violetta. Vivola mammola.*

Vern. *Violetta.*

Violae odoratae flores, virginitatis apud veteres symbolus, fragrantia suaves, omnibus noti. Succus ex ipsis calicibusque expressus alvum laxat itemque syrupus qui quidem in morbis praesertim pectoris proficue adhiberi consuevit. Chemici eodem ad alcalium et acidorum praesentiam detegendam utuntur. Semina contrita emulsionem praebent vomitoriam et alviducam, sed vis emetica rhizomati potissimum inest, quod principium continet alcaloideum emetinae analogum (Violina Boullay).

138. VIOLA CANINA

V. caule glabro, adultiore ascendente, subramoso; foliis cordatis; stipulis lineari-lanceolatis, pectinato-serratis; sepalis acutis; stigmate papilloso, subreflexo; capsula oblongo-triquetra, valvis acuminatis; seminibus pyriformibus, fuscis.

Viola canina Linn. Sp. p. 1324. Willd. Sp. 1. p. 1164. Ging.! in DC. Prod 1. p. 298. α.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 2. p. 502. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 146. Urv. En. pl. archip. p. 26. Tenor. Fl. nap. 1. p. 107. et Syll. p. 117. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 104. All.! Fl. ped. 2. p. 99. DC. Fl. fr. 4. p. 806. Lois. Fl. gall. 1. p. 131.

Ic. — Reich. Pl. crit. Cent. 1. tab. 74. ic. 150-153.

* *elatior*, caule elatiore; foliis superioribus ovato-oblongis; stipulis supremis subintegerrimis.

Ic. — Reich. Pl. crit. Cent. 1. tab. 75. ic. 154-155.

Radix et rhizoma praeter propter ut in praecedente. Caules primo nulli, hinc herba acaulis vel subacaulis, mox vero ascendentes erective, angulati, ad petiolorum originem saepe fere refracti. Folia petiolata, raro pilosiuscula, plerumque glaberrima, inferiora saepe cordato-subrotunda, crenata, interdum reniformia, superiora cordato-ovata aut cordato-oblonga, acutiuscula, in var. *elatiore* fere acuminata et serrato-crenata. Stipulae lanceolato-lineares, inferiores potissimum pectinato-serratae. Pedunculi axillares, solitarii, folio multo longiores, versus apicem bracteati, bracteis lanceolato-linearibus, angustissimis. Flores plus minusve violacei, inodori, cornu crasso, obtuso. Sepala lanceolata, acuta, appendicibus in fructu omnibus conspicuis. Capsula glabra.

In montanis editis: var. β. in rupestribus calcareis Tonneri d'Irgini.

Fl. junio. ♃

Ital. *Viola mammola senza odore.*

139. VIOLA CENISIA

V. caulibus filiformibus, procumbentibus; foliis petiolatis, crassiusculis, inferioribus ovatis, supremis ovato-oblongis oblongisve; stipulis inferioribus linearibus, membranaceis, superioribus petiolatis, foliaceis, subpalmati-partitis.

Viola cenisia Linn. Sp. p. 1325. Willd. Sp. 1. p. 1165. Ging.! in DC. Prod. 1. p. 301. α. R. et Sch. Syst. 5. p. 373. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 147. All.! Fl. ped. 2. p. 98. DC. Fl. fr. 4. p. 805. Lois. Fl. gall. 1. p. 132. α.

Ic. — All. Fl. ped. tab 22. ic. 6.

* *heterophylla*, foliis superioribus oblongis.

Viola valderia All.! Fl. ped. 2. p. 98. R. et Sch. Syst. 5. p. 373. DC. Fl. fr. 4. p. 805.

V. cenisia γ. Ging.! in DC. Prod. 1. p. 302. Lois. Fl. gall. 1. p. 132. β.
V. calcarata. Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 6. non Linn.
Ic. — All. Fl. ped. tab. 24. ic. 3.

Radix crassiuscula, ad perpendiculum descendens, ramos e collo nonnumquam dimittens obliquos aut horizontales. Caules simplices ramosive, filiformes, e communi caespite plures, quorum medii ascendentes aut erectiusculi, laterales diffusi, procumbentes subindeve radicantes, omnes aut plerique basim versus subterranei ibidemque nudi, longitudine palmares, semipedales, oculo armato, breviter plerumque hirti. Folia glabra aut breviter hirta, margine subcartilaginea, obiter apud nos lateque crenata nonnullaque integra, modo omnia ovata, modo, in planta praesertim adulta, inferiora ovata, caetera oblonga, omnia obtusa, subindeve ex supremis aliquot acutiuscula. Stipulae inferiorum foliorum lineares aut lineari-subulatae, indivisae, integraeque, superiorum foliorum foliaceae foliorumque formam aemulantes, ovatae oblongaeve, integrae obiterve crenatae, petiolulatae, saepe palmatim partitae, partitionibus lateralibus oblongis subindeve linearibus, media oblonga. Pedunculi solitarii, axillares, plus minusve longi, folium multo superantes, paullo ultra medietatem bracteis duabus praediti, lanceolatis, exiguis, integris aut ad basim saepe utrinque uni-bi-dentatis. Sepala acuta aut acutiuscula, auriculis obtusis acutisve. Capsula oblonga, glabra. Semina oblongo-obovata, helvola, laevia. — Variat petalis violaceis et albis, calcare obtuso acutove calicem, in eadem etiam planta, longitudine aequante eodemque duplo longiore.

In montanis editis monte Spada-Fonni et Genargentu: a 1550 ad 1800 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio. ♃

Obs. Viola cenisia sardoa congruit cum speciminibus cenisiis et valderiis *Violae cenisiae* et *valderiae* All. Ab affini *Viola gracili* Sm. *Viola heterophylla* Bertol. foliis superioribus numquam linearibus, caeterisque differt.

140. VIOLA TRICOLOR

V. caule angulato; foliis crenato-serratis, infimis ovatis, summis oblongis lanceolatisve; stipulis ovatis et oblongo-lanceolatis, basi

pinnatifidis; calcare sepalorum auriculas subaequante; stigmate urceolato; capsula elliptica, obsolete hexaëdra; seminibus oblongo-ovatis, helvolis.

Viola tricolor α. Linn. Sp. p. 1326. Willd. Sp. 1. p. 1168. Presl Fl. sic. 1. p. 134. β. Tenor. Fl. nap. 1. p. 108. et Syll. p. 118. β. All. Fl. ped. 2. p. 100. β.
V. tricolor γ. *bicolor*. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 57.
V. arvensis Murr. Prod. p. 73. R. et Sch. Syst. 5. p. 382. Urv. En. pl. archip. p. 26. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 104. DC. Fl. fr. 4. p. 808. Lois. Fl. gall. 1. p. 135.
Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 107.
Viola bicolor Riv. Pentap. irr. tab. 122. ic. 1.
Jacea altera Math. Valgr. p. 1183. ic.
Viola sylvestris Lob. Icon. tab. 611. ic. 2.
V. bicolor, arvensis Moris. Hist. sect. 5. tab. 7. ic. 10.

β. *hortensis*, petalis calice multo majoribus.
Ic. — Fl. dan. tab. 623. Iconogr. taurin. 6. tab. 112. 113.
Jacea sive flos Trinitatis Math. Valgr. p. 1182.
Viola tricolor Riv. Pentap. irr. tab. 122. ic. 2. Dod. Pempt. p. 158. ic. 1. ✦
V. flammea coloria Lob. Obs. p. 335. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 611. ic. 1. ✦
V. tricolor hortensis Moris. Hist. sect. 5. tab. 7. ic. 9.

Radix tereti-fusiformis, inferne fibrosa. Caulis raro simplex, saepe ramosus, erectus aut diffusus, angulatus, foliosus, pilis brevissimis, rigidis, oculo armato hispidulus. Folia petiolata, serrato-crenata, alterna, in α glabriuscula, in β hispidula ciliataque, inferiora ovata, media ovato-oblonga, summa oblonga vel oblongo-lanceolata. Stipulae magnae, infimae ovatae, mediae oblongae, summae oblongo-lanceolatae, basi pinnatifidae vel nonnumquam fere palmatifidae, hispidulae. Pedunculi axillares, solitarii. Sepala lanceolata, in α ciliata, corolla flavida aut ochroleuca, albido et violaceo subinde varia, vix breviora; in β sepala glabra, corolla ampla, sericea, atro-violacea, albida et flava, fere duplo breviora. Corollae calcar crassum, obtusum, sepalorum appendices aequans aut vix superans. Capsula glabra. Semina helvola.

Inter segetes Tonnara, Arizzo: 800 metr. circiter supra maris superficiem. Var. β. colitur in hortis.

Fl. junio, julio. ☉

Ital. *Erba della Trinità. Erba Trinitas. Jacea. Minuti pensieri. Panzea. Sericchi. Vedovine. Viola renajola. Viola segalina. Viola di tre colori. Viola farfalla. Vivole farfalline.*

Herba decocta vel ejus pulvis et extractum in crustae lacteae curatione commendata. Usus, ut salutares consequantur effectus, diu protrahendus.

ORDO XI.

POLYGALEAE

Polygaleae Juss. Ann. mus. 14. p. 386. Mem. Mus. 1. p. 385. DC. Prod. 1. p. 321. Bartl. Ord. nat. p. 256.

Sepala 5, ima basi quandoque coalita, persistentia, duo lateralia interiora saepe majora, petaloidea. Petala 3-5, sepalis alterna, irregularia, decidua, libera vel tubi staminiferi ope inter se coalita. Stamina saepe 8, filamentis in tubum superne fissum coalitis: antheris unilocularibus, apice poro hiantibus. Stylus 1, stigmate plerumque bilabiato. Pericarpium capsulare, compressum, biloculare, valvis septiferis, dehiscentibus; raro drupaceum, uniloculare, indehiscens. Semina in loculis solitaria. Albumen carnosum vel subnullum. Embryo axilis, rectus. — Herbae (apud nos). Folia indivisa, integerrima, sparsa. Stipulae nullae. Bracteae deciduae ad pedunculorum basim.

LVII. POLYGALA

Polygala Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1155. Juss. Gen. p. 99. DC. Prod. 1. p. 321. Tourn. Inst. tab. 79. Lmck. Ill. tab. 598. Gaertn. Fr. tab. 62.

Sepala persistentia, duo interiora longe majora, alaeformia. Corolla convoluta in tubum supra fissum, limbo bilabiato, labio superiore bifido, inferiore (carina) concavo, subtus barbato aut imberbi. Staminum tubus octantherus. Capsula bilocularis, compressa, elliptica, obovata aut obcordata. Semina pubescentia, hylo carunculata.

141. POLYGALA VULGARIS

P. caulibus adscendentibus decumbentibusve, basi suffrutescentibus; foliis lineari-lanceolatis, acutiusculis, infimis oblongo-ellipticis; racemis multifloris; floribus cristatis; alis ovalibus vel obovato-cuneatis, corolla subbrevioribus, capsulam superantibus.

Polygala vulgaris Linn. Sp. p. 986. Willd. Sp. 3. p. 873.

Desf. Fl. atl. 2. p. 127. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 51. Urv. En. pl. archip. p. 84. Tenor. Fl. nap. 2. p. 121. et Syll. p. 340. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 233. Savi Fl. pis. 2. p. 131. et Bot. etr. 4. p. 4. Bertol. Pl. genuens. et Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 169. et 390. All.! Fl. ped. 1. p. 301. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 15. DC. Fl. fr. 3. p. 456. Lois. Fl. gall. 2. p. 103.

Ic. — Reich. Iconogr. Cent. 1. tab. 25. ic. 52. 53. Engl. bot. 2. tab. 76.

Polygala vulgaris Vaill. Bot. paris. tab. 32. ic. 1.

* *oxyptera*, alis elliptico-cuneatis, acutis, capsula angustioribus vixque longioribus.

Ic. — Polygala oxyptera β. *pratensis*. Reich. Iconogr. Cent. 1. tab. 24. ic. 47. 48. 49. P. vulgaris Fl. dan. tab. 516. Bull. Herb. tab. 177.

** *amblyptera*, alis obovato-cuneatis, capsula angustioribus longioribusque.

Ic. — Polygala amblyptera Reich. Iconogr. Cent. 1. tab. 24. ic. 50. 51.

Radix lignosa. Caules ex eodem caespite plures, basi frutescentes et saepe ramosi, adscendentes, graciles, foliosi, angulati, inferne potissimum, oculo armato, puberuli, semipedales, dodrantales. Folia sparsa, lineari-lanceolata, integra, plus minusve acuta, infima saepe oblonga ellipticave, raro aliquot obovata. Flores in racemos terminales, multifloros dispositi, subsecundi: pedunculis brevibus, erectis, fructiferis incurvo-patentibus. Bracteae ad basim pedunculorum tres, caducae, ovato-lanceolatae, exiguae, margine membranaceae, saepe coloratae. Alae calicinae (sepala interiora) coloratae, post anthesim pallescentes, reticulatae, basi subquinquenerviae, modo ellipticae, modo elliptico-oblongae, acutae aut acutiusculae, basi attenuatae, raro obovato-cuneatae, capsulam latitudine aequantes aut angustiores eademque aut vix aut valde longiores. Sepala tria exteriora, oblongo-lanceolata, interioribus duplo et ultra breviora, demum pallescentia. Corolla cristata, cyanea, rubescens vel albida. Capsula glabra plus

minusve emarginata, obovata, margine membranaceo-cincta. Semina ovalia oblongave, fusca, pube albida, brevi adpressa, obducta.

In pascuis montanis sylvisque: frequens.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Erba bozzolina. Mughetti salvatici. Vecciolina.*

Vern. Arizzo *Flores de Spangia.*

Radix *Polygalae vulgaris* amara, in pulverem redacta vel decocta, leniter expectorans et alviduca habetur.

142. POLYGALA MONSPELIACA

P. annua, erectiuscula, subsimplex; foliis lineari-lanceolatis, acuminatis; floribus cristatis; alis oblongis, trinerviis, corolla capsulaque longioribus.

Polygala monspeliaca Linn. Sp. p. 987. DC. Prod. 1. p. 325.

Desf. Fl. atl. 2. p. 129. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 63. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 201. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 359. Tenor. Fl. nap. 2. p. 123. et Syll. p. 341. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 273. All.! Fl. ped. 1. p. 301. DC. Fl. fr. 3. p. 467. Lois. Fl. gall. 2. p. 103.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

P. glumacea Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 52. et Fl. graec. 7. p. 66. DC. Prod. 1. p. 325.

P. straminea Presl Fl. sic. 1. p. 537. Spr. Syst. 4. part. 2. p. 265.

Ic. — Reich. Iconogr. Cent. 1. tab. 26. ic. 57. 58. Sibth. Fl. graec. 7. tab. 670.

Polygala brevi, lanceolato folio. Bocc. Mus. tab. 99. (*bona, licet alae calycinae, uninerviae. Caulis solitarius, simplex*).

P. vulgaris, coloris obsoleti, foliis angustissimis. J. Bauh. Hist. 3. p. 383. ic. ? ✦ (*caules ex eadem radice plures*).

P. vulgaris, major, foliis angustissimis. Chabr. Sciagr. p. 457. ic. 6. ? ✦

Radix albida, exilis, flexuosa, fibras laterales paucas inferne emittens. Caules valde graciles, foliosi, leviter striati, erectiusculi, simplices aut parce ramosi, modo solitarii, modo 2-5 ex eadem radice. Folia alterna, lineari-lanceolata, acuminata cuspidataque, glabriuscula aut, oculo armato, superne margineque puberula, infima cito decidua, saepe oblonga, acuta subindeve aliquot obtusiuscula. Racemi florum terminales, multiflori, subsecundi, pedunculis fructiferis incurvis aut reflexis, bracteis ad basim pedunculorum tribus,

anguste lanceolatis, margine membranaceis, fugacibus. Sepala exteriora tria, lanceolata, interioribus triplo fere breviora: interiora (alae calycinae) oblonga, pallescentia aut straminea, trinervia, nervis virentibus, medio paullulum producto, mucronata. Corolla cristata, pallide coerulescens. Capsula glabra, obcordata, membranaceo-marginata, alis plus minusve brevior. Semina oblonga, fusca, adpresse pubescentia ut in praecedente.

Planta glabra ab Auctoribus dicta, caeterum ad caules et saepe ad foliorum paginam superiorem pilis brevissimis incurvis, puberula, quod quidem non modo ex sardois, sed e gallicis, corsicis romanisque eruo speciminibus.

In aridis collinis, haud procul a mare; praesertim in litore orientali.

Fl. aprili, junio. ①

Obs. Polygalae monspeliacae All. Herbarii specimen nicaeense spectat ad *Polygalam monspeliacam* Linn.; huic vero specimen aliud e sinu adriatico adsociatum exstat ad *Polygalae vulgaris* varietatem pertinens. Immerito Auctores *Polygalam monspeliacam* All. Fl. ped. ad *Polygalae vulgaris* varietatem retulere.

ORDO XII.

FRANKENIACEAE

Frankeniaceae Aug. S. Hil. Mem. plac. centr. p. 39. DC. Prod. 1. p. 349. Bartl. Ord. nat. p. 290.

Calix persistens, tubulosus, 4-5 fidus. Petala calicis laciniis numero aequalia et alterna, libera, longe unguiculata. Stamina antherifera totidem ac petala iisdemque alternantia, libera filamentaque sterilia cuique petalorum ungui adnata, apice ad corollae faucem dentes sistentia, unum alterumve subinde antheriferum. Ovarium uniloculare. Stylus 2-4 fidus. Pericarpium capsulare, ovato-oblongum, 1-loculare, 2-4-valve, valvarum marginibus parum introflexis, placentas nerviformes gerentibus. Semina indefinita. Albumen carnosum vel subnullum. Embryo axilis, rectus. — Herbae vel suffruticuli. Folia indivisa, basi subconnata. Stipulae nullae. Flores sessiles.

LVIII. FRANKENIA

Frankenia Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 604. Juss. Gen. p. 303. DC. Prod. 1. p. 349. Lmck. Ill. tab. 262. Gaertn. Fil. Fr. tab. 184. Franca Mich. Gen. tab. 22.

Stylus trifidus, lobis oblongis, intus stigmatosis. Capsula tri-quadrivalvis, polysperma. Semina ovata.

143. FRANKENIA PULVERULENTA

F. foliis obovatis, petiolo ciliatis, subtus calicibusque puberulo-pulverulentis.

Frankenia pulverulenta Linn. Sp. p. 474. Willd. Sp. 2. p. 243. DC.! Prod. 1. p. 349. Schult. Syst. 7. part. 1. p. 63.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 502. Schousb. Jagttag. Marok. p. 181. Decaisn. Florul. sinaic. in Ann. sc. nat. (1835.) 3. p. 276. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 85. Desf. Fl. atl. 1. p. 316. Forsk. Florul. melit. in Fl. aegypt.-arab. p. xiii. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 21. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 243. et Fl. graec. 4. p. 36. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 106. Urv. En. pl. archip. p. 40. Biv. Sic. Cent. 2. p. 26. Presl Fl. sic. 1. p. 140. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 441. Tenor. Fl. nap. 3. p. 387. et Syll. p. 182. Savi Due Cent. p. 92. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 146. All.! Fl. ped. 2. p. 90. DC. Fl. fr. 4. p. 766. Lois. Fl. gall. 1. p. 233. Cambess. En. pl. balear. p. 46.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 4. tab. 344. Engl. bot. 31. tab. 2222. Iconogr. taurin. 13. tab. 103.

Quadrifoglio annuo di Persia Zanon. Rar. st. Hist. (*ed. bonon.* 1742.). tab. 79.

Anthyllis valentina Clus. Hist. 2. p. 186. ic. 2. ✦ Lob. Hist. p. 230. ic. 1. ✦ et Icon. p. 421. ic. 1. ✦

Peplion sive Peplis Dod. Pempt. p. 376. ic. ✦

Anthyllidis species quibusdam J. Bauh. Hist. 3. p. 374. ic. 1. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 452. ic. 5. ⍲

β. *cinerascens*, foliis canescentibus cineraceisve.

Frankenia canescens Presl Delic. prag. 1. p. 61. Fl. sic. 1. p. 140.

Radix flexuosa, ramoso-fibrosa, epidermide cineraceo-fusca. Caules

ex eadem radice plures, teretiusculi, graciles, in planta juniore adscendentes, in adulta prostrati, dichotomo-ramosissimi, oculo armato puberuli aut pulverulenti, longitudine spithamei, dodrantales. Folia obovata, facie glabriuscula, subtus puberulo-pulverulenta, margine interdum, superiora potissimum, leviter revoluta. Petioli foliis breviores, ciliati. Flores in extremitate ramulorum et in dichotomia sessiles. Calix tubulosus, sulcato-angulatus, glabriusculus vel puberulus, quinquedentatus. Petala limbo purpurascentia, denticulata. Genitalia tubo calicis longiora, petalis breviora. Semina exigua, laevia, ovata, hinc gibba, illinc juxta longitudinem sulcata.

Planta junior virens, caule magis puberulo, quam pulverulento, adulta interdum ita puberulo-pulverulenta ut superficie canescat. Caules adulti, quibusdam in portiunculis glabrati nonnumquam se praebent. Ipsa autem planta in horto culta caules puberulos aut puberulo-pulverulentos offert.

In litoreis frequens.

Fl. martio, majo. ①

144. FRANKENIA LAEVIS

F. foliis linearibus, margine revolutis, glabris; caulibus prostratis, brevissime scabrido-hirtis glabratisve.

Frankenia laevis Linn. Sp. p. 473. Willd. Sp. 2. p. 241. DC.! Prod. 1. p. 349. Schult. Syst. 7. part. 1. p. 65.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 502. Schousb. Jagttag. Marok. p. 181. Desf. Fl. atl. 1. p. 317. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 213. Urv. En. pl. archip. p. 40. Presl Fl. sic. 1. p. 141. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 440. Tenor. Fl. nap. 3. p. 387. et Syll. p. 181. Savi Fl. pis. 1. p. 369. DC. Fl. fr. 4. p. 766. Lois. Fl. gall. 1. p. 233. Cambess. En. pl. balear. p. 46.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Lmck. Ill. tab. 262. ic. 1. ✦ Engl. bot. 3. tab. 205. (*foliis paullo latioribus ac apud nos*).

Franca maritima supina saxatilis, glauca ericoides, sempervirens, flore purpureo. Mich. Gen. p. 23. tab. 22. ic. 1. ✦

Cali sive vermiculari marinae non dissimilis planta. J. Bauh. Hist. 3. p. 703. ic. 3. ⁂

Kali, Herba vitri etc. Chabr. Sciagr. p. 542. ic. 1. ⁂

β. *cinerascens*, caule ramisque scabrido-hirtis; foliis canescentibus cineraceisve.

Frankenia hirsuta var. *calabrica* LINN. Sp. p. 473.

F. hirsuta DESF. Fl. atl. 1. p. 317. VIV. Fl. lyb. Sp. p. 22. et Fl. cors. Diagn. p. 5. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 243. et Fl. graec. 4. p. 36. TENOR. Fl. nap. 3. p. 387. et Syll. p. 181. DC. Fl. fr. 4. p. 766. LOIS. Fl. gall. 1. p. 233.

F. intermedia DC.! Prod. 1. p. 349. PRESL Fl. sic. 1. p. 141. GUSS. Fl. sic. Prod. 1. p. 440. CAMBESS. En. pl. balear. p. 46.

PH. THOMAS! SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — SIBTH. Fl. graec. 4. tab. 343. LMCK. Ill. tab. 262. ic. 2. (*a* MICHELIO *depromta*).

Franca maritima, supina, multiflora, candida; caulibus hirsutis, foliis quasi vermiculatis. MICH. Gen. 23. tab. 22. ic. 2.

Radix lignosa, flexuosa, ramosa. Caules basi lignescentes, ramosi, prostrati, teretiusculi, ad foliorum ramulorumque originem tumiduli, epidermide fusca, inferne saepe glabrati, superne autem et juxta ramulos brevissime scabrido-hirti. Folia linearia, rigida, opposita, margine revoluta, in α virentia nitidaque, in β viridi-cinerascentia aut canescentia, basi connata et ciliata, aliaque in axillis fere fasciculata. Flores axillares terminalesque, solitarii, sessiles; calix tubulosus, sulcatus, quadrangulus, quinquedentatus, glaberrimus aut hirtus. Petala limbo obovato, roseo-violaceo, crenulato. Genitalia exserta: antherae flavae. Semina ut in praecedente.

In arenosis, rupestribus saxosisque litoreis Sardiniae et insulae Tavolara.

Fl. aprili, junio. ♄

Ital. *Erba franca*.

Obs. Validos et constantes characteres quibus *Frankenia intermedia* a *Frankenia laevi* specifice distinguatur equidem non deprehendi: hujus enim caules non perfecte glabri, sed superne ramulique pilis rigidis brevissimis scabrido-hirti et ipsimet interdum calices, quod quidem in sardois, corsicis, gallicis italicisque speciminibus compluribus animadverti. Clar. SM. in Fl. brit. p. 388. caules *Frankeniae laevis* describit subpubescentes; ejusque calices pilosos esse clarissimi SCHULTES Op. et. p. cit. scripserunt. Basi saepe glabrati se produnt caules in *Frankenia intermedia* DC., nec calices semper pilis rigidis, longis, hispidi sunt, sed nonnumquam glabriusculi in ipsismet Candolleanis monspeliensibus speciminibus, cum sardois congruentibus. Characteres ad florum dispositionem spectantes in utraque *Frankenia* variant; jamque clar. SM. in Fl.

graec. vol. cit. *Frankeniam hirsutam* a *Frankenia laevi vix nisi caulis hirsutie differre, inflorescentiam utique eamdem esse* scripsit. Habitus idem: folia in utraque subtus et glabra, et pilis aliquot brevissimis praedita sunt; suntque demum pluribus collatis, media inter utramque specimina quae quidem in ambiguo fueris ad quamnam referri debeant. Quamobrem *Frankeniam intermediam* DC. et *laevem* Linn. ejusdem speciei ex loco vel aetate plus minusve scabrido-hirtae, virentis aut cinerascentis varietates esse putaverim. *Frankenia intermedia* a *Frankenia laevi* differt recte animadvertente cl. Presl Fl. sic. 1. p. 141. ut *Frankenia pulverulenta* a *Frankenia canescente. Polygonum fruticosum, supinum, ericoides, cinericium, Thymi folio hispanicum* Barr. Ic. tab. 714. a Sm. in Engl. fl. 2. p. 186. ad *Frankeniam laevem* relatum, aequius ad var. *cinerascentem* referri posse videtur.

ORDO XIII.

CARYOPHYLLEAE

Caryophylleae Juss. Gen. p. 299. DC. Prod. 1. p. 351. Sileneae et Alsineae Bartl. Ord. nat. p. 304. 305.

Calix vel profunde 3-5-partitus, patulus; vel tereti-tubulosus aut vesiculosus, 5-dentatus, persistens. Petala in calice partito, 3-5, toro, discum subannularem efficienti, inserta (raro abortiva): in calice tubuloso, 5, toro columnari (seu anthophoro), crasso inserta, longe unguiculata, et ad faucem appendicibus saepe aucta. Stamina petalorum numero vel dupla quorum alterna petalorum unguibus adhaerent; vel petalis numero aequalia paucioraque libera. Ovarium 1-3-5-loculare, multiovulatum. Styli 2-5, stigmate saepe subulato terminati. Pericarpium raro baccatum, plerumque capsulare, 1-5-loculare, valvis numero stigmatum simplici duplicive dehiscens. Semina saepe plura columnae centrali, raro pauciora fundo loculi affixa. Albumen farinaceum; in *elatineis* nullum. Embryo periphericus, saepe curvatus, raro rectus. — Herbae vel suffruticuli. Caules ramique nodoso-articulati. Folia rarissime verticillata, saepe opposita et basi connata, indivisa. Flores raro axillares, plerumque terminales.

GENERA CARYOPHYLLEARUM

SECTIO I.

SILENEAE

Calix quinquedentatus seu semiquinquefidus. Petala longe unguiculata.

LIX. DIANTHUS. Calix tubulosus, coriaceus, 5-dentatus, basi squamis cinctus. Petala 5. Stamina 10. Styli 2. Capsula tereti-oblonga, superne 4-fariam dehiscens.

LX. GYPSOPHILA. Calix tubuloso-campanulatus, angulatus, 5-dentatus, basi squamis cinctus nudusve. Petala 5. Stamina 10. Styli 2. Capsula ovata, superne 4-fariam dehiscens.

LXI. SAPONARIA. Calix tubulosus, 5-dentatus, non angulatus, nudus. Petala 5, fauce saepe appendicibus aucta. Stamina 10. Styli 2. Capsula oblonga, superne 4-fariam dehiscens.

LXII. LYCHNIS. Calix tubulosus, semiquinquefidus aut 5-dentatus, nudus. Petala 5, fauce plerumque appendicibus aucta. Stamina 10. Styli 5. Capsula superne 5-fariam dehiscens. — Flores (in specie) dioici.

LXIII. SILENE. Calix tubuloso-ventricosus, 5-dentatus, nudus. Petala 5, fauce saepissime appendicibus aucta. Stamina 10. Styli 3. Capsula apice 6-fariam dehiscens. — Flores solitarii, paniculati, aut racemoso-spicati.

SECTIO II.

ALSINEAE

Calix profunde 4-5-partitus, patens. Petala vix aut neutiquam unguiculata.

LXIV. CERASTIUM. Calix 4-5-partitus. Petala 4-5, bifida. Stamina 4-10. Styli 4-5. Capsula apice 8-10-fariam dehiscens.

LXV. MOENCHIA. Calix 4-partitus. Petala 4, indivisa. Stamina 4-8. Styli 4-5. Capsula apice 8-10-fariam dehiscens. — Herba erecta, glaucescens, glaberrima.

LXVI. STELLARIA. Calix 5-partitus. Petala 5, bipartita emarginatave. Stamina 10 aut pauciora. Styli 3. Capsula 6-fariam dehiscens.

LXVII. ARENARIA. Calix 5-partitus. Petala 5, integra. Stamina 10 pauciorave. Styli 3. Capsula 3-6-fariam dehiscens. — Folia basi stipulata aut nuda.

LXVIII. SPERGULA. Calix 5-partitus. Petala 5, integra. Stamina 5-10. Styli 5. Capsula 5-fariam dehiscens. — Folia verticillata stipulata, aut opposita nuda.

LXIX. SAGINA. Calix 4-partitus. Petala 4, integra (subinde nulla). Stamina et styli 4. Capsula 4-fariam dehiscens.

SECTIO III.

ELATINEAE

Calix profunde 3-4-partitus, patens. Capsularum dissepimenta valvis alterna.

LXX. ELATINE. Calix 3-4-partitus. Petala 3-4, integra. Stamina petalis numero aequalia duplave. Styli 3-4. Capsula depressa, 3-4-valvis, 3-4-locularis. Semina teretia arcuata, rugoso-striata. — Herbulae aquaticae. Pedunculi axillares.

SECTIO I.

SILENEAE

Calix quinquedentatus seu semiquinquefidus. Petala longe unguiculata.

LIX. DIANTHUS

Dianthus LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 770. JUSS. Gen. p. 302. DC. Prod. 1. p. 355. GAERTN. Fr. 2. tab. 129. LMCK. Ill. tab. 376. Caryophyllus TOURN. Inst. tab. 174. Tunica DILL. Elth. tab. 298.

Calix tubulosus, coriaceus, quinquedentatus, basi squamis imbricatis 2-8 cinctus. Petala 5, longe unguiculata, limbo dilatato. Stamina 10. Styli 2. Capsula tereti-oblonga, unilocularis, superne quadrivalvis. Semina compressa, hinc concava, peltata.

145. DIANTHUS CARYOPHYLLUS

D. floribus solitariis; squamis calicinis subquaternis, subrhombeis, brevissimis, medio mucronulatis; petalis crenatis, latis, imberbibus;

foliis lineari-subulatis, margine inferne serrulato-ciliatis; caule simplici ramosove.

Dianthus Caryophyllus ε. *inodorus* Linn. Sp. p. 587. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 359. α. Desf. Fl. atl. 1. p. 345. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 18. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 286. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 363. All.! Fl. ped. 2. p. 74.

Ic. — Engl. bot. 3. tab. 214.

Caryophyllus sylvestris flore rubro, inodoro, calice oblongo cum brevibus unguibus. Seg. Ver. 1. tab. 7. ic. 3.

C. sylvestris tertius, flore pallido, suave rubente. Lob. Icon. tab. 443. ic. 2.

β. *tenuifolius*, foliis tenuioribus, rigidioribus.

Dianthus sylvestris Willd. Sp. 2. p. 675. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 359. Tenor. Fl. nap. 1. p. 231. et Syll. p. 208. A. et B. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 494. DC. Fl. fr. 4. p. 742. Lois. Fl. gall. 1. p. 305.

D. virgineus All.! Fl. ped. 2. p. 76. Savi Fl. pis. 1. p. 414.

D. Arrostii β. Presl Delic. prag. 1. p. 60. et Fl. sic. 1. p. 146.

Ic. — Jacq. Icon. rar. tab. 82. ic. *major*.

* *minor*, caule unifloro, pumilo; foliis brevioribus.

Dianthus sylvestris b. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 121.

D. Arrostii α. Presl l. c.

D. contractus Jan.! El. p. 7.

Ic. — Dianthus sylvestris Jacq. Icon. rar. 1. tab. 82. ic. *minor*.

Radix lignosa, ramosa. Caules solitarii vel ex eodem caespite plures, laeves, teretes, erecti, simplices aut ramoso-dichotomi, palmares, pedales, sesquipedales. Folia linearia, subulata, canaliculata, laevia, margine inferne, inferiora potissimum, serrulata vel denticulato-ciliata, apice integra. Flores terminales, solitarii, saepe odori. Calix supra medietatem tenuissime striatus, viridi-albescens vel purpurascens, profunde quinquedentatus, dentibus acutis. Squamae calicinae plerumque quaternae, coriaceae, subrhombeae, mucronulatae, interiores latiores, mucrone interdum nullo. Petala imberbia, dentata. Styli et stamina exserta, calice longiora. Antherae cineraceo-coerulescentes. Capsula calicis demum longitudine, oblonga, laevis, oculo armato, tessellata, apice quadrivalvis. Semina nigra, hinc concava, utrinque oculo armato verruculoso-punctata. — Variat colore

virente et glaucescente. Flores ex cultura semipleni, pleni, albi, purpurei aut vario-picti.

Inter rupium fissuras circa Bosa et in insula Tavolara. Var. *tenuifolia* in sterilibus frequens: var. *minor* in arenosis maritimis.

Fl. junio, julio. ♃

Ital. *Garofano salvatico. Garofalo. Garofano.*

Vern. *Gravellus.*

Petala *Dianthi Caryophylli* culti, tonica, cordialia, alexiteria olim habita, in apoplexia paralysi, morbis spasticis aliisque laudata: nunc obsoleta et ad myropolia amandata.

Obs. Squamarum calicinarum forma, uti jam pridem animadvertit clarissimus Bertolonius in Amoen. l. c., eodem modo se se habet et variat in utraque nostra *Dianthi Caryophylli* varietate. Ipsemet vero squamarum numerus res varia est: in speciminibus sardois quaternae semper interdum vero senae se se praebent. Vidi in caulibus ad eumdem stipitem pertinentibus calices alios squamis quaternis, alios senis cinctos. *Dianthus virgineus* All. Herbar. variat squamis calicinis quaternis et binis. *Dianthus arenarius* ejusdem All. Herbar. non differt a *Diantho virgineo* All. et a *Dianthi Caryophylli* varietate nostra *tenuifolia* nisi squamis calicinis binis.

146. DIANTHUS ARMERIA

D. floribus fasciculatis; calicibus striatis, hirsutiusculis; squamis calicinis lanceolato-subulatis, tubum subaequantibus foliisque lineari-lanceolatis, villoso-hirsutis; petalis dentatis.

Dianthus Armeria Linn. Sp. p. 586. Willd. Sp. 2. p. 673. Sering. in DC. Prod. 1. p. 355.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 285. Urv. En. pl. Archip. p. 47. Tenor. Fl. nap. 1. p. 228. et Syll. p. 207. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 149. Savi Fl. pis. 1. p. 412. All.! Fl. ped. 2. p. 75. DC. Fl. fr. 4. p. 741. Lois. Fl. gall. 1. p. 305.

Ic. — Engl. bot. 5. tab. 317. Fl. dan. tab. 230. Iconogr. taurin. 14. tab. 7. ic. 2.

Caryophyllus barbatus Seg. Ver. 1. tab. 7. ic. 4.

Armeria sylvestris altera, caliculo foliolis fastigiatis cincto etc. Lob. Icon. 1. tab. 448. ic. 2.

Viola barbata angustifolia Dalech. Hist. p. 810. ic. 2. J. Bauh. Hist. 3. p. 335. ic. 2. (*mala*).

Radix tereti-fusiformis. Caulis solitarius vel ex eadem radice plures,

teretes, erecti vel adscendentes, simplices aut superne ramosi, semipedales, bipedales. Folia villoso-hirsuta, versus basim ciliata, connata, radicalia latiora, linearia, obtusa; caulina rigidiora, lineari-lanceolata, tri-quinquenervia. Flores in summo caule ramisque fasciculati, inodori, foliis floralibus duobus, lanceolato-subulatis, adpressis, fasciculos breviter pedunculatos sessilesve, subaequantibus. Squamae calicinae subquaternae, aequales, nervosae, striatae, hirsutae, lanceolato-subulatae, rigidae, adpressae (in specimin. nostris) calicem aequantes. Calix exilis, striatus, hirsutiusculus, profunde quinquedentatus, dentibus lanceolato-subulatis. Petalorum limbus ruber, ellipticus, dentatus. Capsula lineari-oblonga, calicem subaequans, apice quadrivalvis. Semina nigra, hinc concava, utrinque oculo armato aequabiliter tenuissimeque verruculoso-punctata.

In rupestribus Fonni.

Fl. junio, julio. ①

Ital. *Armeria. Viola di lepre. Viola a mazzetti.*

Vern. *Gravellus.*

147. DIANTHUS VELUTINUS

D. seminibus tuberculatis; floribus inter squamas calicinas pedicellatis, aggregato-capitatis; squamis ovalibus, exterioribus binis mucronatis, interioribus calicis tubum subaequantibus, acutiusculis; foliis glaberrimis integerrimisque, infimis ciliolatis: caule simplici, pubescente.

Dianthus velutinus Guss.! Ind. sem. Hort. R. Boccad. an. 1825. Pl. rar. p. 166. Fl. sic. Prod. 1. p. 493. et Suppl. p. 120. Presl Fl. sic. 1. p. 145.

D. prolifer β. *minor* Tenor. Fl. neap. Syll. p. 207.

D. prolifer Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 7. non Linn.

D. diminutus Desf. Fl. atl. 1. p. 345.

Ic. — Guss. Pl. rar. tab. 32.

Radix exilis, tereti-fusiformis, fibrillas laterales emittens. Caules modo solitarii, modo ex eadem radice plures, semipedales, sesquipedales, graciles, indivisi, erecti aut adscendentes, leviter striati, articulis infimis superioribusque glabris, mediis molliter pubescentibus, pilis

deflexo-patulis, brevibus, apice glanduliferis. Folia glaberrima integerrimaque, superiora sensim acutiora brevioraque, versus basim margine membranacea, vaginantia, radicalia et caulina infima ciliolata: squamae calicinae ovales, scariosae, laeves, exteriores duae mucronatae, duae interiores acutiusculae, exterioribus duplo fere longiores. Flores tres-octo, aggregati, pedicellati, singuli squamulis involuti ovali-oblongis, acutiusculis, numero variis, apice saepe purpurascentibus, pilis paucis brevissimis, juxta nervum medium, puberulis. Calix tubulosus, versus apicem purpurascens, dentibus obtusis, pilis brevissimis adpressis, oculo armato, praeditus. Petala imberbia, ungue calicis longitudine, limbo emarginato, roseo. Genitalia vix exserta. Capsula laevis, oculo armato, tessellata, quadrivalvis. Semina semipyriformia, nigra, hinc excavata, in convexa autem parte tenuissime tuberculato-scabra.

In campis maritimis collibusque aridis: frequens.

Fl. aprili, junio. ①

Vern. s. *Colovoru aresti.*

Obs. Dianthus velutinus Dianthum proliferum Linn. facie valde aemulatur; omnino autem differt, sagaciter, pro more suo, animadvertente clarissimo Gussone Pl. rar. l. c., caule pubescente, fere semper indiviso, floribus pedicellatis, seminibus tuberculatis; praetereaque foliis caulinis numquam serrulatis.

LX. GYPSOPHILA

Gypsophila Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 768. Juss. Gen. p. 301. DC. Prod. 1. p. 351. Lmck. Ill. tab. 375.

Calix tubuloso-campanulatus, angulatus, 5-dentatus, basi squamis cinctus nudusve. Petala 5, unguiculata. Stamina 10. Styli 2. Capsula ovata, unilocularis, superne quadrivalvis.

148. GYPSOPHILA SAXIFRAGA

G. caulibus caespitosis, superne ramosiusculis, ramis uni-quadrifloris; foliis lineari-subulatis, rigidulis; squamis calicem bracteantibus, quaternis, oblongo-ellipticis; petalis emarginatis.

Gypsophila Saxifraga Linn. Sp. p. 584.? Sering.! in DC. Prod. 1. p. 354. Chaub.

et Bory Exped. Mor. p. 117. Presl Fl. sic. 1. p. 144. Tenor. Fl. nap. 4. p. 202. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 148. Savi Bot. etr. 1. p. 137. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 236. 241. DC. Fl. fr. 4. p. 73. Lois. Fl. gall. 1. p. 303.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Dianthus saxifragus Biv. Sic. Cent. 1. p. 32. All.! Fl. ped. 2. p. 76.

Gypsophila rigida Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 280. et Fl. graec. 4. p. 75. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 489. et Pl. rar. p. 162.

G. permixta Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 120.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 4. tab. 382.

β. *aggregata*, floribus plerisque subsessilibus, in capitulum aggregatis, binis ternisve.

Gypsophila saxifraga β. DC. Fl. fr. Suppl. p. 600. et Lois. Fl. gall. 1. p. 303.

G. rigida Linn. Sp. p. 583. et Herbar. ex Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 116.

G. dianthoides Guss. Pl. rar. p. 163. Fl. sic. Prod. 1. p. 489. non Sibth. et Sm.

G. foliis mucronatis, recurvatis, floribus aggregatis. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 96. ?

Radix teres, longa, ad collum multiceps. Caules basi ramosi, flexuosi, teretiusculi, decumbentes, mox erectiusculi, adscendentes aut reclinati, rigidi, graciles, palmares, dodrantales, superne in ramulos plerumque divisi alternos, uni-trifloros nonnullosve subinde in planta luxuriante quadrifloros. Folia lineari-subulata, erecta, rigidula, basi membranacea connataque, superiora sensim minora, inferiora margine scabro-serrulata. Flores in α omnes longiuscule pedunculati; in β alii fere sessiles, in capitulum aggregati, bini, raro terni, alii paullo longius pedunculati. Calix angulatus, glaber, semiquinquefidus, laciniis margine albo-membranaceis, obtusis. Squamae ad calicis basim quaternae, per paria oppositae, adpressae, ellipticae vel oblongae, acutae aut nervo dorsali breviter producto acuminatae, ad latera utrinque membranaceae, calice breviores. Petala rubella, crenulata et plus minusve emarginata, striis tribus purpureis basi picta. Capsula glabra, calicem subaequans, quadrivalvis. Semina nigrescentia. — Variat caulibus laevibus et brevissime scabro-hirtis.

In aridis saxosis camporum et in montanis Fonni, Genargentu.

Fl. aprili, junio. ♃

149. GYPSOPHILA VACCARIA

G. glabra; floribus nudis, paniculato-corymbosis; calicibus quinquangularibus, pyramidatis; foliis ovato-lanceolatis.

Gypsophila Vaccaria Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 279. et Fl. graec. 4. p. 73. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 490. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 205.

Saponaria Vaccaria Linn. Sp. p. 585. Willd. Sp. 2. p. 668. Sering. in DC. Prod. 1. p. 365. Tenor. Fl. nap. 1. p. 225. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 148. Savi Bot. etr. 1. p. 138. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 149. All. ! Fl. ped. 2. p. 77. DC. Fl. fr. 4. p. 737. Lois. Fl. gall. 1. p. 304.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 4. tab. 380. Iconogr. taurin. 3. tab. 35. Gaertn. Fr. 2. tab. 130.

Vaccaria Dod. Pempt. p. 104. ic. 2. ✦ J. Bauh. Hist. 3. part. 2. p. 357. ic. 2. ✧ Chabr. Sciagr. p. 448. ic. 5. ✧ (*folia lanceolata*).

Isatis sylvestris, Vaccaria dicta Lob. Obs. p. 190. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 352. ic. 2. ✦ (*foliis ovato-lanceolatis*).

Radix fusiformis, flexuosa, fibras ramosve laterales inferne emittens. Caulis erectus, teres, laevis, ad nodos incrassatus, foliosus, superne ramoso-dichotomus, pedalis, sesquipedalis. Folia opposita, ovato-lanceolata aut lanceolata, acuta, basi connata, superiora cordata. Flores paniculato-corymbosi, foliis floralibus ad supremas dichotomias lanceolato-acuminatis, margine membranaceis, interdum purpurascentibus. Calices semiquinquefidi, quinquangulati, pallescentes, interdum purpurascentes, angulis foliaceis virentibus, laciniis acutiusculis, apice albo-scariosis. Genitalia exserta, petalis breviora. Petala amoene rubella, striis purpureis picta, apice denticulata. Capsula calice persistente tecta, ovato-conica, apice dentibus quatuor dehiscens; ad ejus basim dissepimentorum rudimenta, caeterum unilocularis, polysperma. Semina sphaerica, nigra, oculo armato, tuberculata. Planta glaucescens.

Inter segetes.

Fl. majo, junio. ①

Ital. *Cetino. Erba perfoliata. Mazzettino. Strigolo di fior rosso.*

LXI. SAPONARIA

Saponaria Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 769. Juss. Gen. p. 302. DC. Prod. 1. p. 365. Lmck. Ill. tab. 376.

Calix tubulosus, 5-dentatus, nudus, non angulatus. Petala 5, longe unguiculata, fauce saepe appendiculis aucta. Stamina 10. Styli 2. Capsula oblonga, 1-locularis, superne 4-valvis.

150. SAPONARIA OFFICINALIS

S. floribus fasciculato-corymbosis; petalorum appendicibus linearibus; unguibus exsertis; calicibus cylindricis; foliis elliptico-lanceolatis, glabris; caulibus erectis, laevibus.

Saponaria officinalis Linn. Sp. p. 584. Willd. Sp. 2. p. 667. Sering. in DC. Prod. 1. p. 365.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 282. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 118. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 490. Tenor. Fl. nap. 1. p. 224. et Syll. p. 206. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 148. All.! Fl. ped. 2. p. 77. DC. Fl. fr. 4. p. 737. Lois. Fl. gall. 1. p. 303.

Ic. — Engl. bot. 15. tab. 1060. Fl. dan. tab. 543. Bull. Herb. tab. 257. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 6. tab. 311. Iconogr. taurin. 3. tab. 25.

Saponaria Dod. Pempt. p. 179. ic. ✦ Lob. Obs. p. 170. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 314. ic. 2. ✦

(*Huc allatae ab Auctoribus icones;* Saponaria Trag. Hist. p. 900. ic. ⁂ Struthium Fuchs. Hist. p. 780. ic. ⁂ Saponaria vulgaris J. Bauh. Hist. 3. (part. 2.) p. 346. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 447. ic. 3. ⁂ *caule praesertim haud nodoso peccant.*)

Radix longa, ramosa, reptans. Caules erecti, subquadranguli, nodosi, laeves, pedales, sesquipedales, simplices ramosive. Folia elliptico-lanceolata, laevia, basi attenuata, subconnata, tenuissime, oculo armato, saepe serrulata, inferiora quinquenervia, superiora trinervia. Flores in extremitate caulis ramorumque fasciculato-corymbosi; bracteis lanceolatis, glabris, margine serrulato-ciliatis; pedunculis calice multo brevioribus. Calix cylindraceus, basi um-

bilicatus, apice quinquedentatus, dentibus in acumen lineare tenuissimum, ciliolatum abeuntibus. Petala rosea, interdum albescentia, fauce appendicibus duabus linearibus praedita, ungue calicem multo superante, limbo oblongo, integro. Styli et stamina exserta, glabra. Capsula oblonga, laevis, oculo armato, tessellata. Semina orbiculato-reniformia, nigrescentia, oculo armato, tenuissime tuberculata. — Variat calice glaberrimo, scabriusculo et hirsutiusculo, praeterea flore semipleno.

Ad sepes et ad margines agrorum locis humentibus, pinguibus, prope pontem Monastir; Orosei; in Barbargiis Seui, Seulo; Sassari.

Fl. majo, junio. ♃

Ital. *Condisi. Garofoli a mazzetti. Saponaja. Saponaria.*

Vern. m. *Saponaria.* — Vern. s. *Sabonaria.*

Radix, caules et folia *Saponariae officinalis* inodora, leniter amara, mucilaginosa, tamquam temperantia et resolventia in uteri, viscerum imi ventris obstructionibus aliisque morbis commendata. Succus expressus, decoctio vel extractum adhibentur. Decoctio spumosa, saponis instar, pannos mundare quadantenus valet, unde *Saponariae* nomen.

151. SAPONARIA ALSINOIDES

S. floribus subcorymbosis, paucis, petalorum unguibus non exsertis; calicibus villoso-viscosis, tubulosis, fructiferis cylindraceo-ellipticis; foliis ovalibus oblongisve, viridibus, basi attenuatis, ciliatis; caulibus procumbentibus, ramosissimis, viscoso-pubescentibus.

Saponaria alsinoides Viv.! (*errore typographico* Silene alsinoides) Fl. cors. Diagn. 1. p. 6. et App. alt. p. 7.

Radix ramosa, lignosa, reptans. Caules e communi caespite plures, basi lignescentes, procumbentes, ramosissimi, breviter viscoso-pubescentes, inferne saepe glabri, ramis floriferis, erectis aut adscendentibus. Folia opposita, integra, acutiuscula, ovalia aut oblonga nonnullaque obovata aut oblongo-obovata, basi in brevem petiolum attenuata, ciliata, superiora aliquot pilosiuscula, caetera glabra. Flores versus extremitatem ramulorum, modo dichotomo-subcorymbosi, tres-sex, raro novem, modo duo-tres subindeve unicus, pedunculis filiformibus, viscoso-pubescentibus, unifloris, calice longioribus, demum divaricatis. Calices virentes aut purpurascentes,

duas-tres lineas longi, villoso-viscosi, basi umbilicati, apice quinquedentati, dentibus modo obtusis, modo acutiusculis, apice membranaceis. Petala fauce appendicibus binis praedita, ungue calicis longitudine, limbo obovato, integro aut emarginato, roseo, basim versus pallescente. Styli et stamina exserta; antherae cinereo-fuscae. Semina matura non vidi.

In pascuis apricis editis, inter caespites fruticum, paullo infra Bruncu de spina in monte Genargentu; 1750 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. julio. ♃

Obs. Habitu graciliori, foliis viridioribus cauleque minus pubescentibus, corymbis paucifloris, subindeve ramis floriferis apice uni-bifloris, calice breviore, petalorum unguibus non exsertis, *Silene alsinoides* a *Silene ocymoide* Linn. differt. An hujus varietas?

LXII. LYCHNIS

Lychnis DC. Fl. fr. 4. p. 761. et Prod. 1. p. 385. Lychnis et Agrostemma Linn. Juss. Gaertn. Fr. 2. tab. 130. Lmck. Ill. tab. 391.

Calix tubulosus, semiquinquefidus aut 5-dentatus, nudus. Petala 5, unguiculata, fauce appendicibus plerumque aucta. Stamina 10. Styli 5. Capsula 1-locularis aut imperfecte 5-locularis, superne 5-valvis.

152. LYCHNIS GITHAGO

L. adpresse hirsuta; foliis lanceolato-linearibus; floribus longe pedunculatis; calicibus 10-costatis, cylindraceis, demum ovato-campanulatis, laciniis foliaceis petala nuda subsuperantibus.

Lychnis Githago Scop. Fl. carn. ed. 1. p. 505. Sering. in DC. Prod. 1. p. 387. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 526. et Suppl. p. 135. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 243. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 157. Savi Fl. pis. 1. p. 434. DC. Fl. fr. 4. p. 764. Lois. Fl. gall. 1. p. 327.

Agrostemma Githago Linn. Sp. p. 624. Willd. Sp. 2. p. 805. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 313. All. Fl. ped. 2. p. 86.

Githago segetum Desf. Fl. atl. 1. p. 363.

Ic. — Engl. bot. 11. tab. 741. Fl. dan. tab. 576. Iconogr. taurin. 3. tab. 36. et 22. tab. 9.

Nigella BRUNF. Herb. p. 141. ic.

Lolium FUCHS. Hist. p. 127. ic. ✧

Githago seu Lolium TRAG. Hist. p. 127. ic. 2. ✧

Pseudomelanthium MATH. Valgr. p. 798. ic. LOB. Icon. 1. p. 38. ic. 1. ✦ J. BAUH. Hist. 3. (part. 2.) p. 341. ic. 2. ✧ CHABR. Sciagr. p. 443. ic. 4. ✧

Nigellastrum DOD. Pempt. p. 173. ic. ✦

Lychnis segetum major MORIS. Hist. sect. 5. tab. 21. ic. 31. ✦ (*calicis fructiferi laciniis nimis brevibus*).

Lychnis segetum hirsuta ZANNICH. Ist. tab. 281.

Radix fibrosa. Caulis teretiusculus, erectus, fistulosus, ramosus, bipedalis et ultra. Folia lanceolato-linearia, angusta, longa, basi trinervia, nervo dorsali valido, apice callosa. Flores terminales, solitarii, dichotomo-paniculati, longissime pedunculati, pedunculis apice incrassatis. Calix coriaceus, 10-costatus, florifer cylindraceus, fructifer ovato-campanulatus. Petalorum lamina purpurea, ovato-cuneata, integra aut obiter emarginata, fauce nuda, calicis laciniis lineari-lanceolatis, foliaceis aequalis aut saepe paullo brevior. Styli inferne adpresse hirsuti, superne interno latere villosi. Stamina glabra. Capsula intra calicem sessilis, ovata, laevis, nervis decem longitudinalibus praedita, unilocularis, quinquevalvis, valvis apice dehiscentibus. Semina angulata, rufa, tuberculis juxta longitudinem concentricis aspera, multo majora ac in speciebus sequentibus. Planta pilis rigidulis, canescentibus, adpressis hirta.

Inter segetes.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Rosciola. Campanella. Erba nocca. Gettajone. Gioglio nero. Git. Gitterone. Mazzaincollo. Nigella falsa. Pseudomelantio.*

153. LYCHNIS COELI-ROSA

L. glabriuscula; foliis lineari-lanceolatis, acutissimis; floribus longe pedunculatis, solitariis, subpaniculatis; calicibus clavatis, 10-costatis, laciniis lanceolato-subulatis; petalis obcordato-cuneatis, coronatis; thecaphoris capsula demum paullo brevioribus.

Lychnis Coeli-rosa DESROUSS. in LMCK. Dict. 3. p. 644. SERING.! in DC. Prod. 1. p. 386.

Presl. Fl. sic. 1. p. 156. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 525. et Suppl. p. 135. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 241. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 11. DC. Fl. fr. 4. p. 764. et Suppl. p. 607. Lois. Fl. gall. 1. p. 328.

Agrostemma Coeli-rosa Linn. Sp. p. 624. Willd. Sp. 2. p. 806. Desf. Fl. atl. 1. p. 363. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 314. et Fl. graec. 5. p. 40. All. Fl. ped. 2. p. 86.

A. glabra; foliis lineari-lanceolatis; petalis emarginatis, coronatis. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 88.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 5. tab. 453. Iconogr. taurin. 16. tab. 9.

Lychnis glabris foliis, calice duriore. Bocc. Sic. tab. 14. ic. 1.

L. minor sive Nigellastrum minus, flore eleganter rubello. Moris. Hist. sect. 5 tab. 22. ic. 32.

L. foliis glabris, calice duriore. Bon. tab. 7.

Radix tereti-fusiformis, fibroso-ramosa. Caules ex eadem radice unicus aut plerumque plures, erecti, adscendentes vel basi interdum decumbentes, subangulati, glabri, parce ramoso-dichotomi, longitudine palmares, pedales et ultra. Folia lineari-lanceolata, egregie acuminata, glabra aut adpresse subhirsuta margineque serrulato-scabra. Flores solitarii, terminales et ex dichotomia, longe pedunculati. Calix 10-costatus, glaber aut costis interdum retrorsum scaber; dentibus longis, lanceolato-subulatis, margine inferne membranaceis. Petalorum lamina laete rosea, obcordato-cuneata, tubo calicis duplo fere longior, faucis appendice semibifida. Genitalia petalis breviora, stylis interno latere villosiusculis. Capsula ovato-oblonga, laevis, apice in dentes 5 dehiscens, quinquelocularis, dissepimentis membranaceis, tenuissimis, ad axim usque pertingentibus, versus capsulae apicem evanidis. Semina reniformia, cineracea, lineolis transversis tubercula aemulantibus notata, dorso plana, facie utraque plana aut vix concava. Thecaphorus glaber, capsula adulta modo paullo, modo duplo brevior.

In campis et in arenis maritimis.

Fl. aprili, majo. ①

Vern. m. *Zaccaredda.*

154. LYCHNIS LAETA

L. glabriuscula; foliis lanceolato-linearibus, floribus longe pedunculatis, solitariis, subpaniculatis; calicibus 10-costatis, cylindraceis, demum ovatis, dentibus triangulo-acuminatis; petalis oblongis, emarginatis, coronatis; thecaphoris capsula demum multoties brevioribus.

Lychnis laeta Ait. Hort. kew. (ed. 2.) 3. p. 134. Willd. Sp. 2. p. 810.

L. palustris Brot. Fl. lus. 2. p. 221.

L. corsica Lois.! Not. p. 73. et Fl. gall. 1. p. 327. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 387. DC.! Fl. fr. Suppl. p. 607. Duby Bot. gall. 1. p. 79. Tenor. Fl. nap. 4. p. 242.

Ic. — Brot. Phyt. tab. 74.

Radix ut in praecedente, itemque caulis etsi plerumque gracilior. Folia angusta, radicalia et inferiora spathulata, caetera lanceolato-linearia, acuta, sed minus quam in *Lychnide Coeli-rosa*, margine interdum serrulato-scabra. Flores solitarii, longe pedunculati, terminales et in dichotomia, pedunculis saepe retrorsum scabris. Calix 10-costatus, costis nonnumquam retrorsum scabris, cylindraceo-ellipticus, demum ovatus, dentibus triangulo-acuminatis, dorso carinatis, margine membranaceis. Petalorum teneriorum quam in specie praecedente, limbus roseus, oblongo-spathulatus, emarginatus, calicis tubo brevior multoque angustior quam in *L. Coeli-rosa*. Faucis appendices binae, distinctae, lineares, acutae. Stamina glabra; antheris oblongis, albis, mox cinereis. Styli interno latere villosiusculi. Capsula ovato-globosa, laevis, apice in dentes 5 dehiscens, quinquelocularis, dissepimentis versus capsulae apicem evanidis. Thecaphorus glaber, capsula demum quadruplo quintuplove brevior. Semina reniformia, nigra aut cinereo-nigrescentia, tuberculis juxta longitudinem concentricis aspera, dorso gibba, facie utraque plana aut leviter convexa. — Variat uti praecedens caule palmari, graciliore, uni-bifloro, et pedali, sesquipedali, ramoso-dichotomo; petalis plus minusve profunde emarginatis aut semibifidis.

In campis et in arenis maritimis Sardiniae et insulae Asinara.

Fl. aprili, majo. ☉

155. LYCHNIS FLOS CUCULI

L. caule pilis deflexis scabro-hirto, superne viscido; foliis lanceolatis; floribus paniculatis; calicibus cylindraceis, 10-costatis, demum ovatis; petalis quadrifido-laciniatis.

Lychnis Flos cuculi Linn. Sp. p. 625. Willd. Sp. 2. p. 807. Sering. in DC. Prod. 1. p. 387.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 314. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 242. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 156. Savi Fl. pis. 1. p. 432. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 16. All. Fl. ped. 2. p. 85. DC. Fl. fr. 4. p. 762. Lois. Fl. gall. 1. p. 326. Duby Bot. gall. 1. p. 79.

Ic. — Fl. dan. tab. 590. Engl. bot. 8. tab. 573. Iconogr. taurin. 3. tab. 45.

Cuculi flos germanis Trag. Hist. p. 403. ic. (*bona*).

Odontitis Plinii, simplici flore. Clus. Hist. 1. p. 292. ic. 2. ✦

Armerius sylvestris Dod. Pempt. p. 177. ic. ✦

Lychnis pratensis, flore laciniato, simplici et multiplici. Moris. Hist. sect. 5. tab. 20. ic. 8. ✦

Radix tereti-fusiformis, radiculas plurimas, laterales emittens. Caulis ex eadem radice unicus pluresve, striato-angulati, erecti vel adscendentes, virentes aut basi potissimum purpurascentes, pilis rigidis, deflexis, adpressis scabro-hirti, superne viscosi, longitudine pedales, tripedales. Folia lanceolata, glabra, radicalia et inferiora in petiolum decurrentia basique pilis articulatis ciliata, interdum fere spathulata. Flores di-trichotomo-paniculati, subcorymbosi; pedunculis in dichotomia paullo longioribus, omnibus filiformibus, basi bracteolatis, bracteolis lineari-lanceolatis. Calix glaber, 10-costatus, costis saepe purpurascentibus, florifer cylindraceus, fructifer ovatus, dentibus triangularibus, acutis. Petalorum lamina rubella, flaccida, quadrifido-laciniata, laciniis exterioribus minoribus, faucis appendicibus binis. Capsula intra calicem sessilis, ovato-subglobosa, laevis, unilocularis, apice in dentes 5 dehiscens. Semina subreniformia, nigra, tuberculis aspera, dorso gibba, facie utraque convexa.

In pratis et in sylvestribus humidis.

Fl. aprili, majo. ♃

Ital. *Rosciola margaritina. Fiore del cuculio. Margheritina rossa. Oculus Christi. Odontite. Violine di prato.*

156. LYCHNIS DIOICA

L. pubescens; foliis ovato-acutis lanceolatisve; floribus paniculatis, dioicis; petalis bifidis; capsulae ovato-conicae, dentibus rectis.

Lychnis dioica *var.* β. Linn. Sp. p. 626. Willd. Sp. 2. p. 816.

L. dioica Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 315. Urv. En. pl. archip. p. 51. Presl Fl. sic. 1. p. 157. α. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 525. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 241. Savi Fl. pis. 1. p. 433. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 156. α. All. Fl. ped. 2. p. 85. β. DC. Fl. fr. 4. p. 762. Lois. Fl. gall. 1. p. 327. ________________

Ic. — Fl. dan. tab. 792. Engl. bot. 22. tab. 1580. Iconogr. taurin. 3. tab. 38.

Ocymoides album multis J. Bauh. Hist. 3. p. 342. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 445. ic. 5. ⁂

Lychnis sylvestris alba Zannich. Ist. tab. 186. ic. 2. (*mala*).

L. sylvestris noctiflora, alba, simplex, calice amplissimo. Till. H. pis. tab. 41. ic. 1.

Radix fusiformis, fibras ramosve emittens. Caules sesquipedales, bipedales et ultra, teretiusculi, striati, pubescentes viscosique, superne dichotomi. Folia integerrima, viridia, pubescentia, acuta, ovato-lanceolata, superiora lanceolata, omnia basi connata, infima in petiolum attenuata. Flores dichotomo-paniculati, breviter pedunculati, dioici. Calices 10-costati, villoso-pubescentes, in floribus masculis tubuloso-clavati, in foemineis ovato-ventricosi. Petala alba, semibifida, patentia, ad faucem appendicibus subquadripartitis praedita. Capsula ovato-conica, apice in dentes decem erectos dehiscens. Semina reniformia, muricata, atra.

Ad sepes et in sylvestribus.

Fl. vere, aestate. ♃

Ital. *Licnide. Gittone bianco. Rosciola salvatica.*

Vern. Milis *Orìga de Para.* — Macomer *Nieddu-nuraghe.* — Alghero *Erba de sulet.* — Vern. s. *Cannoxoni de frusu.*

LXIII. SILENE

Silene Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 772. Juss. Gen. p. 302. Lmck. Ill. tab. 377. Gaertn. Fr. tab. 130. Cucubalus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 777. (*excepto Cucubalo baccifero*). Juss. Gen. p. 302. Lmck. Ill. tab. 377. ic. 2. Viscago Dill. Elth. tab. 309-317.

Calix tubuloso-ventricosus, quinquedentatus, nudus. Petala 5, unguiculata, fauce appendicibus saepissime aucta. Stamina 10. Styli 3. Capsula basi trilocularis, apice in 6 dentes dehiscens.

SPECIES

a. *Floribus paniculatis vel solitariis.*

* *Calicibus inflatis aut ventricosis.*

S. inflata.
S. Behen.
S. cretica.

** *Calicibus clavatis.*

S. rubella *brachyopetala.*
S. fuscata.
S. italica *pauciflora.*
S. sericea.
S. succulenta.
S. nicaeensis.

b. *Floribus racemoso-spicatis, subsecundis.*

S. hispida.
S. nocturna.
S. gallica.

a. *Floribus paniculatis vel solitariis.*

* *Calicibus inflatis aut ventricosis.*

157. SILENE INFLATA

S. foliis inferioribus spathulatis, caeteris lanceolatis; floribus paniculatis, cernuis; calicibus ovato-globosis, inflatis, reticulatis; petalis bifidis, fauce subnudis.

Silene inflata Sm. Fl. brit. p. 467. et Fl. graec. Prod. 1. p. 293. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 121. Presl Fl. sic. 1. p. 148. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 210. A. et C. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 149. Bertol. Pl. genuens. in

Amoen. p. 151. DC. Fl. fr. 4. p. 746. Lois. Fl. gall. 1. p. 308. Cambess. En. pl. balear. p. 47.

Cucubalus Behen α. Linn. Sp. p. 591. All.! Fl. ped. 2. p. 84.

C. Behen Willd. Sp. 2. p. 685. De Buch. Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 502. Desf. Fl. atl. 1. p. 347. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 16. Tenor. Fl. nap. 1. p. 232. Savi Fl. pis. 1. p. 415.

Ic. — Engl. bot. 3. tab. 164. Fl. dan. tab. 914. Bull. Herb. tab. 321. Iconogr. taurin. 3. tab. 44.

Melandrium Plinii Clus. Hist. p. 293. ic. ✦

Behen album sive Polemonium Dod. Pempt. p. 172. ic. ✦

Spumeum Papaver vulgo Lob. Obs. p. 184. ic. 1. ✦ et Icon. 1. tab. 340. ic. 2. ✦ (*malae; petalorum lamina emarginata nec bifida*).

Been album officinarum J. Bauh. Hist. 3. p. 356. ic. ⩚ Chabr. Sciagr. p. 448. ic. 1. ⩚ (*pessimae*).

Lychnis sylvestris perennis quae Been album vulgo. Moris. Hist. sect. 5. tab. 20. ic. 1. (*minus bona: petala obcordata nec bifida*).

β. *minor*, foliis lineari-lanceolatis linearibusve, crassiusculis, angustis, margine scabro-ciliatis; panicula pauciflora.

Silene inflata β. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 236. et 242.

Ic. — Cucubalus Behen *angustissimus* Balb. et Nocc. Fl. ticin. 1. p. 199. ic. 7. (*etsi flores paullo exiguiores ac apud nos et folia conspicuius ciliato-scabra*).

Lychnis quae Behen album vulgo Zannich. Ist. tab. 117.

Radix tereti-fusiformis, longa, parce ramosa. Caules erecti vel basi decumbentes, plerumque ramosi, dodrantales, bipedales, superne dichotomo-paniculati, multiflori, in β pauciflori subindeve, etsi raro, uniflori. Folia glaucescentia, ovato-oblongove-lanceolata aut lanceolata, acuta, integerrima, inferiora in petiolum decurrentia, spathulata, in β omnia angustiora et pleraque margine scabrido-ciliata. Flores cernui, pedunculis exilibus, in dichotomia longioribus. Calix pallens, viridi-purpureove-reticulatus, inflatus. Petala alba aut raro purpurascentia, lamina bipartita, ungue cuneiformi. Genitalia longe exserta. Capsula ovata, laevis, calice multo brevior. Carpophorus brevis. Semina reniformia, cineraceo-nigrescentia, juxta longitudinem concentrice tuberculato-striata, dorso non canaliculata, utraque facie plano-convexa.

In pascuis et in arvis maritimis montanisque Sardiniae et insulae Tavolara; usque ad 1100 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Been bianco. Bubbolini. Crepaterra. Erba del cucco. Mozzettine minute. Strigoli*

Vern. s. *Erba sonnajola.* — Porto-torres *Erba de zoccu.* — Fonni *Crapicheddu.* — Arizzo *Zacca zacca.* — Iglesias, Macomer *Erba sonnagiolus.*

Obs. Foliis longioribus, petalis fauce non coronatis, capsula ovata aut ovato-elliptica, non subrotunda, differt *Silene* nostra *inflata*, β. ab affini *Silene maritima* Sm. Engl. bot. tab. 957. Foliis margine ciliato-scabris, paullo brevioribus latioribusque differt a *Silene inflata, angustifolia* Tenor. Fl. neap. Syll. p. 21. *Cucubalo angustifolio* Tenor. Fl. nap. 1. p. 233. tab. 38.

158. SILENE BEHEN

S. glaberrima; foliis acutis, inferioribus spathulatis, caeteris oblongo-lanceolatis; paniculae pauciflorae, ramis longis; pedunculis brevibus, in dichotomia terminalibusque; calicibus ovalibus, 10-nerviis, reticulato-venulosis, demum ventricosis, capsula matura longioribus; petalorum lamina brevi, biloba, coronata.

Silene Behen Linn. Sp. p. 599. Willd. Sp. 2. p. 699. Otth in DC. Prod. 1. p. 368.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 294. et Fl. graec. 5. p. 11. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 121. Urv. En. pl. archip. p. 49. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 210. et Fl. nap. 4. p. 207. Guss. Pl. rar. p. 176. Lois. Fl. gall. 1. p. 308.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 5. tab. 416. Iconogr. taurin. 3. tab. 29.

Lychnis vesicaria cretica, parvo flore, purpurascens. Dill. Elth. tab. 317. ic. 409.

Caulis ex eadem radice unicus aut plures, erecti, simplices ramosive, dodrantales, pedales et ultra. Folia inferiora spathulata, acuta, caetera oblongo- aut raro, ovato-lanceolata, acuminata. Panicula pauciflora ramis longis: pedunculi demum valde incrassati, calice breviores, in inferiore dichotomia interdum paullo longior. Calices ovales, 10-nervii, glaucescentes venulisque rubellis pulchre reticulati, basi umbilicati, apice quinquedentati, dentibus conniventibus, acutis, demum scariosi, ventricosi. Petalorum lamina purpurascens, biloba, brevis, fauce coronata, capsula ovato-elliptica,

carpophoro incrassato, brevissimo. Semina rufo-nigrescentia, reniformia, juxta longitudinem sulcis exarata transverseque tuberculato-striata.

In arvis maritimis Carbonara, prope la torre di Capo Boi.

Fl. martio, aprili. (1)

159. SILENE CRETICA

S. tenuissime basi puberula, superne glabra; foliis infimis oblongo-spathulatis, caeteris anguste lineari-lanceolatis; paniculae laxae, di-trichotomae viscosaeque ramis pedunculisque longis; calicibus 10-nerviis, glabris, ovalibus, demum ventricoso-ovatis; petalis bifidis.

Silene cretica Linn. Sp. p. 601. Willd. Sp. 2. p. 704. Otth! in DC. Prod. 1. p. 376.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 296. et Fl. graec. 5. p. 15. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 121. α. Urv. En. pl. archip. p. 49. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 214. et Fl. nap. 4. p. 212. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 150. Lois. Fl. gall. 1. p. 309.

Pouzolz! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 5. tab. 422. Iconogr. taurin. 16. tab. 16. ic. 2.

Viscago foliis inferioribus Bellidis, superioribus Tunicae, calice turgidiore. Dill. Elth. tab. 314. ic. 405.

Caules ex eadem radice unicus vel plures, pedales, bipedales, erecti, dichotomi, basi pilis brevissimis puberuli, superne ramique laeves, graciles. Folia radicalia et inferiora puberula, oblongo-spathulata, obtusiuscula, mucronulata, caetera glabra, lanceolata, sensim angustiora, summa lineari-lanceolata. Flores terminales et in dichotomia laxe di-trichotomo paniculati, paniculae ramis et pedunculis filiformibus, apice leviter incrassatis, longis, glabris, viscosis. Calix 10-nervius, glaberrimus, basi umbilicatus, apice 5-dentatus, dentibus triangularibus, conniventibus, acutis, florifer ellipticus, saepe coloratus, junior sulcatus, fructifer ventricoso-ovatus aut ovato-conicus, stramineus, capsulam maturam longitudine subaequans. Petalorum ungues calicis longitudine, lamina rubella, bifida, obovata, faucis appendicibus binis, apice denticulatis. Capsula conico-ovata, carpophoro brevi. Semina reniformia, fusco-rufa, juxta lon-

gitudinem concentrice tuberculata, facie utraque planiuscula, dorso obsolete sulcata.

In arvis, plerumque inter *Linum usitatissimum* cultum, Oliastra, Sarrabus, Sardiniae septentrionalis, et in montanis Arizzo.

Fl. aprili, majo. (1)

Vern. s. *Linu masciu*.

Floribus paniculatis vel solitariis.

*** Calicibus clavatis.*

160. SILENE RUBELLA BRACHYOPETALA

S. foliis subundulatis, margine scabris, inferioribus oblongo-spathulatis, obtusis, summis oblongis lanceolatisve; floribus paniculato-fasciculatis; calicibus 10-nerviis, demum breviter clavatis; petalorum unguibus calicem aequantibus, lamina brevi obcordata.

Silene rubella Linn. Sp. p. 600. Willd. Sp. 2. p. 703. Otth! in DC. Prod. 1. p. 369. (*ex parte*).

S. oblongifolia Otth! in DC. Prod. 1. p. 369.

S. diversifolia Otth! in DC. Prod. p. 378.

S. turbinata Guss.! Fl. sic. Prod. 1. p. 506. et Suppl. p. 126.

Ic. — Tab. xiv.

Radix albido-flavescens, fibras laterales emittens. Caules semipedales, pedales et ultra, solitarii vel ex eadem radice plures, simplices ramosive, erecti aut ascendentes, saepe, circa nodos potissimum, purpurascentes, oculo nudo laeves, oculo autem armato, pilis praediti brevissimis, incurvis, subadpressis, punctis violaceis versus apicem plerumque conspersi. Folia undulata, utrinque glabra vel tenuissime brevissimeque oculo armato scabrido-hirta, margine scabra nonnullaque basi pilis longiusculis vix ciliata; inferiora oblongo-obovata, obtusa; superiora oblonga, pariter obtusa, aut lanceolata acutiuscula; floralia ovato-lanceolata vel lanceolata, acutiuscula. Flores dichotomo-paniculati, fasciculati, subcorymbosi, pedunculis calice subtriplo brevioribus, in dichotomia calice vix longioribus eidemve aequalibus vel paullo dumtaxat breviori-

bus. Calix membranaceus, 10-nervius, pallescens aut pallide purpurascens, basi non umbilicatus, apice quinquedentatus, dentibus obtusiusculis, ciliolatis. Petalorum ungues calicis longitudine, lamina brevis obcordata, laete rosea, venis saturatioribus basi picta; faucis appendicibus binis, brevibus, obtusis. Antherae flavescentes. Styli interno latere, oculo armato, ciliati. Capsula ovata, laevis, in sex dentes dehiscens revolutos. Semina rufo-nigrescentia, transversim striata, dorso canaliculata, utraque facie excavata.

In arvis Sardiniae praesertim australis.

Fl. martio, aprili. ①

Obs. Silene rubella Fl. graec. 5. tab. 426. petalorum laminam duplo fere longiorem quam in icone nostra praebet, haud tamen nostram ab illa specifice differre putaverim; caeteri enim consentiunt inter utramque specifici characteres. *Silene rubella* Delil. Fl. aegypt. tab. 29. ic. 3. nostram inter et *Silenem rubellam* Fl. graec. ratione florum, intermedia esse videtur. Icon Dillenii H. Elth. *Viscago lusitanica flore rubello, vix conspicuo* quam Linnaeus in Spec. pl. p. 600. et Smithius in Fl. graec. 5. p. 18. ad *Silenem rubellam* pariter retulerunt, laminae petalorum longitudine cum nostra congruit, nec differt nisi calicibus fructiferis paullo crassioribus.

Lychnis erecta Vetonicae foliis. Bocc. Mus. p. 170. tab. 118. ob glabritiem foliaque inferiora obtusa et calices basi non umbilicatos, aequius ad *Silenem rubellam* quam ad sequentem referri posse videtur.

161. SILENE FUSCATA

S. viscoso-pubescens; foliis subundulatis, hirsutiusculis glabrisve, margine scabris, inferioribus oblongo-spathulatis lanceolatisve, caeteris lanceolatis; floribus paniculato-fasciculatis; calicibus 10-nerviis, demum breviter clavatis; petalorum unguibus exsertis, lamina subintegra; appendicibus emarginatis, in tubum coalitis.

Silene fuscata Link. in Brot. Fl. lusit. 2. p. 187. Spr. Syst. 2. p. 418. Presl Fl. sic. 1. p. 153. (*excl. syn.* Cupan.) Guss.! Fl. sic. Prod. Suppl. p. 126.

S. Pseudoatocion Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 506. et Pl. rar. p. 180. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 216. et Fl. nap. 4. p. 216. non Desf.

S. divaricata Clem. Elench. H. R. matrit. ann. 1806. ex Lag.! Gen. et Sp. pl. nov. p. 15. Otth in DC. Prod. 1. p. 276.

S. undulatifolia Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 8.

Ic. — Tab. xv.

Radix ut in praecedente. Caulis solitarius vel ex eadem radice plures, dodrantales, pedales et ultra, simplices vel ramosi, erecti aut adscendentes, viscoso-pubescentes, pilis patulis glanduliferis, inferioribus rigidulis, pellucidis, articulatis, superioribus rubentibus. Folia subundulata, margine scabro-hirta et nonnunquam denticulata, basi subciliata, superficie utraque glabra aut pilis sparsis hirsuta. Flores dichotomo-paniculati, fasciculati, pedunculis piloso-viscosis, in dichotomia, saltem inferioribus, calicem aequantibus aut superantibus, caeteris calice brevioribus. Calices erecti, 10-nervii, piloso-viscosi, juxta nervos potissimum purpurascentes, basi umbilicati, apice quinquedentati, dentibus obtusiusculis. Petalorum ungues exserti, laminae oblongo-cuneiformes, roseae, integerrimae aut raro emarginatae, faucis appendices in tubum connatae, lineares, longiusculae, apice emarginatae. Thecapodium capsulae longitudine. Capsula ovata, laevis, apice in sex dentes cito revolutos dehiscens. Semina reniformia, rufa, transverse striata, dorso planiuscula aut vix sulcata, facie utraque leviter excavata.

In arvis Sardiniae australis, Cagliari, Masu.

Fl. martio, aprili. ①

162. SILENE ITALICA pauciflora

S. caespitosa; foliis subsericeis, basi ciliatis, infimis spathulato-oblongis, summis anguste linearibus; caulibus gracilibus, superne subglabris, viscosis; paniculae pauciflorae ramis exilissimis; calicibus 10-striatis, erectis, longe clavatis, viscosis; petalis bipartitis.

Silene italica β. *montana* Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 504. β. *humilis* Tenor. Fl. neap. Syll. p. 216.

S. pauciflora Saltzm! Pl. exsicc. Otth! in DC. Prod. 1. p. 382. Spr. Syst. Cur. post. p. 182. Tenor. Fl. neap. Syll. in Add. et em. p. 536. Lois. Fl. gall. 1. p. 310. Duby Bot. gall. 1. p. 77.

S. nodulosa Viv.! Fl. cors. Diagn. 1. p. 6. (*ex ejusdem* App. alt. p. 7. *ad* Silenem paucifloram *revocata*).

Ic. — Tab. xvi.

Radix lignosa, rupium fissuras subiens. Caules plurimi, basi valde

foliosi, teretiusculi, graciles, ramoso-dichotomi subindeve nonnulli simplices, nodis remotis, pilis tenuissimis brevissimisque sericeo-puberuli, superne saepe glabri et sensim viscosiores, longitudine dodrantales, sesquipedales. Folia pilis brevissimis, confertis, subsericea, basi ciliata, canescentia aut pallide virentia, inferiora lineas duas et semis, quatuor et semis lata, elliptico- aut oblongo-spathulata in petiolum angustum decurrentia, obtusa et mucronulata aut acuta, raro lanceolato-oblonga, media lanceolata, angusta, superiora angustissime lineari-lanceolata. Flores terminales et ex dichotomia, erecti, laxe paniculati, paniculae di-trichotomae, ramis exilissimis, longiusculis, unifloris, raro bi-trifloris; ubi caulis simplicissimus, flos unicus terminalis. Bracteolae vel folia floralia a calice plus minusve distantia, lanceolato-linearia, exigua brevissimaque. Calix erectus, clavatus, viscidus, oculo armato pilis brevissimis subsericeus, basi umbilicatus, apice quinquedentatus, dentibus acutiusculis obtusisve. Petala ungue exserto, lamina profunde bifida, facie alba aut albo-cinerascentia, subtus venis purpurascentibus picta, faucis appendice brevissima, bifida. Genitalia demum exserta. Antherae luteo-virentes. Styli apice rubelli. Capsula ovato-acuta, laevis, thecapodio glabro, capsulam longitudine demum subaequante. Semina reniformia, rufa, oculo armato, transverse striata, dorso canaliculata, facie utraque leviter concava, sed perfecte matura non vidi.

Inter fissuras rupium Laconi, 520 metr. circiter supra maris superficiem; insulae Tavolara, monte Santo-Pula, Belvì, Tonnara, punta della Trebina et Tonneri d'Irgini, 1000. metr. circiter supra maris superficiem: semper in carbonate calcis, praeter la punta della Trebina ubi rupes ex *basalto*.

Fl. junio, julio. ♃

Obs. Specimina corsica atque sardoa robustiora *Silenes pauciflorae* Saltzm non differunt a speciminibus *Silenes italicae* foliis angustioribus ex Italia meridionali (*Cucubalo italico* Jacq. Obs. bot. 4. tab. 74. *Silene italica* Reich. Iconogr. Cent. 3. tab. 292. ic. 465.), nisi caule superne plerumque glabro et panicula pauciflora: habitus idem, caeteri iidem characteres. *Silene juncea* Sibth. et Sm. Fl. graec. 5. p. 15. tab. 421. ad *Silenem italicam* nostram *paucifloram* valde accedit, foliis autem piloso-scabris, radice annua nec perenni discrepat.

163. SILENE SERICEA

S. pubescens; foliis spathulatis, basi ciliatis, superioribus oblongis lanceolatisve; floribus erecto-patentibus, axillaribus terminalibusque; calicibus 10-striatis, demum clavatis; petalis bipartitis, unguibus longe exsertis.

Silene sericea All.! Fl. ped. 2. p. 81. Willd. Sp. 2. p. 692. Otth! in DC. Prod. 1. p. 380. Bertol. Obs. botan. in Amoen. p. 27. (*excl. syn.* Bocc.) Viv. Fl. cors. Diagn. p. 6. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 498. et Suppl. p. 123. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 213. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 151. DC. Fl. fr. 4. p. 759. Lois. Fl. gall. 1. p. 314. Duby Bot. gall. 1. p. 78.

Brouss ! Pl. siccat. e Teneriffa in Herbar. DC.

S. vespertina Retz Obs. fasc. 3. p. 31. Otth ! in DC. Prod. 1. p. 374. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 291. et Fl. graec. 5. p. 7.

S. bipartita Desf. Fl. atl. 1. p. 352. Urv. En. pl. archip. p. 48. Savi Bot. etr. 1. p. 138.

S. decumbens Biv. Sic. Cent. 1. p. 75. Presl Fl. sic. 1. p. 150. Otth ! in DC. Prod. 1. p. 373. Cambess. En pl. balear. p. 50.

S. canescens Tenor.! Fl. nap. 1. p. 236. Otth ! in DC. Prod. 1. p. 373.

S. pubescens Lois ! Fl. gall. 1. p. 314. Otth ! in DC. Prod. 1. p. 380.

S. diffusa Otth ! in DC. Prod. 1. p. 373.

Ic. — All. Fl. ped. tab. 79. ic. 3. (*mala*). Biv. Sic. Cent. 1. tab. 6. Sibth. Fl. graec. 7. tab. 409. Tenor. Fl. nap. tab. 39. Desf. Fl. atl. 1. tab. 100. Iconogr. taurin. 28. tab. 30. (*e planta luxuriante*).

Lychnis marina, minor, pubescens; amplo flore rubro sulcato; folio oblongo, rotundo. Bon. tab. 87.

β. *angustifolia*, humilis, pauciflora, foliis anguste lineari-lanceolatis.
Ic. — Tab. xvii. ic. 1.

γ. *crassifolia*, humilis, foliis crassis, spathulato-orbiculatis.
Ic. — Tab. xvii. ic. 2.

Caules ex eadem saepe radice plures, simplices aut ramoso-dichotomi, modo erecti aut adscendentes, modo decumbentes aut procumbentes. Folia basi ciliata, apice mucronulata, infima in petiolum attenuata, spathulata obtusaque, subindeve oblongo-lanceolata, acuta; in β lineari-lanceolata; in γ pleraque spathulato-orbiculata crassaque.

Flores solitarii, axillares et terminales subindeve ex dichotomia, modo plures laxe racemoso-paniculati, modo pauci, interdum unicus, terminalis. Pedunculi variant, calicem longitudine aequantes, breviores longioresve. Calix adpresse pubescens, 10-striatus, striis virentibus aut coloratis, 5-dentatus, dentibus acutiusculis, obtusisve, fructifer clavatus, erectus. Petala unguibus exsertis, lamina rubra, rosea vel raro alba, subtus venosa, bipartita, partitionibus obtusissimis; faucis appendice bifida, lineari, obtusa. Capsula ovata, laevis, thecapodio in eadem etiam planta longitudine vario, plerumque vero capsulae longitudine. Semina reniformia, rufa, oculo armato, transverse vix striata, dorso profunde canaliculata, facie utraque plano-concava, in γ exiguiora, sulco dorsali minus profundo. — Planta pilis brevissimis plus minusve pubescens, variat foliis sericeo-pubescentibus, canescentibus et viridibus.

In pascuis collinis et in arenis maritimis Sardiniae, insularum Asinara, la Maddalena, S. Pietro, in montanis Tonnara, in graniticis schistosisque editis monte Linas; usque ad 1200. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. martio, majo. ①

Vern. Alghero *Gravellu de mare.*

164. SILENE SUCCULENTA MINOR

S. pubescens, viscosa; caulibus inferne crebro articulatis nudisque, basi suffrutescentibus; foliis crassis, oblongo-obovatis, obovatisve; floribus axillaribus terminalibusque, solitariis, paucis; calicibus 10-striatis, demum clavatis; petalis bifidis, unguibus longissime exsertis.

Silene succulenta Forsk. Fl. aegypt. p. lxvi. Descript. cent. 3. p. 89. Delil.! Fl. aegypt. Ill. p. 88. var. *humilior.*

S. corsica DC.! Fl. fr. 4. p. 756. et Prod. 1. p. 380. Spr. Syst. 2. p. 404. Viv.! Fl. cors. Diagn. 1. p. 6. et App. alt. p. 7. Lois. Fl. gall. 1. p. 314. Duby Bot. gall. 1. p. 78.

Ic. — Tab. xviii.

Lychnis maritima, pinguis ex Corsica. Bocc. Mus. tab. 54. (*etsi folia oblonga, acutiuscula, nec obovata, petalorum ungues haud longe exserti laminaeque haud satis profunde divisae*).

Radix valde crassa, fusiformis, longissima. Caules ex eadem radice plures, palmares, dodrantales, procumbentes vel decumbentes, ramoso-dichotomi, raro subsimplices, inferne crebro articulati, basi suffrutescentes, pallidi, glabrati aphylliquе, superne foliati. Folia crassa, plana, saepe cinerascentia, obovata aut oblongo-obovata, superiora oblonga aut oblongo-lanceolata. Flores axillares et terminales, solitarii, pauci, aliquis interdum ex dichotomia. Calix basi umbilicatus, 10-striatus, striis viridibus aut purpurascentibus, erectus vel ascendens, demum clavatus. Pedunculi filiformes, calice modo paullo breviores, modo vix longiores. Petalorum lamina alba, extus lineis longitudinalibus, virescentibus notata, bipartita aut bifida, laciniis obtusis, integerrimis, faucis appendice bipartita, partitionibus denticulatis, unguibus longe exsertis, longitudine scilicet dimidii calicis et ultra extra calicem productis. Styli interno latere, oculo armato, breviter pilosi. Staminum filamenta glabra. Capsula ovata, laevis, apice stylis basi conico-incrassatis, tricornis, in sex dentes dehiscens mox revolutos. Semina helvola aut rufa, reniformia, magnitudine seminum *Silenes nicaeensis*, dorso sulco longitudinali exarata vel interdum planiuscula, facie utraque plana, non excavata, neutiquam tuberculato-striata sed laevissima. — Planta pilis glanduliferis et articulatis pubescens viscosaque, arena conspersa; variat foliis cineraceis pallideve virentibus; calicis dentibus obtusis aut, raro apud nos, acutis.

In arenis maritimis, Cagliari, Calasetta S. Antioco, S. Nicolai prope Fluminimajor, Cabras, S. Catterina-pittinuri, insulae Tavolara.

Fl. aprili, junio. ♃

Obs. Specimina aegyptiaca *Silenes succulentae* benevole mihi tradita a clariss. Delile illaque Olivier et Labillardiere in Herbar. DC. habitu proceriore, foliis majoribus, calicinis dentibus paullo longioribus a sardois speciminibus quadantenus differunt. Specimina ejusdem *Silenes succulentae* ex Ægypto adducta a Donati, habitu, foliorum magnitudine caeterisque characteribus cum sardois et corsicis speciminibus omnino congruunt. Tria tubercula vel cornua germinis apici insidentia quibus *Silenem succulentam* Forsk. a *Silene corsica* DC. distingui tradit clariss. Delile Ill. Fl. aegypt. p. 284, et ipsi *Sileni corsicae* manifestissime insunt.

Silene thymifolia Sibth. et Sm. Fl. graec. 5. p. 8. tab. 411. habitu, praesertim vero caulibus inferne lignosis, nudis crebreque articulatis, foliis crassis et petalorum forma accedit ad *Silenem* nostram *succulentam*; differt foliis margine ciliatis et quandoque dumtaxat hirsutis, minoribus; bracteis calicis basim ambientibus; unguibus petalorum vix aut non exsertis.

165. SILENE NICAEENSIS

S. villoso-viscosa, pilis articulatis; foliis crassiusculis, lineari-lanceolatis, canaliculatis, obtusiusculis, apice revolutis, infimis oblongo-spathulatis, planis; floribus racemoso-paniculatis; calicibus 10-striatis, demum erectis clavatisque; petalis bifidis, unguibus longe exsertis.

Silene nicaeensis All.! Fl. ped. 1. p. 81. Willd. Sp. 2. p. 692. Otth! in DC. Prod. 1. p. 378.

Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 123. Biv. Sic. Cent. 2. p. 59. Presl Fl. sic. 1. p. 152. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 505. et Suppl. p. 125. Tenor. Fl. nap. 4. p. 210. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 16. DC. Fl. fr. 4. p. 754. Lois. Fl. gall. 1. p. 314.

S. arenaria Desf. Fl. atl. 1. p. 354. Lois. Fl. gall. 1. p. 315.

S. viscosissima Tenor. Fl. nap. Prod. p. 24. Syll. p. 213. et 536.

Ic. — All. Fl. ped. tab. 44. ic. 2. Iconogr. taurin. 17. tab. 96.

Lychnis hirsuta crasso folio Bocc. Mus. p. 170. tab. 118.

* *Foliis glabris, margine ciliatis.*

Silene arenicola Presl Fl. sic. 1. p. 153.?

Radix tereti-fusiformis, alba, longa, ad perpendiculum descendens, inferne fibras emittens. Caules ex eadem radice plures, erectiusculi, decumbentes vel adscendentes, simplices ramosive, palmares, pedales. Folia crassiuscula, radicalia et infima oblongo-spathulata, plana, caetera lineari-lanceolata, obtusiuscula, subtus gibba, supra canaliculata, apice revoluta. Flores solitarii binive, racemoso-paniculati; pedunculis filiformibus, calicem subaequantibus longioribusve. Calix 10-striatus, basi umbilicatus, apice quinquedentatus, striis viridibus aut purpurascentibus, dentibus plerumque obtusiusculis, fructifer clavatus, erectus. Petalorum lamina facie alba, subtus cineraceo-rubescens, bipartita bifidave, laciniis linearibus, obtusis;

faucis appendice bifida vel emarginata. Ungues longe exserti, scilicet dimidio circiter pluris quam calix longiores. Capsula ovata, intra calicem pedicellata, laevis. Semina reniformia, rufescentia, dorso canaliculata et transverse, oculo armato, vix striata, utraque facie laevia, nec excavata, nec tuberculato-striata. — Planta arena saepe conspersa, villoso-viscosa; folia interdum glabra vel glabriuscula, margine autem semper ciliata.

In arenis maritimis litoris orientalis et occidentalis, Carbonara, Gereméas, Cagliari, Bosa.

Fl. aprili, junio. ♃

Obs. Silene nicaeensis sardoa, omnino consentit cum speciminibus nicaeensibus Herbar. All., corsicis et gibraltaricis.

b. *Floribus racemoso-spicatis, subsecundis.*

166. SILENE HISPIDA

S. hispidula; foliis basi subciliatis, subtus nervosis, inferioribus spathulatis; racemis solitariis geminisve; floribus confertis, semipatentibus; calicibus clavatis, 10-striatis, longe albo-villosis, fructiferis erectis, subsecundis; petalis bifidis.

Silene hispida Desf. Fl. atl. 1. p. 348. Otth! in DC. Prod. 1. p. 373. Presl Fl. sic. 1. p. 150. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 500. Suppl. p. 124. et Pl. rar. p. 174. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 212. et Fl. nap. 4. p. 209.

S. hirsuta Poir. Dict. 7. p. 169. Biv. Sic. Cent. 2. p. 58.

Ic. — Tab. xix.

Lychnis alpina, noctiflora, longis calicibus hirsutis, flore collecto. Bon. tab. 175.

Radix tereti-fusiformis, ramoso-fibrosa. Caulis erectus, saepe ramoso-dichotomus, inferne, ad nodos potissimum, purpurascens. Folia mucronulata, subtus nervosa, nervis lateralibus versus basim ortum ducentibus, subbinis, versus folii medietatem evanidis, inferiora spathulata, in petiolum longe decurrentia, obtusiuscula, caetera sensim acutiora, media oblonga, basi attenuata, superiora lanceolata. Racemi in extremitate ramorum solitarii aut plerumque gemini, flore inter geminorum divisionem interjecto. Flores semipatentes, subsecundi,

superiores sensim brevius pedunculati. Bracteae lanceolatae, adpressae, inferiores florem subaequantes aut superantes, caeterae sensim breviores. Calix clavatus, basi vix umbilicatus, 10-striatus, striis viridibus, hirsutissimus, pilis articulatis, adscendentibus, albo-diaphanis, longis, aliis brevissimis interjectis. Petalorum lamina bifida, laete rosea, ad faucem appendice bifida praedita. Capsula ovato-acuminata, oculo armato tessellata, laevis, trilocularis, intra calicem longe pedicellata. Semina reniformia, nigrescentia, transverse striata, dorso sulcata, facie utraque excavata, paullo exiguiora illis *Silenes gallicae*. Planta hirsuta, pilis aliis brevissimis, nisi oculo armato non conspicuis, junioribus apice glanduliferis; aliis articulatis, longioribus rarioribusque, in caule, inferne potissimum, patentibus.

In arvis Iglesias, Flumini-major, Oristano et in pratis Capo-terra.

Fl. aprili, majo. ①

Vern. m. *Zaccarossa*.

Obs. Silene trinervia SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 152. ex ejus specim. ab agro Romano, a nostra differt costis vel nervis calicinis valde prominentibus, pilis rigidis, brevibus, incurvis, retrorsum hirtis; seminibus rufis, juxta longitudinem concentrice tuberculatis, utraque facie planiusculis, dorso non canaliculatis.

167. SILENE NOCTURNA

S. breviter pubescens; foliis basi ciliatis, inferioribus spathulatis; calicibus cylindraceis, erectis, 10-striatis, dense racemoso-spicatis, subsecundis, adpresse brevissimeque pubescentibus; petalis bipartitis.

Silene nocturna LINN. Sp. p. 595. WILLD. Sp. 2. p. 692. OTTH in DC. Prod. 1. p. 372. α.

VIV. Fl. lyb. Spec. p. 23. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 290. et Fl. graec. 5. p. 6. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 120. GUSS. Fl. sic. Prod. 1. p. 497. et Suppl. p. 123. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 211. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 150. LOIS. Fl. gall. p. 312. α. CAMBESS. En. pl. balear. p. 48.

S. spicata α. DC. Fl. fr. 4. p. 759.

S. matutina PRESL Fl. sic. 1. p. 149.

Ic. — SIBTH. Fl. graec. 5. tab. 408. (*planta junior, floribus rubris*).

Lychnis sylvestris hirsuta, elatior, spicata, lini colore. BARR. Ic. tab. 1027. ic. 1.

L. segetum meridionalium, annua, hirsuta, floribus albis, uno versu dispositis. Moris. Hist. sect. 5. tab. 36. ic. 7.

Viscago hirta, noctiflora; floribus obsoletis, spicatis. Dill. H. Elth. p. 420. tab. 310. ic. 400.

Radix tereti-fusiformis, radiculas laterales emittens. Caules simplices ramosive, solitarii vel ex eadem saepe radice plures, erecti vel adscendentes, teretiusculi, pedales, bipedales. Folia brevissime mucronulata, subadpresse brevissimeque oculo armato piloso-hirsuta, basim versus ciliata, inferiora in petiolum attenuata, spathulata, obtusa, superiora lineari-lanceolata. Flores subsecundi, in racemum vel spicam longam dispositi, inferiores pedunculati, remoti, superiores sensim propiores, brevius pedunculati, sessilesve. Calices floriferi fructiferique erecti, basi non umbilicati, 10-striati, striis plus minusve virentibus, dentibus acutiusculis. Petalorum lamina superne alba, inferne cineracea vel cineraceo-rubescens, bipartita, partitionibus linearibus, obtusis. Capsula oblonga, laevis, oculo armato tessellata, intra calicem modo brevissime pedicellata, modo sessilis, calice saepe brevior, interdum vero in eadem planta, aliae calice breviores, aliae ei aequales. Semina reniformia, dorso sulco longitudinali praedita, in utraque facie excavata, duplo fere exiguiora ac in *Silene gallica*, transverse striata, ante maturitatem rufa, matura rufo-cineracea nec rufa, aqua autem vel saliva madida, statim rufescentia.

Planta pilis brevissimis, rigidis, albescentibus oculo armato obsita, in foliis et in calice praesertim fere appressis; caulinis, junioribus potissimum, apice glanduliferis. Ad marginem inferiorem foliorum, atque in parte caulis inferiore, pili articulati, longiusculi, patuli, caeteris brevibus intermixti. Variat racemo interdum, tametsi raro, disticho. Flores nocturni et matutini, meridianis accedentibus horis sensim flaccescunt et evanidi fiunt; rubri ut in icone citata Fl. graec. se mihi non praebuerunt.

In campis et inter segetes Laconi, Busachi, Sassari, Iglesias.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Specimina pedemontana *Silenes nocturnae* All. Herbar. ad aliam speciem,

non ad *Silenem nocturnam* LINN. et SIBTH. et SM. spectant: accedit ad *Silenem nocturnam* nostram, nec differt nisi omnimoda glabritie et petalis emarginato-bifidis, icon Iconographiae taurinensis vol. 3. tab. 39. ab ALLIONIO adducta ad *Silenem nocturnam* in Fl. ped. 2. p. 80. Specimen *Silenes nocturnae* ALL. Herbar. ex Sardinia pertinet ad *Silenem gallicam*. *Silenes inapertae* ALL. Herbar. specimina H. R. taurinensis, non alia, spectant ad *Silenem nocturnam* nostram. Icones Iconographiae taurinensis vol. 26. tab. 1. 2. errore typographico ad *Silenem inapertam* in Fl. ped. relatae fuere, alienae enim species, nec congeneres illae sunt.

168. SILENE GALLICA

S. piloso-hirsuta; foliis basi ciliatis, inferioribus obovato-spathulatis; calicibus cilindraceo-ventriculosis, pilosis, 10-striatis, dentibus longis, acutis; petalorum lamina subemarginata denticulatave.

Silene gallica LINN. Sp. p. 595. WILLD. Sp. 2. p. 693. OTTH! in DC. Prod. 1. p. 371. DE BUCH Catal. pl. canar. in GUILLEM. Archiv. bot. 1. p. 502. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 291. URV. En. pl. archip. p. 49. TENOR. Fl. nap. 4. p. 208. GUSS. Fl. sic. Prod. Suppl. p 122. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 151. ALL.! Fl. ped. 2. p. 79. DC. Fl. fr. 4. p. 757. LOIS. Fl. gall. 1. p. 311. CAMBESS. En. pl. balear. p. 47.

S. anglica LINN. Sp. p. 594. WILLD. Sp. 2. p. 691. SM. Fl. brit. p. 465. et Engl. fl. 2. p. 291.

S. lusitanica OTTH! in DC. Prod. 1. p. 371. DESF. Fl. atl. 1. p. 147. TENOR. Fl. nap. 4. p. 208. GUSS. Fl. sic. Prod. 1. p. 496.

S. cerastoides CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 120. PRESL Fl. sic. 1. p. 149. (*excl. syn.*).

LAGASCA! Pl. siccat. ex Hispan. in Herbar. DC.

S. hirsuta, petalis emarginatis, fructibus erectis, alternis, hirsutis, sessilibus. ALL. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 101.?

Ic. — Silene anglica Engl. bot. 17. tab. 1178. Iconogr. taurin. 19. tab. 79.

Viscago hirta, gallica, flore parvo, carneo, petalis integris DILL. Elth. tab. 310. ic. 399. (*minus breviusque hirsuta; petalorum lamina ovalis, acutiuscula, integra*).

V. hirsuta, lusitanica, stellato flore. DILL. Elth. tab. 311. ic. 401. (*longius magisque hirsuta; petalorum lamina obovata, emarginata vel denticulata, obtusa aut fere truncata*).

β. quinquevulnera, petalis margine pallescentibus.

Silene quinquevulnera Linn. Sp. p. 595. Willd. Sp. 2. p. 691. Otth! in DC. Prod. 1. p. 372.

Desf. Fl. atl. 1. p. 148. Sibth. et Sm. Fl. graec. l. c. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 212. et Fl. nap. 4. p. 208. All.! Fl. ped. 2. p. 79. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 15. DC. Fl. fr. 4. p. 758. Lois. Fl. gall. 1. p. 311.

S. cerastoides δ. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 120.

Ic. — Engl. bot. 2. tab. 86. Iconogr. taurin. 34. tab. 32.

Radix tereti-fusiformis, pallida, radiculis pluribus lateralibus. Caules modo solitarii (in sterilibus), modo plures ex eadem radice, erecti vel adscendentes, simplicissimi ramosive, pilosi hirsutique, teretiusculi, inferne saepe rubentes, longitudine semipedales, pedales et ultra. Folia apice mucronulo purpurascente terminata, hirsuta et basi ciliata, inferiora obovato-spathulata, in petiolum attenuata, media oblonga, superiora sensim angustiora, lanceolata. Flores alterni, axillares et terminales, racemosi, subsecundi, pedunculis brevibus erectis, fructiferis saepe divergentibus. Calix 10-striatus, basi non umbilicatus, apice 5-dentatus, dentibus erectis, subulatis, rubicundis. Petalorum lamina alba, carnea vel rubella, venosa, indivisa, obtusa, appendice bipartita. Filamenta staminum basim versus pilosiuscula; antherae oblongae, subcoloratae. Capsula ovato-oblonga, laevis. Semina nigrescentia, oculo armato, transverse striato-tuberculata, reniformia, dorso planiuscula aut vix sulcata, ad latera utrinque excavata. — Planta villosa hirsutaque, pilis scilicet inaequalibus, aliis longioribus, articulatis, in calice confertioribus, aliis multo brevioribus crebrioribusque, rigidulis, in juniore planta ramisque apice glanduliferis. Pedunculi fructiferi ita nonnumquam in oppositam partem divergentes ut racemus distichus appareat.

In campis maritimis collinisque Sardiniae, insularum la Maddalena, Asinara et Tavolara; etiamque in montanis editis Genargentu et summo monte Linas: inter 1. et 1300. metr. circiter supra maris superficiem, vulgatissima: var. β. in arvis circa Arizzo, promiscue cum α.

Fl. aprili, junio. ①

Vern. s. *Nieddone. Gravellinu.* — Porto Torres *Granu de Pevaru.*

Obs. Variat *Silene gallica* nostra, calice minus breviusque hirsuto, petalorum

lamina integra, ut in icone citata DILL. Elth. tab. 310. et calice longius magisque hirsuto plane ut in icone DILL. Elth. tab. 311. Specimina *Silenes gallicae* sardoa cum lusitanicis *Silenes lusitanicae* nomine acceptae et cum gallicis *Silenes gallicae* omnino congruunt. *Silene lusitanica* LINN. Herbar. a nostra *Silene gallica* et a *lusitanica* complurium Auctorum omnino aliena ex GUSS. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 123.

Varietas β *quinquevulnera* non differt ab α nisi petalis margine pallescentibus, horum vero color sic in planta sponte nascente variat, ut gradu in illam manifeste abire observetur. Colorem laminae petalorum formamque in ipsa *Silene quinquevulnera* variare, modo ovalem, integram, modo obcordatam emarginatamve se vidisse narrat clariss. BENTHAM Catal. pl. pyren. p. 122. Equidem in *gallica* aeque ac in *quinquevulnera* calices interdum erectos, saepe divergentes, racemum modo secundum, modo distichum pariter vidi, praeter variantem in utraque petalorum formam.

SECTIO II.

ALSINEAE

Calix profunde 4-5-partitus, patens. Petala vix aut neutiquam unguiculata.

LXIV. CERASTIUM

Cerastium LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 797. JUSS. Gen. p. 301. DC. Prod. 1. p. 414. GAERTN. Fr. 2. tab. 130. LMCK. Ill. tab. 392. Myosotis TOURN. Inst. tab. 126.

Calix 4-5-partitus. Petala 4-5, bifida. Stamina 4-10. Styli 4-5. Capsula unilocularis, polysperma, ovata aut cylindrica, apice dentibus 8-10 dehiscens.

169. CERASTIUM ALPINUM ANGUSTIFOLIUM

C. subvillosum, villis articulatis, canescentibus; radice repente; caulibus subcaespitosis; foliis inferioribus ovalibus omnibusve lineari-lanceolatis; pedunculis terminalibus, solitariis ternisve; bracteis calicibusque, margine scariosis; petalis obcordatis capsulaque oblongo-cylindracea calicem subduplo superantibus.

Cerastium alpinum β. BERTOL.! Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 368.

C. suffruticosum DC. ! Fl. fr. 4. p. 779.
C. arvense Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 7. non Linn.

Radix repens. Caules teretes, subcaespitosi, ascendentes erective, basi subinde decumbentes, plerique ramosi, palmares, dodrantales. Folia acuta, modo omnia lineari-lanceolata, interdum recurva, modo inferiora elliptica aut oblonga, caetera lineari-lanceolata aut linearia. Pedunculi terminales, longi, solitarii et terni, uniflori. Bracteae oblongo-lanceolatae, margine scariosae. Flores magni, sepalis elliptico-oblongis, acutiusculis obtusisve, margine scariosis. Petala alba, obcordata, calicem duplo aut plus quam duplo superantia. Capsula oblongo-cylindracea, vix aut neutiquam apud nos incurva, calice tertia sui parte aut fere duplo longior. Semina magna, rufa, tuberculoso-punctata. — Planta villis albidis, mollibus, confervoideis, implexis, oculo armato articulatis, canescens subindeve pallide virens et, inferne potissimum, glabrata.

In montanis Arizzo, Genargentu.

Fl. majo, junio. ♃

Obs. Cerastium alpinum et *strictum* All. Herbar. ad eamdem speciem pertinentia, habitu et foliis accedunt ad nostrum *Cerastium alpinum, angustifolium*, pilis autem, pedunculorum praesertim, rigidulis, brevibus, patentibus nonnullisque apice glanduliferis, differunt.

170. CERASTIUM CAMPANULATUM Mihi

C. caule filiformi, pumilo, piloso, pilis glanduliferis, brevibus, patentibus; foliis radicalibus spathulatis, caulinis oblongis; panicula dichotoma; petalis bifidis, calicem duplo superantibus; capsula cylindracea, calice sesquilongiore.

Cerastium palustre Moris in Mem. Accad. R. Scienz. Torin. 38. p. xxviii.
Ic. — Tab. xx. ic. 1.

Radix fibrosa. Caules ex eadem radice unicus aut plures, semiunciales aut fere quadriunciales, filiformes, ex ipsa basi saepe ramosi, erecti, ascendentes diffusive, pilis brevissimis, patentibus, apice glanduliferis praediti, interdum glabriusculi, inferne saepe glabri. Folia obtusa aut acutiuscula, pallide virentia, utrinque glabra vel, raro,

ad nervum medium pilosiuscula, margine pilis glanduliferis, paucis, saepe breviter ciliata, radicalia et caulina infima spathulata, caetera oblonga, floralia lineari-oblonga. Flores laxe dichotomo-paniculati, pedunculis calice multoties longioribus, fructiferis divergentibus refractisve. Sepala oblonga, obtusa aut obtusiuscula, margine membranacea. Corolla campanulata, calice duplo et ultra longior. Petala obovato-cuneata, alba, ad medium usque divisa, lobis oblongis, obtusis. Stamina decem, petalis dimidio breviora. Styli quinque, staminibus breviores. Capsula cylindracea, calicem tertia parte vel fere duplo demum superans. Semina rufescentia, obovato-reniformia, compressa, dorso vix sulcata, tuberculis aspera.

In palustribus et uliginosis ad montem S. Padre et in Campedda Macomer: a 570 ad 600 metr. supra maris superficiem.

Obs. Caulibus filiformibus, brevibus; foliis glabriusculis, pallide virentibus, numquam cinerascentibus, differunt singula sardoa specimina *Cerastii campanulati* nostri *minoris*, a *Cerastio campanulato*. Viv. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. tab. 3.; ita tamen ut post plurima perspecta eaque variantia hujus specimina, nostrum speciem per se constituere posse dubitem.

171. CERASTIUM VULGATUM

C. pallide virens, pilosum viscosumque, decandrum; foliis ovatis ellipticisve, infimis basi attenuatis; petalis calicem subaequantibus: calice pedunculis longiore nonnullisve demum aequali, capsulis demum duplo breviore.

Cerastium vulgatum Linn. Fl. suec. (ed. 2.) p. 158. Sm. Fl. brit. p. 496. et Engl. Fl. 2. p. 330. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 315. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 12. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 315. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 526. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 598. et Fl. nap. 4. p. 229. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 157. Savi Fl. pis. 1. p. 435. DC. Fl. fr. 4. p. 775. Lois. Fl. gall. 1. p. 323.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

C. viscosum Linn. Sp. p. 627. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 128. Chaub. Fragm. bot. crit. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 45. Desf. Fl. atl. 1. p. 366. Presl Fl. sic. 1. p. 166.

C. ovale Pers. Syn. 1. p. 521.

C. glomeratum Thuill. Fl. paris. p. 226. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 135.

Ic. — Cerastium vulgatum Engl. bot. 11. tab. 789. Reich. Pl. crit. Cent. 3. tab. 233. ic. 385. 386. et C. rotundifolium Reich. Pl. crit. ibid. ic. 387.
Myosotis hirsuta, altera, viscosa. Vaill. Bot. paris. tab. 30. ic. 3.
M. arvensis, hirsuta, parvo flore, subrotundis foliis pallidis. Bon. tab. 129.

Radix fibrosa. Caules ex eadem radice raro unicus, saepe plures, erecti vel decumbentes, teretes, ex ipsa basi saepe ramosi moxque simplices dichotomive, palmares, pedales. Folia ovata vel elliptica, raro acutiuscula, plerumque obtusa cum brevi mucronulo, infima basi attenuata. Flores ex dichotomia et in paniculam terminalem dispositi, juniorem subcorymbosam densamque, adultam paullulum productam atque laxiusculam. Pedunculi calice breviores nonnullive, ex dichotomiis praesertim inferioribus originem ducentes, calicem demum aequantes aut raro vix superantes. Folia floralia margine non scariosa. Sepala lanceolata, acuta, apice subinde atro-virentia, interiora margine albo-membranacea. Petala lineari-oblonga, alba, breviter bifida, calicem aequantia aut vix superantia. Stamina decem. Capsula cylindracea, subincurva, calice duplo longior. Semina obovata nonnullaque fere obovato-reniformia, fulva, compressa, tuberculata, tuberculis in lineas concentricas dispositis, dorso vix sulcata tuberculis ibidem magis conspicuis, hilum versus sensim exiguioribus evanidisque. — Herba pallide virens pilosaque, pilis patentibus, articulatis, junioribus apice glanduliferis.

In ruderatis et in campis maritimis montanisque.

Fl. januario, junio. ①

Ital. *Cencio molle. Orecchio di topo.*

Obs. Cerastium vulgatum All. Herbar. ob pedunculos calice longiores, bracteas margine membranaceas caeteraque ad *Cerastium viscosum* Sm. Engl. bot. 11. tab. 790. spectare videtur. *Cerastium viscosum* All. Fl. ped. in ejusd. Herbar. deest; caeterum ex icone Iconographiae taurinensis 10. tab. 24. ad *Cerastium campanulatum* Viv. certe referendum.

172. CERASTIUM PENTANDRUM

C. pubescens viscosumque, pentandrum; foliis inferioribus spathulatis, caeteris oblongo-ellipticis; floribus subglomeratis; pedunculis

ex dichotomia calice demum subduplo longioribus; fructiferis refractis; bracteis non membranaceis; calicibus apice scariosis, petala bidentata superantibus, capsulam subaequantibus.

Cerastium pentandrum Linn. Sp. p. 627.? Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 527. et Suppl. p. 139.

C. semidecandrum Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 7. non Linn.

C. floribus pentandris, petalis integris. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 91.

Radix gracilis. Caules ex eadem radice plures, ascendentes seu centrales erectiusculi, laterales inclinati, unciales, triunciales et paullo ultra, apice dichotome breviterque divisi. Folia radicalia et caulina inferiora in petiolum attenuata, spathulata, caetera oblongo-elliptica, per paria omnia opposita obtusaque cum brevissimo mucronulo. Flores terminales glomerati, pedunculis per florescentiam calice brevioribus, fructiferis (inferioribus saltem, ex dichotomia originem ducentibus) calice fere duplo aut paullo plus quam duplo longioribus, demum refractis. Sepala oblongo-lanceolata, margine superiore et apice argenteo-scariosa, subdenticulata. Petala lineari-oblonga, apice bidentata, calice paullo breviora subindeve duplo fere breviora. Stamina antherifera quinque, sterilia nulla. Bracteae foliaceae, neutiquam nullaeque margine membranaceae. Capsula erecta, calicem demum aequans aut vix superans. Semina angulata, fusca, tenuissime tuberculata. — Herba pallide plus minusve virens, pubescens, pilis junioribus, apice glanduliferis.

Ad vias et in pascuis maritimis.

Fl. martio, aprili. ①

Obs. Petalis lineari-oblongis angustioribusque, vix bidentatis nec bifidis, bracteis margine neutiquam scariosis, differt *Cerastium* nostrum *pentandrum* ab affini *Cerastio semidecandro* Reich. Iconogr. Cent. 2. tab. 181. ic. 315. 316. A *Cerastio semidecandro* Sm. Engl. Fl. 2. p. 331. et Engl. bot. 23. tab. 1630. differt nostrum capsulis calicem vix aut neutiquam, non duplo superantibus, praeterea bracteis margine non membranaceis.

173. CERASTIUM TETRANDRUM

C. pilosum viscosumque; foliis ovato-ellipticis oblongisve, acutis, infimis basi attenuatis; floribus 4-5-fidis, 4-10-andris, laxe dichotomo-paniculatis; pedunculis calice multo longioribus, demum refractis; bracteis non membranaceis; calice petalis emarginato-bifidis vix longiore, capsulis demum multo breviore.

Cerastium tetrandrum Curt. Lond. fasc. 6. Sm. Fl. brit. p. 498. et Engl. Fl. (ed. 2.) 2. p. 332.

C. viscosum Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 7. non Linn.

C. viscosum γ. *tetrandrum* Benth. Catal. pl. pyren. p. 69.

Sagina cerastoides Sm. Trans. of. Linn. soc. 2. p. 343. Willd. Sp. 1. p. 718. R. Sch. Syst. 3. p. 497. Sering. in DC. Prod. 1. p. 389.

Moenchia cerastoides Spr. Syst. 1. p. 497.

Ic. — Engl. bot. 3. tab. 166.

β. *majus*, caulibus elatioribus, dichotomo-ramosissimis.

Radix exilis, inferne fibrillosa ramosave. Caules plures, erecti diffusive, teretes, ramoso-dichotomi, biunciales, pedales. Folia radicalia et infima spathulata, caulina media ovata aut elliptica, acuta, superiora ovato- aut oblongo-lanceolata, angustiora acutioraque. Flores laxe dichotomo-paniculati, pedunculis calice duplo, quadruplo, in β quadruplo, sextuplo, longioribus, erectis, fructiferis demum refractis. Sepala quatuor subindeque in ejusdem plantae floribus nonnullis, quinque, lanceolata, acuta, margine utroque aut altero dumtaxat, interiora potissimum, leviter membranacea. Petala tot quot calicis divisiones, oblonga, profunde emarginata, calice vix breviora, basi virescentia. Stamina quatuor vel, in quinquefidis floribus, quinque, interdum septem-octo, antherifera; vidi et novem-decem, sed numerum octonum excedentia antheris carentia. Antherae flavae. Styli prout flores quadrifidi vel quinquefidi, quatuor, quinque. Capsula cylindracea, calice demum dimidio et paullo ultra longior, leniterque incurva, apice in dentes octo-decem dehiscens. Semina fusca, vix compressa, angulata, tuberculata, dorso leviter sulcata.

Planta pilosa, pilis brevibus patentibus, apice glanduliferis, in β

pallide virens, in α viridis aut superne praesertim viridi-violacea. Variat calicis divisionibus, plus minusve acutis aut acuminatis, floribus omnibus quadrifidis nonnullisve quinquefidis. Flores vel plerosque vel omnes quinquefidos nullis in speciminibus vidi, etsi plurima in variis locis legerim et observaverim. Var. α cum *Cerastii tetrandri* speciminibus e Scotia omnino congruit, var. β *major* plantam refert luxuriantem, minus pilosam, ramosissimam, dodrantalem pedalemve, duplo tamen caule foliisque, circiter graciliorem ac *Cerastium viscosum* Engl. Bot. 11. tab. 790.

In pascuis montanis inter 700. et 1800. metr. circiter supra maris superficiem: frequentissimum. Var. β inter segetes circa Arizzo. Ad campos maritimos neutra unquam varietas descendere mihi observata est.

Fl. majo, junio. ①

LXV. MOENCHIA

Moenchia Ehrh. Beitr. fasc. 2. p. 177. Hook. Scot. p. 48. Sm. Engl. Fl. 1. p. 241. Saginae sp. Linn. Alsinella Moench.

Calix 4-partitus. Petala 4, indivisa, calice breviora. Stamina 4-8. Styli 4-5, brevissimi. Capsula unilocularis, polysperma, apice dentibus 8-10 dehiscens.

174. MOENCHIA QUATERNELLA

Moenchia quaternella Ehrh. Beitr. fasc. 2. p. 177. Tenor. Fl. nap. 3. p. 170. et Syll. p. 78.

M. erecta Sm. Engl. Fl. 1. p. 241. Bertol. Fl. ital. 2. p. 245.

M. glauca Pers. Syn. 1. p. 153. Presl Fl. sic. 1. p. 159.

Alsinella erecta Moench. Meth. p. 222.

Sagina erecta Linn. Sp. p. 185. Willd. Sp. 1. p. 719. R. Sch. Syst. veg. 3. p. 498. Sering. in DC. Prod. 1. p. 389. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 202. et Suppl. p. 49. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 83. Savi Fl. pis. 1. p. 195. All. Fl. ped. 1. p. 237. DC. Fl. fr. 4. p. 769. Lois. Fl. gall. 1. p. 119. Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Cerastium tenue Viv.! Fl. cors. Diagn. 1. p. 7. Lois. Fl. gall. 1. p. 322.

Sagina caule erecto, unifloro All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 100.

Ic. — Engl. bot. 9. tab. 609.

Alsine verna glabra VAILL. Bot. paris. tab. 3. ic. 2.
Chamaelinum gramineo seu acuto folio BARR. Ic. tab. 1165. ic. 2.

β. *octandra*, dichotomo-paniculata, elatior, floribus octandris.

Radix fibrosa. Caulis solitarius aut plures, erecti vel ascendentes, teretes, laeves, graciles, simplices aut ex ipsa basi ramosi, uni-triunciales, uni-triflori, in β semipedales, dodrantales et ultra, di-trichotomo-paniculati, multiflori. Folia infima lineari-subspathulata, acutiuscula, propiora, caetera anguste lanceolata, sensim acutiora acuminatave, media paullo majora, summa iterum minora margineque albo-membranacea, omnia opposita, basi connata, uninervia, integerrima. Pedunculi filiformes, erecti, nudi, axillares, terminales et ex dichotomia. Sepala lanceolata, erecta, gibba, margine albo-scariosa. Petala alba, oblonga, integra, calice breviora. Stamina in α quatuor, sepalis opposita, in β octo, quorum alterna petalis opposita. Antherae subrotundo-ovatae, flavae. Styli puberuli, revoluti, in α quatuor, in β quatuor, quinque. Capsula oblonga, laevis, calicis demum longitudine, apice octofida, in β octo-decemfida. Semina rufa, reniformi-pyriformia, angulata, tuberculis aspera, dorso sulcata, facie utraque planiuscula.

In campis et in pascuis collinis Barì, Villacidro et in montanis Monte nero, Monte Linas.

Fl. aprili. ①

Obs. Moenchia Cerastii habitum refert: characteres ad calicis divisionum, petalorum staminumque numerum spectantes, tum et ad numerum dentium in quos capsula dehiscit, utrique generi communes sunt, *Cerastium* enim *tetrandrum* SM. a genere *Cerastio* nullo potest jure divelli: quamobrem *Moenchia* a *Cerastio* petalis integris, nec aliis characteribus differret, nisi *Cerastii pentandri* LINN. exemplo, *Cerastia* exstent petalis integris: *Cerastium* tamen *tetrandrum* floribus quadri- et quinquefidis variat, non *Moenchia*. *Cerastium manticum* LINN. externa facie seminumque forma, *Moenchiae quaternellae* varietatem praesertim *octandram* valde aemulatur.

LXVI. STELLARIA

Stellaria LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 773. JUSS. Gen. p. 301. DC. Prod. 1. p. 396. LMCK. Ill. tab. 378. GAERTN. Fr. tab. 130. Alsine TOURN. Inst. tab. 126. ic. A. B. D. E.

Calix 5-partitus. Petala 5, bipartita emarginatave. Stamina 10 aut pauciora. Styli 3. Capsula unilocularis, polysperma, apice valvis 6 dehiscens demum liberis.

175. STELLARIA SAXIFRAGA

S. diffusa; foliis sessilibus, late ovatis, acutis; petalis subemarginatis, sepala oblongo-lanceolata, duplo superantibus.

Stellaria saxifraga BERTOL.! Pl. genuens. in Amoen. p. 88. et Fl. alp. apuan. ibid. p. 366. SERING.! in DC. Prod. 1. p. 396. GUSS. Fl. sic. Prod. 1. p. 508. et Pl. rar. p. 182. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 216.

Ic. — GUSS. Pl. rar. tab. 37. ic. 1.

Radix teres, ramosa, inter rupium fissuras reptans. Caules caespitosi, diffusi, basi radicantes, ramosi, exiles, pilis deflexis, albidis, breviter pubescentes aut omnino glabri. Folia late ovata nonnullaque subcordata, crassiuscula, laete viridia, sessilia aut subsessilia, acuta, modo glabra, modo puberula, superiora infimis sensim majora: floralia caulinis similia, acutiora tamen et exigua. Flores terminales, raro in planta nostra dichotomo-paniculati, saepe duo-tres subindeve unicus, pedunculis calice multo longioribus. Sepala oblongo-lanceolata, acuta, viridia, margine vix albo-membranacea, corolla duplo et ultra breviora. Petala oblongo-obovata, alba, aequalia, apice denticulata nonnullaque emarginata (biloba non vidi). Stamina decem, corolla breviora, filamentis albis, inaequalibus, apice attenuatis, antheris flavis. Styli tres, erecti, staminibus longioribus breviores. Stigma simplex. Capsula oblongo-conica, glabra, unilocularis, sexvalvis, polysperma. Semina reniformia, rufescentia, punctata.

Inter fissuras rupium calcarearum Tonneri d'Irgini, Oliena et graniticarum insulae la Maddalena.

Fl. junio, julio. ♃

176. STELLARIA MEDIA

S. caulibus procumbentibus, linea laterali pilosa, alterna; foliis ovato-acutis; floribus subpentandris; pedunculis fructiferis reflexis; seminibus orbiculato-reniformibus, compressis, tuberculatis.

Stellaria media Vill. Hist. 3. p. 615. Sering. in DC. Prod. 1. p. 396. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 302. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 124. Presl Fl. sic. 1. p. 160. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 508. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 216. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 153. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 151. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 13. Lois. Fl. gall. 1. p. 316. Cambess. En. pl. balcar. p. 51.

Alsine media Linn. Sp. p. 389. Willd. Sp. 1. p. 1511. De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 502. Desf. Fl. atl. 1. p. 271. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 3. All. Fl. ped. 2. p. 110. DC. Fl. fr. 4. p. 770.

Ic. — Engl. bot. 8. tab. 537. (*pentandra hexandraque*). Fl. dan. tab. 438. (*decandra*). et 525. (*pentandra*).

Morsus gallinae Trag. Hist. p. 385. ic.

Alsine major Fuchs. Hist. p. 21. ic. ☉

A. minor Dod. Pempt. p. 29. ic. 2. ✦

A. minor recentiorum sive Hippia minor Lob. Icon. tab. 460. ic. 2. ✦

Alsine Lob. Obs. p. 245. ic. 3. ✦ Math. Valgr. p. 1114. ic.

A. vulgaris sive morsus gallinae J. Bauh. Hist. 3. p. 363. ic. ☉ Chabr. Sciagr. p. 449. ic. 5. ☉

* *major*.

Ic. — Alsine major Dod. Pempt. p. 29. ic. 1.

A. maxima Lob. Icon. p. 460. ic. 1. (*eadem ac in* Dodonaeo).

Radix fibrosa. Caules procumbentes vel ascendentes, simplices ramosive, linea pilosa ad singulos internodios alterna praediti, semipedales et ultra; in varietate *majore* robustiores longioresque, pedales, bipedales. Folia ovato-acuta, succulenta, glabra, petiolata, petiolis ciliatis, superiora saepe sessilia. Flores terminales, dichotomo-paniculati nonnullique saepe axillares aut e ramorum dichotomia longius pedunculati. Pedunculi filiformes, longiusculi calicesque pilosi (in speciminibus pedemontanis vidi interdum glabros). Sepala ovato-oblonga vel oblongo-lanceolata, acuta, patentia, viridia, margine albo-membranacea. Petala alba, profunde bipartita, interdum

nulla. Stamina quinque vel plura (in var. *majore* saepe 10), basi glandulosa, petalis breviora. Antherae purpurascentes. Styli 3. Capsula elliptica, sexvalvis, calicem aequans vel paullo superans. Semina rufa, compressa, orbiculato-reniformia, tuberculis concentricis scabra. — Herba tenella, variat petalis calice duplo longioribus, vix brevioribus nullisve.

In ruderatis cultisque humentibus Sardiniae et insularum adjacentium.

Fl. in maritimis omni anni tempore, in montanis a vere ad autumnum. (1)

Ital. *Budellina. Centovice. Centocchi. Centone. Erba gallina. Erba passerina. Orecchio di topo. Pizza gallina.*

Vern. m. *Erba de puddas. Puddina.* — Tortolì *Erba pugionina.* — Muravera *Erba puddina.*

Stellaria media avibus non infrequens alimentum, insipida, inodora, antiphlogistica jamdiu habita, vix ulla tamen efficacia pollens.

LXVII. ARENARIA

Arenaria Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 774. Juss. Gen. p. 301. DC. Prod. 1. p. 400. Lmck. Ill. tab. 378. Gaertn. Fr. tab. 130.

Calix 5-sepalus. Petala 5, integra. Stamina 10 aut abortu pauciora. Styli 3. Capsula unilocularis, 3-6-fariam dehiscens, polysperma.

177. ARENARIA BALEARICA

A. caespitosa, repens; foliis succulentis, ovatis, petiolatis, superne pilosiusculis; pedunculis longissimis, unifloris; calicibus fructiferis cernuis; sepalis ovatis, corolla multo brevioribus; capsula sexvalvi, calicem superante.

Arenaria balearica Linn. Syst. ed. 12. app. 230. Willd. Sp. 2. p. 719. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 412. DC. Fl. fr. 4. p. 782. Lois. Fl. gall. 1. p. 318. Duby Bot. gall. 1. p. 86. Cambess. En. pl. balear. p. 52.

Salztm! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Herit. Stirp. 1. tab. 15.

Radices fibrosae. Caules dense caespitosi, exilissimi, humifusi, teneri, quadranguli, ramosissimi, implexi, e nodis radicantes, glabri aut

puberuli, uni-triunciales. Folia exigua, succulenta, viridia, ovata, mucronulata, pellucido-punctata, breviter petiolata, raro ciliata, facie saepe pilosiuscula, pilis paucis brevissimis, subtus glabra pallentiaque. Petioli plerumque ciliati. Pedunculi capillares, longi, solitarii, uniflori, erecti, glabri aut, raro, puberuli, foliis floralibus oblongis, binis inferne stipati, nonnulli ex divisionibus ramorum ortum ducentes, plerique vero terminales. Calix saepe puberulus, fructifer cernuus. Sepala concava, ovata, obtusiuscula, virentia aut purpurascentia, margine membranacea, petalis duplo et ultra breviora. Petala alba, obovata, integra, obtusa. Filamenta et antherae albae. Ovarium globoso-umbilicatum, viride. Capsula ovata, calice paullo longior, 6-valvis, valvis apice circinatis. Semina subreniformia, nigra, tuberculis aspera, facie utraque dorsoque plana.

In montanis editis, humentibus opacisque Sardiniae et insulae Tavolara.

Fl. majo, junio. ♃

178. ARENARIA TRINERVIA

A. caulibus ramosis, puberulis; foliis ovato-acutis, petiolatis, nervosis; pedunculis fructiferis deflexis; sepalis oblongo-lanceolatis, acutis, dorso subhirtis, obsolete trinerviis, corolla longioribus; capsulis ovatis, sexvalvibus, calices aequantibus.

Arenaria trinervia Linn. Sp. p. 605. Willd. Sp. 2. p. 718. Sering. in DC. Prod. 1. p. 412.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 302. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 124. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 509. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 219. et Fl. nap. 4. p. 221. All.! Fl. ped. 2. p. 111. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. DC. Fl. fr. 4. p. 783. Lois. Fl. gall. 1. p. 317.

Ic. — Engl. bot. 21. tab. 1483. Fl. dan. tab. 429. (*caulibus erectis ; petalis calicem subaequantibus*).

Alsine Plantaginis folio J. Bauh. Hist. 3. p. 364. ic. 1. ☆ Chabr. Sciagr. p. 450. ic. 1. ☆ (*icones malae; folia nervis lateralibus nimis validis notata*).

Radix exilis, teres, inferne ramosa fibrillasque emittens. Caules subquadranguli, pilis deflexis puberuli, debiles, ascendentes aut diffusi, ramosi, palmares, semipedales et ultra. Folia petiolata, pallide virentia, ovato-acuta, tri-quinquenervia, nervis lateralibus minus

validis, pubescentia aut glabra, punctisque callosis asperula, interdum pellucido-punctata, margine saepe ciliata. Petioli subcanaliculati, pilis longiusculis, articulatis ciliati. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, foliis longiores, fructiferi deflexi. Sepala oblongo-lanceolata, acuta, dorso saepe hirta, obsolete trinervia, nervis propinquis, margine albo-membranacea et saepe tenuissime ciliata. Petala alba, obovata, calice plus minusve brevia. Capsula ovata, sexvalvis, valvis apice revolutis. Semina reniformia, rufo-nigrescentia, nitida, modo concentrice punctato-tuberculata, modo striato-tessellata, modo fere laevia, compressa, utraque facie convexa, dorso attenuata, carinata.

In sylvaticis montanis, opacis.

Fl. aprili, junio. ①

179. ARENARIA SERPYLLIFOLIA

A. pubescens, ramosissima; foliis ovatis, acutis, infimis petiolatis; pedunculis fructiferis erecto-patentibus; sepalis ovato-lanceolatis, acutis, nervosis, corolla subduplo longioribus; capsulis ovato-tubulosis, apice sexvalvibus, calices subaequantibus.

Arenaria serpyllifolia Linn. Sp. p. 606. Willd. Sp. 2. p. 720. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 411.

Desf. Fl. atl. 1. p. 356. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 24. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 304. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 124. Urv. En. pl. archip. p. 50. Presl Fl. sic. 1. p. 164. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 509. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 219. et Fl. nap. 4. p. 221. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 153. Savi Fl. pis. 1. p. 421. Bertol. Mant. Fl. alp. apuan. p. 29. All.! Fl. ped. 2. p. 111. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. DC. Fl. fr. 4. p. 784. Lois. Fl. gall. 1. p. 318. Cambess. En. pl. balear. p. 52.

Ic. — Fl. dan. tab. 977. Engl. bot. 13. tab. 923.

Alsine minor Fuchs. Hist. p. 23. ic. (*folia infima sessilia ut in ic. sequentibus*).

A. minima Dod. Pempt. p. 30. ic. 1. ✦ Lob. Obs. p. 246. ic. ✦ et Icon. 1. tab. 461. ic. 1. ✦

A. minor, multicaulis Moris. Hist. sect. 5. tab. 23. ic. 5. (*minus bona*).

Radix gracilis, teres, longiuscula, fibras fibrillasque emittens. Caules plures, bi-quinquenunciales, ascendentes aut diffusi, teretiusculi, rigiduli, ad nodos incrassati, ramosi, pubescentes, pilis brevibus,

deflexis, junioribus ad ramorum summitates pedunculos calicesque patulis et apice glanduliferis. Folia parva, ovata, acuta nervoque medio producto mucronulata, obsolete nervosa, oculo armato pellucido-punctata, margine et disco pilis rigidulis, brevibus subhirta, interdum disco glabra punctisque callosis aspera, infima petiolata, caetera sessilia basique connata. Pedunculi axillares, terminales et in dichotomia, fructiferi erecto-patentes. Sepala ovato-lanceolata, acuta, tri-quinquenervia, inferne margine membranacea. Petala ovalia, alba, calice fere duplo breviora. Capsula ovata, apice tubulosa et sexvalvis, calicem modo aequans, modo superans eodemve interdum paullo brevior. Semina reniformia, nigra, subcompressa, concentrice tuberculato-striata, dorso plana, duplo minora illis *Arenariae sphaerocarpae* Tenor.

In arenosis maritimis Oliastra, Sarrabus frequens: et in montanis editis Cornu Boi, usque ad 1250. metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

Ital. *Arenaria diffusa. Erba pondina. Renajola de' muri.*

Obs. Arenariae serpyllifoliae nomine in Allionii Herbario specimina exstant *Arenariae serpyllifoliae* nostrae, aliaque spectantia ad *Arenariam sphaerocarpam* Tenor.! Fl. nap. 4. p. 222. Folia, oculo armato, pellucido-punctata se mihi praebuere in *Arenariae tenuifoliae* speciminibus sardois et in pedemontanis aliisque mihi obviis.

180. ARENARIA PROCUMBENS

A. pubescens; caulibus procumbentibus, ramosis; foliis lanceolato-linearibus oblongisve; pedunculis fructiferis deflexis; sepalis oblongo-lanceolatis, obtusiusculis, corollam vix superantibus; capsula apice trivalvi, calicem aequante.

Arenaria procumbens Vahl. Symb. 2. p. 50. Willd. Sp. 2. p. 720. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 413. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 88. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 510. Suppl. p. 128. et Pl. rar. p. 182. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 219. et Fl. nap. 4. p. 222. Lois. Fl. gall. 1. p. 319. Cambess. En. pl. balear. p. 52.

A. herniariaefolia Desf. Fl. atl. 1. p. 358. et 2. p. 450.

A. geniculata Poir. Dict. 6. p. 365. Biv. Sic. Cent. 2. p. 12.

A. Bartolotti Tin. Pl. rar. Sic. Pug. 1. p. 10.

A. rosea Presl Fl. sic. 1. p. 165.

Ic. — Vahl. l. c. tab. 33.

Alsine maritima, longius radicata, Herniariae foliis. Bocc. Sic. tab. 10. ic. 1. A. 1. B.

* *linearifolia*, foliis angustioribus, fere linearibus.

Ic. — Alsine maritima altera, angustis foliis. Bocc. l. c. ic. 3. D.

Radix fusiformis, crassa, inferne ramosa. Caules ex eodem caespite plures, prostrati vel decumbentes, exiles, ramosi, subquadranguli, longitudine semipedales, sesquipedales. Folia lineari-lanceolata, uninervia, acuta et saepe mucronulata, modo oblongo-spathulata aut oblongo-obovata, internodiis breviora vel paullo longiora, modo angustiora et fere linearia. Flores rosei subindeve pallide rosei, raro albi, in dichotomia et in extremitate ramulorum laxe dichotomo-paniculati, pedunculis fructiferis saepissime deflexis aut divaricatis. Sepala oblongo-lanceolata, enervia, obtusiuscula, margine membranacea, corolla paullo longiora. Petala ovato-elliptica. Stamina decem, petalis paullo breviora, glabra, antheris flavis. Styli longitudine staminum, glabri. Capsula ovata, laevis, apice trivalvis, calicis longitudine. Semina suborbiculato-reniformia, glaberrima, rufo-nigrescentia, compressa, dorso sulcata, striis oculo armato tenuissimis, a peripheria ad hilum tendentibus notata. — Planta plus minusve pubescens, pilis brevibus, apice glanduliferis.

In maritimis Cagliari alla Scaffa, alla Maddalena; Porto scuso.

Fl. aprili, junio. ♃

181. ARENARIA TENUIFOLIA

A. caule dichotomo-paniculato; foliis setaceis sepalisque trinerviis, subulatis, corolla longioribus; capsula trivalvi, calicem superante.

Arenaria tenuifolia Linn. Sp. p. 607. Willd. Sp. 2. p. 725. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 405.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 6. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 305. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 513. et Suppl. p. 129. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 218. et Fl. nap. 4. p. 228. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 153. Savi Fl. pis. 1. p. 422. All.! Fl. ped. 2. p. 112. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. DC. Fl. fr. 4. p. 789. Lois. Fl. gall. 1. p. 321.

Ic. — Engl. bot. 4. tab. 219. Fl. dan. tab. 389. Iconogr. taurin. 22. tab. 21.

Alsine tenuifolia J. Bauh. Hist. 3. part. 2. p. 364. ic. 3. ⋏ Chabr. Sciagr. p. 450. ⋏ Vaill. Bot. paris. 7. tab. 3. ic. 1. Seg. Veron. 1. p. 418. tab. 6. ic. 2.

* *viscidula*, calicibus piloso-glandulosis.

Arenaria tenuifolia *hybrida* Vill. Hist. pl. Delph. 3. p. 634. Cambess. En. pl. balear. p. 52.

Ic. — Vill. Hist. 3. tab. 47. (*sepalis minus tenuibus nec subulatis*).

Radix exilis. Caules erecti aut ascendentes, teretes, graciles, ex ipsa basi plerumque dichotomo-ramosi, virides aut cum reliqua planta demum purpureo-violacei, longitudine biunciales aut fere semipedales. Folia linearia, subulata, rigida, dorso trinervia, basi membranacea, dilatata connataque, internodiis breviora nonnullaque interdum ad axillas fasciculata, superiora ad singulorum ramulorum divisiones sensim minora. Pedunculi terminales et ex singulis dichotomiis, capillares, uniflori, erecti, calice plerumque longiores. Calix angustus, sepalis lanceolato-subulatis, margine membranaceis, dorso trinerviis, glabris aut pilosis, pilis patulis, apice glanduliferis. Petala lanceolata, alba, obtusa, calice plus minusve brevia. Stamina brevissima, decem aut pauciora, antheris rubris. Styli tres. Capsula cylindrica, pellucida, calice saepe longior, raro brevior. Semina fusca, exigua, orbiculato-reniformia, compressa, laevia aut scabriuscula, dorso sulcata, non marginata, nec linea exteriore tumidula cincta. — Planta glaberrima apud nos, variat calicibus et ultimo interdum foliorum pari, patenter piloso-glanduliferis.

In campis arenosis: varietas *viscidula* in fossis circa Uras.

Fl. aprili, junio. ⓘ

Ital. *Arenaria sottile*.

182. ARENARIA RUBRA

A. procumbens; foliis linearibus; stipulis scariosis, vaginantibus; pedunculis fructiferis deflexis; capsulis trivalvibus.

Arenaria rubra Linn. Sp. p. 606. Willd. Sp. 2. p. 721. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 401. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 88. Desf. Fl. atl. 1. p. 357. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 6. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 304. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 125. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 514. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 217. et Fl. nap. 4. p. 219. Savi Bot. etr. 1. p. 140. Bertol. Mant. Fl.

alp. apuan. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 792. Lois. Fl. gall. 1. p. 321. Cambess. En. pl. balear. p. 51. α.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

A. campestris All.! Fl. ped. 2. p. 114.

A. foliis filiformibus; stipulis membranaceis, vaginantibus. All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 89.

Spergularia rubra Presl Fl. sic. 1. p. 160.

Ic. — Engl. bot. 12. tab. 852.

Spergula purpurea J. Bauh. Hist. 3. p. 722. ic. 3. ⅄ Chabr. Sciagr. p. 549. ic. 4. ⅄

β. *marginata:* succosior; capsulis calicem superantibus; seminibus ala membranacea cinctis.

Arenaria rubra β. et γ. Cambess. En. pl. balear. p. 51.

A. media Linn. Sp. p. 606. (*excl. syn.*). Willd. Sp. 2. p. 722. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 401. Desf. Fl. atl. 1. p. 358. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 88. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 125. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 217. et Fl. nap. 4. p. 220. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 16. Lois. Fl. gall. 1. p. 322.

A. marina Sm. Fl. brit. p. 480. et Engl. Fl. 2. p. 312. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 304. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 153. Savi Fl. pis. 1. p. 422. et Bot. etr. 1. p. 139. All.! Fl. ped. 2. p. 114. Lois. Fl. gall. 1. p. 322.

A. marginata DC. Fl. fr. 4. p. 793.

A. heterosperma Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 129.

Spergularia media Presl Fl. sic. 1. p. 161.

Ic. — Arenaria marina Engl. bot. 14. tab. 958. Arenaria marginata DC. Ic. gall. rar. tab. 48.

Spergula marina nostras J. Bauh. Hist. 3. part. 2. p. 722. 723. ic. 1. ⅄ Chabr. Sciagr. p. 549. ic. 5. ⅄

γ. *macrorhiza :* radice crassa; caulibus rigidulis; foliis subcinerascentibus, utrinque planiusculis, internodia brevia subaequantibus; seminibus marginatis immarginatisve.

Arenaria macrorhiza Requien in Lois. Nouv. not. p. 22. et Fl. gall. 1. p. 322.

A. media β. *macrorhiza* Duby Bot. gall. 2. p. 1025.

Ph. Thomas! Pouzolz! Requien! Pl. siccat. e Corsica.

Radix tereti-fusiformis, ramosa. Caules procumbentes, ramosi, triunciales, semipedales et ultra. Folia anguste linearia, internodiis paullo breviora vel longiora (nonnulla interdum in axillis fasciculata),

in α tenuiora, modo utrinque planiuscula, modo semiteretia; in β crassiora, semiteretia; in γ utrinque planiuscula, paullo latiora ac in α. Stipulae ad basim foliorum oppositae, connato-vaginantes, triangulo-ovatae aut lanceolatae, acutae, scariosae, pellucidae. Flores racemosi vel racemoso-paniculati, panicula dichotoma. Pedunculi fructiferi deflexi nonnullive interdum erectiusculi. Calicis sepala oblonga aut elliptico-lanceolata, obtusiuscula, margine albo-membranacea, basi ad angulos divisionis in singulis varietatibus saepe nigro-punctata. Petala ovata, rubra, rosea aut albida, calicem subaequantia. Stamina raro 2-5, saepe 5-10. Capsula conico-ovata, trivalvis, calicem aequans aut plus minusve superans. Semina exigua, fusca, in α subpyriformia, scabriuscula, margine linea tumida praedita, in β compressiora, saepissime laevia, ala membranacea, subinde fimbriata, cincta; in γ modo ut in α, modo ut in β.

Planta superne apud nos in singulis varietatibus glanduloso-pubescens; in β inferne glabra, in α et γ modo glabra, modo pubescens. Variat foliis in β plerumque muticis subindeve nonnullis mucronulatis, in α et γ omnibus mucronulatis omnibusve muticis seu aliis muticis aliisque in eadem planta mucronulatis. Radix in var. *macrorhiza* crassitiem duarum-quatuor linearum circa collum adipiscitur, parem vero crassitiem referunt nonnulla specimina nostra var. *α campestris*.

In campis maritimis montanisque etiam editis Genargentu. Var. β in maritimis; var. γ in arena mobili arida ad maris litus in insula Tavolara.

Fl. aprili, julio. ① et ②

Ital. *Lupinaja. Spergola.*

Obs. Limites inter *Arenariam rubram* et *mediam* Linn. plurimis in variis locis perspectis collatisque speciminibus equidem deprehendere non potui: in speciminibus foliorum capsularumque facie formaque consentientibus aliorum semina videre est scabrida, minora immarginataque, aliorum late marginata, majora et laevia: nec infrequens est in iisdem capsulis semina alia late marginata, compressa, majora laeviaque, alia non marginata exiguiora et scabrida observare. Rei veritatem certe assequetur quicumque multas *Arenariae mediae* Linn. capsulas introspiciat. Quamobrem neque foliorum neque capsularum aut seminum forma characterem constantem praebent quo *Arenaria media*

ab *Arenaria rubra* Linn. sejungatur. Ipsaque var. γ *macrorhiza* si character e seminum forma depromeretur, modo ad *Arenariam rubram*, modo ad *Arenariam mediam*, vel si lubet ad duas diversas species foret referenda, namque ex illius speciminibus plane paribus, iisdem in arenis maritimis insulae Tavolara lectis, eodemque in loco, alia sunt quorum semina minora scabrida et immarginata, alia in quibus majora lateque marginata se praebent. Accedit quod inter singulas propositas varietates specimina se praebeant ratione caulis, foliorum vel capsularum caeterorumque intermedia quae quidem in ambiguo fueris ad quamnam aequiori jure referre liceat quaeque ostendere videntur, uti arbitratus est clariss. Cambessedes En. pl. balear. p. 52., diversam quadantenus faciem ob quam insignia cujusque varietatis specimina speciem referunt propriam, a locis et solo arido aut humecto similibusque proficisci. Radicis demum crassitudinem ob quam specimina mihi observata varietatum α et γ, perennis stirpis habitum repraesentant, ex eo procedere dixerim quod caules primo vegetationis anno vel ab animantibus rescissi et nonnumquam iterato, vel alienam ob caussam haud fructiferi, locum radicis augmento, in plagis maritimis ubi temperies per hyema etiam est mitis, ad insequentem usque annum relinquant. *Arenaria media* Chaub. et Bory Exped. Mor. l. c. radicem insigniter crassam offert perinde ac var. nostra *macrorhiza*: num ad hanc referenda?

LXVIII. SPERGULA

Spergula Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 798. Juss. Gen. p. 301. DC. Prod. 1. p. 394. Gaertn. Fr. 2. tab. 130. Lmck. Ill. tab. 392.

Calix 5-partitus. Petala 5, integra. Stamina 5-10. Styli 5-6. Capsula unilocularis, in valvas 5-6 dehiscens, polysperma.

183. SPERGULA ARVENSIS

S. foliis verticillatis, basi stipulatis; floribus 5-10-andris.

Spergula arvensis Linn. Sp. p. 630. Willd. Sp. 2. p. 818. Sering. in DC. Prod. 1. p. 394.

Desf. Fl. atl. 1. p. 368. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 317. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 131. Presl Fl. sic. 1. p. 159. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 530. et Suppl. p. 144. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 239. Maur. Rom. pl. Cent. 13. p. 23. Savi Fl. pis. 1. p. 439. All.! Fl. ped. 2. p. 118. DC. Fl. fr. 4. p. 773. Lois. Fl. gall. 1. p. 325.

Ic. — Spergula arvensis et Spergula pentandra Engl. bot. 22. tab. 1535. et 1536. Spergula arvensis Fl. dan. tab. 1033. Spergula arvensis et vulgaris Reich. Pl. crit. Cent. 6. ic. 704. 705.

Spergula Dod. Pempt. p. 537. ic. ✦ Lob. Obs. p. 467. ic. ✦ et Icon. tab. 803. ic. 2. ✦ (*calicis laciniae nimis exiguae brevesque*).

Spergula J. Bauh. Hist. 3. p. 722. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 549. ic. 3. ⁂

β. *marginata*, seminibus ala membranacea, ampla cinctis.

Spergula pentandra Linn. Sp. p. 630. Willd. Sp. 2. p. 818. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 394.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 317. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 131. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 240. DC. Fl. fr. 4. p. 773. Lois. Fl. gall. 1. p. 325.

Ic. — Alsine Spergula annua, semine foliaceo, nigro, circulo membranaceo, albo, cincto. Moris. Hist. 2. p. 551. sect. 5. tab. 23. ic. 13. et 14. n.° 2.

Radix tereti-fusiformis, fibras laterales emittens. Caules ex eadem radice saepe plures, simplices ramosive, erecti, ascendentes vel rarius prostrati, ad nodos incrassati, longitudine palmares, pedales. Folia lineari-subulata, apice callosa, obtusa vel acutiuscula, circa nodos verticillata fasciculatave, 8-10-15 et ultra, inaequalia, internodiis multo breviora, basi stipulata. Panicula di-trichotoma, terminalis, nuda, ramis pedunculisque basi bracteatis; bracteis ovato-acutis, brevibus, scariosis, supremis interdum coloratis. Pedunculi filiformes, uniflori, fructiferi saepe divaricati refractive. Sepala elliptica, acutiuscula, margine albo-membranacea. Petala ovato-elliptica, alba, calice vix longiora. Stamina quinque-decem, in β saepe quinque. Capsula laevis, ovata, quinquevalvis. Semina nigra, orbiculata, in α utrinque convexa, oculo armato, punctis impressis obsita, modo laevia, modo papilloso-scabra, immarginata seu membrana brevissima, alba aut nigra, margine cincta, in β compressiora, laevia punctisque impressis vix aliquot notata, ala ad marginem membranacea, ampla circumdata.

Planta in α saepe pallide virens pilisque patulis brevibus, apice glanduliferis praedita, caulibus ex eadem radice duobus, quindecim, bi-triuncialibus, pedalibus et paullo ultra: in β viridis, glabra aut glabriuscula apud nos, caulibus ex eadem radice duobus, octo, bi-

octouncialibus. *Spergula pentandra* Fl. dan. tab. 1930. foliis pallide virentibus et glanduloso-pubescentibus varietatem nostram α refert, seminibus autem late alatis accedit ad nostram var. β. — *Spergula pentandra* sardoa *arvensi* praecocior non est uti de germanica tradunt clarissimi Mertens et Kock in Deutschl. Flor. 3. p. 361.

In campis maritimis et in editis montanis monte S. Vittoria, Flumini, in Barbargiis, Fonni: usque ad 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. decembri, majo. ①

Ital. *Spergola campestre. Erba renajola.*

184. SPERGULA SAGINOIDES

S. foliis exstipulatis, oppositis, lineari-subulatis, carinatis, apice subaristatis; pedunculis longis; petalis calicem non superantibus; seminibus reniformibus, laevibus.

Spergula saginoides Linn. Sp. p. 631. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 240. Lois. Fl. gall. 1. p. 326.

Ic. — Spergula saginoides Fl. dan. tab. 1577.

— *pubescens.*

Spergula subulata Sw. in Act. holm. (1789) p. 45. Willd. Sp. 2. p. 820. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 394. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 531. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 223. et Fl. nap. 4. p. 240. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 369. DC. Fl. fr. 4. p. 775. Lois. Fl. gall. 1. p. 326.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Sagina procumbens β. Linn. Sp. p. 185.

S. subulata Presl Fl. sic. 1. p. 158.

Ic. — Engl. bot. 16. tab. 1082. (*etsi folia vix aristata*). Spergula laricina Fl. dan. tab. 858.

Radix teretiuscula, longa, ramosa. Caules unciales, triunciales, caespitosi, erectiusculi aut decumbentes, ramosi, adulti e nodis inferne radicantes. Folia opposita, lineari-subulata, basi margine membranacea connataque, subtus nervo valido carinata, apice pleraque setigera; nonnulla in axillis subinde fasciculata. Pedunculi axillares et terminales, filiformes, erecti, nudi, uniflori, longitudine unciales aut fere biunciales, solitarii vel raro geminati. Calicis divisiones

ovali-oblongae, concavae, basi trinerviae, obtusiusculae, margine membranaceae. Petala elliptica aut oblonga, obtusa, alba, unguiculo brevissimo virescente, calicem aequantia aut eo breviora. Styli quinque, raro sex, puberuli, apice reflexi. Stamina quinque-decem. Capsula ovato-conica, calice longior, quinquevalvis. Semina rufescentia, reniformia, laevia, dorso sulcata, haud marginata. — Planta modo pilosa, pilis patulis brevissimis, apice glanduliferis, modo glaberrima.

In montanis humentibus monte Linas, Arizzo, Genargentu, Fonni, Oliastra, Barbargie: frequentissima.

Fl. majo, junio. ♃

Obs. Pubes et foliorum arista, res variae, praeclare jam animadvertentibus clarissimis Mertens et Koch in Deutschl. Flor. 3. p. 363. *Spergulam subulatam* Sw. a *Spergula saginoide* Linn. specifice non valent discriminari. *Spergulae saginoidis* sardoa specimina, facie plane eadem, alia glaberrima, alia glanduloso-puberula, variant foliis subinde aliquot muticis: foliis omnibus muticis ut in *Spergula saginoide* Engl. bot. 30. tab. 2105. non vidi. *Spergulae saginoidis* specimina pedemontana in alpestribus editis lecta circa *Assarella* et *Riva* foliis aliis breviter aristatis, plerisque muticis, glanduloso-puberula sunt; praeterea petala offerunt modo calicem aequantia, modo calice paullo longiora (V. obs. ad *Spergulam piliferam*). *Stellaria biflora* Fl. dan. tab. 12. ad *Spergulam saginoidem* a clariss. Mertens et Kock in Deutschl. Flor. l. c. relata, habitu et petalorum longitudine ad *Spergulae saginoidis* memorata pedemontana specimina accedit, sed styli in icone tres.

185. SPERGULA PILIFERA

S. humifusa; foliis exstipulatis, oppositis, lineari-subulatis, carinatis, apice subaristatis, pedunculis longis; petalis calicem superantibus; seminibus reniformibus, laevibus.

Spergula pilifera DC.! Fl. fr. 4. p. 774. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 394. Lois. Fl. gall. 1. p. 326.

S. Morisii Colla! Herbar. ped. 1. p. 345.

Ic. — Lois. Fl. gall. tab. 8. Reich. Iconogr. Cent. 2. tab. 141. ic. 263. 264.

In pascuis editis monte Spada et Genargentu: ad 1600-1700 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio, julio. ♃

Obs. Variat *Spergula pilifera* DC. petalis calicem vix superantibus eodemve duplo longioribus, quamobrem etsi planta culta petala calice multo longiora protulerit ex observatione clarissimi Reich. Iconogr. Cent. 2. p. 33., judicium tamen e plurimis observatis spontaneae plantae speciminibus eruens, *Spergulam piliferam* ad praecedentis varietatem referri oportere dubito quae quidem in editis montanis crescens, sensim magis contracta fieri soleat et petala calice identidem multo longiora proferat; variat ipsamet *Spergula saginoides*, pedemontana (V. obs. ad praecedentem sp.) petalis calicem superantibus: variat *Spergula pilifera*, uti praecedens, glaberrima aut glanduloso-pubescens foliisque aliquot interdum muticis.

Spergula glabra.

Nomine *Spergulae glabrae* ex Sardinia, specimen exstat in Allionii Herbario quod a Balbis inscriptum fuisse videtur quodque cum *Spergulae saginoidis* ejusdem Allionii Herbarii specimine pedemontano ipsamet pubescentia congruit, praeterea cum icone *Spergulae saginoidis* Fl. ped. tab. 64. ic. 1. et cum speciminibus *Spergulae glabrae* Bertol.! ex alpibus apuanis. Talia cum *Spergula glabra* Willd. et Bertol.! consentientia specimina equidem in Sardinia non inveni. Caeterum in eodem Allionii Herbario alia *Spergulae saginoidis* specimina pedemontana sunt, caule breviore foliisque rigidioribus cum corsicis *Spergulae piliferae* speciminibus quibusdam valde consentientia. Nostra *Spergula pilifera* a *Spergula glabra* Willd. et Bertol. (*Spergula saginoide* All.) differt foliis rigidis, caulibus brevioribus ejusque articulis propioribus, caeterum inter utriusque limites inquirendum superest. Alia demum specimina *Spergulae saginoidis* All. Herbar. pertinent ad *Saginam procumbentem* nonnullaque *Saginae procumbentis* specimina spectant ad *Spergulam subulatam* Sw.

LXIX. SAGINA

Sagina Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 236. Juss. Gen. p. 300. Gaertn. Fr. 2. tab. 129. Lmck. Ill. tab. 90.

Calix 4-partitus. Petala 4, calice breviora, integra, subinde nulla. Stamina et Styli 4. Capsula in valvas 4 dehiscens, unilocularis, polysperma.

186. SAGINA PROCUMBENS

S. glaberrima; caulibus diffusis, subradicantibus; foliis aristatis; petalis calice multo brevioribus.

Sagina procumbens α. Linn. Sp. p. 185. Willd. Sp. 1. p. 718. Sering.! in DC. Prod. 1. p. 389. R. et Sch. Syst. veg. 3. p. 497.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 110. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 67. Urv. En. pl. archip. p. 18. Presl Fl. sic. 1. p. 158. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 201. et Suppl. p. 49. Tenor. Fl. nap. 3. p. 169. et Syll. p. 78. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 83. Savi Fl. pis. 1. p. 195. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 339. et Fl. ital. 2. p. 242. All.! Fl. ped. 1. p. 237. DC. Fl. fr. 4. p. 768. Lois. Fl. gall. 1. p. 118.

Ic. — Engl. bot. 13. tab. 880. Fl. dan. tab. 2103.

Alsine pusilla, graminea, flore tetrapetalo. Seg. Veron. 1. tab. 5. ic. 3.

Radix exilissima, fibrosa. Caules caepitosi, filiformes, ramosi, longitudine bi-quadriunciales, procumbentes aut decumbentes, ad nodos inferiores saepe radicantes. Folia linearia, angustissima, viridia, basi connata, ad axillas subinde fasciculata, apice aristata. Pedunculi axillares et terminales, solitarii, capillacei, uniflori, foliis multo longiores, fructiferi apice plerumque recurvi. Sepala ovata aut ovato-orbiculata, obtusiuscula, margine albo-membranacea. Petala alba, integra, calice multo breviora. Capsula ovata. Semina perexigua, subreniformia, rufa, tuberculis, oculo armato, tenuissimis aspera. Planta glabra: variat foliis ad axillas fasciculatis vel non, in ipsismet caulibus ad eumdem caespitem spectantibus.

In uliginosis maritimis Cagliari alla Maddalena et in montanis humidis Sardiniae centralis.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Burinella distesa. Budellina de' muri.*

187. SAGINA MARITIMA

S. glaberrima, erecta ascendensve; foliis muticis; petalis obsoletis.

Sagina maritima Don. Hort. sicc. brit. n.° 155. Sm. Engl. Flor. 1. p. 210. Hook. Brit. Flor. (ed. 2.) p. 78.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 31. tab. 2195. Fl. dan. tab. 2104. (*foliis infimis haud lineari-spathulatis*).

Radix fibrosa, exilissima. Caules ex eadem saepe radice plures, filiformes, simplices aut ramoso-dichotomi, quorum centrales erecti, laterales ascendentes aut diffusi, unciam unam, duas et semis longi. Folia crassiuscula, viridia, basi connata ibidemque albo-membranacea, apice oculo armato brevissime mucronulata, non aristata, radicalia et infima versus apicem paullulum latiora, unde fere lineari-spathulata aut anguste lineari-lanceolata, superiora linearia sensimque minora. Pedunculi axillares et terminales, solitarii, capillacei, uniflori, foliis multo longiores, fructiferi erecti aut apice vix inflexi. Sepala ovato-oblonga, obtusiuscula, margine membranacea. Petala, apud nos, nulla. Stamina quatuor. Capsula calice vix brevior, in valvas quatuor dehiscens.

In pratis humentibus Arcuentu: 600 metr. circiter supra maris superficiem. Fl. majo. ①

Obs. Planta glaberrima, foliis crassiusculis, inferioribus praesertim latioribus, numquam aristatis, nec basi ciliatis, a *Sagina apetala,* cui praecipue affinis, plane differt.

188. SAGINA APETALA

S. caulibus ascendentibus erectisve, superne pedunculis calicibusque puberulis; foliis aristatis, basi ciliatis; petalis minimis obsoletisve.

Sagina apetala Linn. Mant. alt. p. 559. Willd. Sp. 1. p. 719. R. et Sch. Syst. 3. p. 498. Sering. in DC. Prod. 1. p. 389.

Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 202. Tenor. Fl. nap. 3. p. 170. et Syll. p. 78. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 83. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 130. et Fl. ital. 2. p. 243. All.! Fl. ped. 1. p. 237. DC. Fl. fr. 4. p. 769. Lois. Fl. gall. 1. p. 118.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 13. tab. 881. Fl. dan. tab. 2102.

Alsine minima, exilissima, angustissimo folio, muscosa. Bon. tab. 91.

Radix fibrosa, exilis. Caules graciles, erecti, ascendentes diffusive, semiunciales, triunciales, plerumque dichotomi, inferne raro, superne saepissime puberuli, pilis brevissimis, patentibus, apice glan-

duliferis. Folia linearia, angustissima, basi connata et saepe ciliata, apice setigera. Pedunculi axillares, solitarii, capillacei, foliis multo longiores, hispido-puberuli, fructiferi erecti aut vix apice recurvi. Sepala ovato-oblonga, obtusiuscula aut acuta, modo glabra, modo puberula, margine albo-membranacea. Petala exigua aut nulla. Capsula oblonga, in valvas quatuor dehiscens. Semina subreniformia, perexigua, rufa, oculo armato, punctis tenuissimis obsita, dorso sulcata.
Ad vias et in pascuis arenosis, maritimis et in montanis.
Fl. martio, majo. (1)

SECTIO III.

ELATINEAE

Calix profunde 3-4-partitus, patens. Capsularum dissepimenta valvis alterna.

LXX. ELATINE

Elatine Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 685. Juss. Gen. p. 300. Gaertn. Fr. 2. tab. 112. Lmck. Ill. tab. 320.

Calix 3-4-partitus. Petala 3-4. Stamina petalis numero aequalia duplave. Styli 3-4, apice capitati. Ovarium orbiculatum, depressum. Capsula 3-4-valvis, 3-4-locularis, polysperma. Semina teretia, arcuata, rugoso-striata.

189. ELATINE HYDROPIPER pedunculata

E. foliis oppositis, inferioribus longe petiolatis; pedunculis axillaribus alternis, plerisque folio valde longioribus; floribus octandris, tetrapetalis; seminibus in semicirculum convolutis.
Ic. — Tab. xx. ic. 2.

Radices fibrosae, capillaceae, longae. Caules prostrati subindeve ascendentes, basi radicantes, ramosi, uni-triunciales. Folia opposita, uninervia, oblonga aut spathulata, obtusa, glabra, verruculis, oculo armato, asperula, inferiora longe petiolata, superiora fere sessilia. Stipulae ovato-acutae, membranaceae, pellucidae, exiguae. Pedunculi axillares, filiformes, solitarii, uniflori, alterni, inferiores foliis sesqui- duplove longiores, superiores foliis vix longiores subindeve paullo breviores aut

aequales. Calix persistens, virens, laciniis quatuor, ovatis, obtusis. Petala quatuor, subrotunda, alba, calice paullo breviora eidemve aequalia. Capsula orbiculata, depressa, in centro umbilicata, verruculis asperula, glabra, quadrilocularis, quadrivalvis. Semina cinereo-rufa, teretia, instar ferri equini egregie convoluta, juxta longitudinem striata, inter strias transverse tenuissimeque rugosa. Planta glabra, tenera.

In udis maritimis.

Fl. a martio ad majum. ①

Obs. Stirps cum *Elatine hydropipere α.* Linn. Sp. p. 527. (*exclus. exclud.*) Mertens et Kock Deutschl. fl. 3. p. 66. Hook Brit. Fl. (ed. 2.) p. 184. (non DC. nec Sm.). *Hydropipere* Buxb. Cent. 2. tab. 37. ic. 3. partium magnitudine, habitu, floribus quadrifidis seminumque forma plane congruens, nec diversa nisi pedunculis folio longioribus. Huccine *Elatine macropoda* Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 475.? Ab *Elatine tripetala* Sm. Engl. fl. 2. p. 243. *Elatine hexandra* DC. Ic. pl. rar. 1. tab. 43. ic. 1. Reich. Iconogr. Cent. 5. tab. 413. ic. 599. traditis characteribus, praesertim vero seminibus instar ferri equini omnibus constanterque convolutis, nostra prorsus differt.

ORDO XIV.

MALVACEAE

Malvaceae Bartl. Ord. nat. p. 344.

Calix persistens, 3-5-fidus aut partitus (lobis aestivatione valvatis), plerumque involucratus. Petala saepe 5, calicis lobis alterna, aequalia, ima basi inter se staminumque tubo plerumque cohaerentia, per aestivationem in spiram convoluta. Stamina monadelpha, antheris unilocularibus, pollinis granulis hispidis. Ovella plura: styli distincti aut connati et stigmata tot quot ovella. Carpelli vel subliberi mono-dispermi, circa axim e toro exsertum saepe verticillati, raro in capitulum aggregati; vel in capsulam multilocularem, multivalvem (raro subbaccatam) coaliti, mono-polyspermi, uniloculares, suturave introflexa interdum subbiloculares. Semina carpellorum angulo centrali affixa, epidermide pilosa saepe obducta. Albumen nullum,

aut, raro, parcissimum. Embryo rectus, cotyledonibus contortuplicatis. — Herbae aut frutices (apud nos). Folia saepe palmatinervia. Stipulae liberae. Pubes plerumque stellata.

GENERA MALVACEARUM

LXXI. MALOPE. Calix involucro triphyllo cinctus. Carpelli plurimi, 1-spermi, in capitulum incomposite aggregati.

LXXII. MALVA. Calix involucro triphyllo cinctus. Carpelli plures, 1-spermi, circa axim verticillati.

LXXIII. LAVATERA. Calix involucro trifido aut tripartito cinctus. Carpelli plures, 1-spermi, circa axim verticillati.

LXXIV. ALTHAEA. Calix involucro, 7-9-fido cinctus. Carpelli plures, 1-spermi, circa axim verticillati.

+ HIBISCUS. Calix involucro polyphyllo cinctus. Capsula 5-locularis, 5-valvis, polysperma, valvis intus medio septiferis.

+ GOSSYPIUM. Calix involucro trifido, inciso-dentato magnoque cinctus. Capsula 3-5-locularis, 3-5-valvis, polysperma. Semina lanigera.

LXXI. MALOPE

Malope LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 1136. JUSS. Gen. p. 272. CAVAN. Diss. 2. p. 84. DC. Prod. 1. p. 429. LMCK. Ill. tab. 583. Malacoides TOURN. Inst. tab. 25.

Calix 5-fidus, cinctus involucro triphyllo, foliolis cordatis. Carpelli plurimi, monospermi, in capitulum incomposite aggregati.

190. MALOPE MALACOIDES

M. foliis ovatis oblongisve, crenatis; stipulis lanceolatis ovatisve; pedunculis axillaribus, unifloris.

Malope malacoides LINN. Sp. p. 974. WILLD. Sp. 3. p. 799. DC.! Prod. 1. p. 429. DESF. Fl. atl. 2. p. 120. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 47. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 199. PRESL Fl. sic. 1. p. 173. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 350. Suppl. p. 219. et Pl. rar. p. 288. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 335. SAVI Due Cent. Fl. etr. p. 123. DC. Fl. fr. 4. p. 827. LOIS. Fl. gall. 2. p. 97.

Ic. — CAVAN. Diss. 2. tab. 27. ic. 1.

Malva Betonicae folio Bocc. Sic. tab. 8. ic. 2. Moris. Hist. sect. 5. tab. 17. ic. 11. (*a* Boccone *deprompta sed minus bona*).

Alcea Betonicae folio, flore purpuro-violaceo Barr. Ic. tab. 1189. (*stipulae desunt*).

β. lobata, foliis caulinis trifidis aut tripartitis.

Ic. — Cavan. l. c. tab. 27. lit. x.

Radix lignosa, crassa, multiceps. Caules ex eodem caespite plures, erecti vel ascendentes, subquadranguli, saepe purpurascentes, glabri aut pilis longiusculis, rigidulis, sparsis praediti, longitudine palmares, pedales. Folia inaequaliter crenato-dentata, glabra aut pilis raris, margine et subtus hirsuta, ovata aut oblonga subindeve nonnulla cordata, basi tri-quinquenervia, apice obtusa, superiora raro acutiuscula, radicalia longius petiolata, caulina infima in β sinuato-lobata aut trifida, superiora tripartita, partitionibus oblongis aut lineari-lanceolatis, obtusis aut acutiusculis. Petioli superne canaliculati, glaberrimi aut hirsutiusculi. Stipulae modo anguste lineari-lanceolatae, modo lanceolatae atque latiusculae, nonnumquam ovato-acutae, superiores interdum cordatae, integrae aut vix dentatae crenataeve, pilis raris longiusculis, rigidis interdum fere ciliatae. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, glabri parceve hirsuti, folio longiores. Calix quinquefidus, laciniis hirsutis, lanceolatis: involucri foliola tria, cordata hirsutaque, calice breviora. Petala cuneiformia, truncata, erosa, calice duplo et ultra longiora, rosea striisque quinque, sex, purpurascentibus, juxta longitudinem picta. Styli apice arcuatim patuli. Carpelli obovati, plurimi, juxta longitudinem rugoso-sulcati, glabri, in capitulum aggregati.

Variat stipulis (tum in plantis eodem in loco crescentibus, tum in caulibus ad eumdem caespitem spectantibus), modo lineari-lanceolatis, $1/2$ lineam latis; modo lanceolatis aut ovato-lanceolatis vel ovato-acutis, 1-2-lineas latis; modo inferioribus lanceolatis, superioribus ovato-acutis seu interdum cordatis. Variat insuper foliis ovatis, ovato-oblongis oblongisve, quatuor-quindecim lineas latis. *Malope stipulacea* et *Malope trifida* DC. Herbar. a quibusdam nostris *Malopes malopoidis* speciminibus non differunt.

In pascuis circa Siliqua et in sylvestribus calcareis Arcidano: non ultra 600 metr. supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ♃

LXXII. MALVA

Malva Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1134. Juss. Gen. p. 272. Cavan. Diss. 2. p. 58. DC. Prod. 1. p. 430. Tourn. Inst. tab. 24. Lmck. Ill. tab. 582. Gaertn. Fr. tab. 136.

Calix 5-fidus, cinctus involucro triphyllo. Carpelli plures, 1-spermi, circa axim verticillati.

191. MALVA ALCEA

M. caulibus hirtis, inferne glabris; foliis pubescentibus, infimis subquinquelobis angulatisve, crenatis, supremis tri-quinquepartitis, inciso-dentatis; pedunculis axillaribus, solitariis, unifloris; involucri foliolis ovatis; corolla calicem duplo triplove superante; carpellis glabris.

Malva Alcea Linn. Sp. p. 971. Willd. Sp. 3. p. 790. DC.! Prod. 1. p. 432. Tenor. Fl. nap. 2. p. 109. et Syll. p. 335. All.! Fl. ped. 2. p. 41. DC. Fl. fr. 4. p. 829. Lois. Fl. gall. 2. p. 95.

M. alceoides Tenor. Fl. nap. 2. p. 109. ex Syll. l. c.

M. Morenii Pollin.! Fl. veron. 2. p. 437.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 17. ic. 2. Fl. dan. tab. 1882. Tenor. Fl. nap. tab. 64. Pollin. Fl. veron. 2. tab. 3. ic. 6. Iconogr. taurin. 5. tab. 68.

Alcea vulgaris Dod. Pempt. p. 656. ic. 2. ✦ Lob. Obs. p. 374. ic. 3. ✦ et Icon. tab. 655. ic. 2. ✦

Alcea Fuchs. Hist. p. 80. ic. ⩑

A. veteribus J. Bauh. Hist. 2. p. 953. ic. 2. ⩑ Chabr. Sciagr. p. 299. ic. 5. ⩑ (*foliis inferioribus profundius divisis*).

(Alcea Math. Valgr. p. 927. ic. *foliorum divisionibus omnibus aequabiliter lanceolatis et ad petiolum usque pertingentibus a nostra planta recedit.*)

Caulis erectus, teretiusculus, ramosus, inferne glaber, superne sensim magis stellato-hirtus, longitudine tri-quadripedalis. Folia subtus praesertim stellato-pubescentia ibidemque pallentia aut fere canescentia, inferiora subrotunda, crenata, quinquangularia aut obtuse quinqueloba, caetera sensim profundius lobata, superiora tri- vel

saepe quinquefida aut quinquepartita, laciniis ovato-acutis aut cuneato-lanceolatis, inciso-serratis; floralia summa in bracteas lanceolatas abeuntia. Stipulae lanceolatae. Pedunculi foliis longiores, axillares terminalesque. Involucri foliola ovata aut elliptica, acuta calicisque divisiones triangulares, stellato-hirta. Petala emarginata denticulataque, rubella, calicem duplo triplove superantia. Carpelli glabri. — Variat foliis praesertim inferioribus plus minusve profunde divisis.

In montanis rupestribus Barbargie, Desulo: usque ad 1400 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio, julio. ♃

Obs. Malvae Morenii specimina veronensia a POLLINIO cum *Malvae Alceae* sardois plerisque speciminibus adamussim congruunt.

192. MALVA ALTHAEOIDES

M. hirsuta; foliis infimis crenatis, angulatis obtuseve 5-7-lobis, summis 3-5-partitis sectisve, serratis; pedunculis axillaribus, solitariis, unifloris; involucri foliolis linearibus; corolla calicem acuminatum vix superante; carpellis glabris.

Malva althaeoides CAVAN. Diss. 2. p. 30. WILLD. Sp. 3. p. 784. DC.! Prod. 1. p. 432.

SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 44. et Fl. graec. 7. p. 59. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 197. PRESL Fl. sic. 1. p. 173. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 336. FIORINI App. ad Fl. rom. Prod. p. 18.

M. cretica CAVAN. Diss. 2. p. 67. WILLD. Sp. 3. p. 785. DC. Prod. 1. p. 431. GUSS. Pl. rar. p. 284. Fl. sic. Prod. 2. p. 326. et Suppl. p. 218. TENOR. Fl. nap. 2. p. 106.

M. hirsuta TENOR. Fl. nap. Prod. p. 40. ex clar. TENOR. Syll. l. c. non VIV.

Ic. — CAVAN. Diss. 2. tab. 135. Fl. graec. 7. tab. 664.

Radix tereti-fusiformis, fibras laterales emittens. Caules ex eadem radice saepe plures, erecti, ascendentes vel decumbentes, teretiusculi, aetate plerumque rubentes, longitudine palmares, bipedales. Folia facie viridia, subtus pallescentia, inferiora crenata, subrotunda, obtuse angulata aut quinque-septemloba, lobis rotundatis, media

lobis profundioribus, basi cuneatis, obtusis, superiora profunde tri-quinquepartita aut secta, segmentis serratis, oblongo-lanceolatis, acutiusculis. Petioli superne leviter sulcati. Stipulae ovato-acutae, ovato-lanceolatae vel lanceolatae, tenuiter subserratae. Pedunculi folio multo longiores. Involucri foliola anguste linearia, mediam scilicet circiter lineam lata, acutissima, calice duplo breviora. Calix quinquepartitus, laciniis lanceolato-acuminatis, nervosis, stellatim demum patentibus. Petala cuneata, calice plerumque vix longiora, rosea venisque longitudinalibus purpurascentibus picta, apice eroso-denticulata. Antherae pallide roseae, mox coerulescentes: pollen globulosum, album. Carpelli glabri, transverse rugulosi.

Planta hirsuta: pilis patentibus, setosis basique callosae insidentibus, aliis solitariis, aliis binis ternisve fasciculatis, in foliorum utraque pagina minus rigidis et subadpressis.

In campis maritimis Tortolì; in collinis rupestribus litoreis monte Cea et circa la Tanca della Torre di S. Gimiliano, Barì.

Fl. aprili, majo. ①

193. MALVA SYLVESTRIS

M. caule erectiusculo, hirsuto; foliis 5-7-lobis, inferioribus cordato-orbiculatis, crenatis, superioribus basi subtruncatis cuneatisve, dentatis; pedunculis axillaribus, aggregatis, unifloris; petalis bilobis, calice triplo- quadruplove longioribus; carpellis glabriusculis, ruguloso-reticulatis.

Malva sylvestris Linn. Sp. p. 969. Willd. Sp. 3. p. 787. DC. Prod. 1. p. 432. Viv. Fl. cors. Diagn. p. 12. et Fl. lyb. Spec. p. 39. Forsk. Florul. melit. in Fl. aegypt.-arab. p. xiv. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 28. Desf. Fl. atl. 2. p. 115. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 45. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 197. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 333. Tenor. Fl. nap. 2. p. 108. et Syll. p. 336. Savi Fl. pis. 2. p. 125. et Bot. etr. 2. p. 73. All.! Fl. ped. 2. p. 40. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. DC. Fl. fr. 4. p. 829. Lois. Fl. gall. 2. p. 94.

Ic. — Engl. bot. 10. tab. 671. Fl. dan. tab. 1223. Bull. Herb. tab. 225. Iconogr. taurin. 29. tab. 47.

Malva sylvestris, elatior Fuchs. Hist. p. 509. ic.

* *canescens*, foliis molliter stellato-pubescentibus, junioribus canescentibus. Malva sylvestris *canescens* Cambess. En. pl. balear. p. 53.

Radix tereti-fusiformis. Caules teretiusculi, erecti vel decumbentes, ramosi, pedales, tripedales. Folia 5-7-loba, juxta nervos vix pilosa, facie viridia, subtus pallentia, in varietate *canescente* utrinque pubescentia et fere canescentia, basi ubi petiolus in nervos palmatim dividitur macula atro-purpurea notata, inferiora cordato-orbiculata, crenata, lobis rotundatis, obtusis, caetera lobis ovatis, sensim profundius divisis, summa basi truncata aut cuneata, lobis acutis. Petioli vel ad alterum dumtaxat latus vel undique pilosi, in varietate praesertim *canescente*. Stipulae membranaceae, subovatae, obtusae acutaeve, saepe inaequaliter denticulatae atque ciliatae, superiores interdum fere ovato-lanceolatae. Pedunculi axillares, aggregati, longiusculi, inferiores petiolo breviores. Involucri foliola oblonga vel oblongo-lanceolata, obtusa aut acuta, calice paullo breviora. Calicis divisiones triangulares, acutae. Petala purpurascentia venisque purpureis longitudinalibus notata. Carpelli ruguloso-reticulati, glaberrimi aut pilis vix ullis praediti.

In arvis et in ruderatis.

Fl. martio, majo. (1) et (2)

Ital. *Malva salvatica, ordinaria di fior rosso grande.*

Vern. m. *Narbedda.* — Vern. s. *Narbuzza.* — Macomer *Pramuzza.*

Emolliens et laxans uti caeterae congeneres.

194. MALVA MAURITIANA

M. caule erectiusculo, virgato, inferne laevi; foliis obsolete obtuseve 5-lobis, cordato-orbiculatis, crenatis, superioribus basi subtruncatis cuneatisve, dentatis; pedunculis axillaribus, aggregatis, unifloris; petalis bilobis, calice quadruplo longioribus; carpellis glabris, ruguloso-reticulatis.

Malva mauritiana Linn. Sp. p. 970. Willd. Sp. 3. p. 787. DC.! Prod. 1. p. 432. M. mauritanica Spr. Syst. veg. 3. p. 90.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 25. ic. 2.

Caule virgato simplicique (apud nos), a medietate ad basim glabro

et laevi; foliis tenerioribus, omnibus praeter suprema obsolete obtuseque quinquelobis; floribus vivide purpureis, differt a praecedente. Num ejus varietas?

Ad sepes et dumeta Cuglieri, Gonnessa.

Fl. aprili, majo. (1) et (2)

Congruit planta nostra cum *Malva mauritiana* DC. Herbar. et Auct., nec differt nisi petiolis pedunculis calicibusque pilosiusculis.

195. MALVA NICAEENSIS

M. erecta diffusave; foliis cordato-orbiculatis, obtuse angulatis lobatisve, dentato-crenatis, superiorum lobis acutis; pedunculis axillaribus, aggregatis, unifloris; involucri foliolis oblongo-lanceolatis; petalis calice duplo longioribus; carpellis rugosis, glabris hirsutisve.

Malva nicaeensis All. Fl. ped. 2. p. 40. Willd. Sp. 3. p. 785. DC.! Prod. 1. p. 433. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 328. et Suppl. p. 219. Tenor. Fl. neap. Prod. App. 5. p. 20. et Syll. p. 336. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 18. DC. Fl. fr. 4. p. 828. Lois. Fl. gall. 2. p. 94.

M. parviflora β. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 197.

M. arvensis Presl Delic. Prag. p. 28. et Fl. sic. 1. p. 176.

M. montana Forsk. Fl. aegypt.-arab. p. CXV. et p. 124. ex Willd.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 25. ic. 1.

Radix tereti-fusiformis, inferne ramosa fibrosaque: caules ex eadem radice unicus vel plures, prostrati, decumbentes vel erecti, teretiusculi, simplices ramosive, plus minusve pilosi hirsutive, inferne saepe glabri. Folia cordato-orbiculata, crenato-dentata, inferiora obsolete 5-7-loba, superiora plus minusve acute quinqueloba. Petioli pilis sparsis, aut interno tantum latere pilosi. Stipulae scariosae, nervosae, subovatae, integrae aut subserratae. Flores axillares 2-6, pedunculis pilosis, demum paullulum productis, semiuncialibus, subaequalibus, fructiferis divergentibus aut declinatis. Involucri foliola oblonga vel oblongo-lanceolata, lineam unam circiter lata, calice paullo breviora. Calix quinquefidus, laciniis triangularibus, acutis, fructifer auctus, margine saepe inaequaliter denticulatus. Petala emarginata, rubella, venis tribus longitudinalibus, purpureis picta, calice duplo aut fere duplo longiora. Carpelli rugosi.

Planta semipedalis, sesquipedalis variat foliis glabriusculis, molliter pubescentibus et hirsuto-scabris, carpellis glabris, pilosis et tomentoso-hirsutis. Quamobrem varias species mentitur: constantes autem specifici characteres e corolla, calicis involucro et carpellis rugosis deprompti, singulis pariter varietatibus competunt. Carpellis constanter rugosis et involucri foliolis oblongis aut oblongo-lanceolatis a *Malva rotundifolia* Linn. differt.

Ad vias, in campis et in ruderatis maritimis submontanisque Sardiniae et insulae Tavolara.

Fl. aprili, junio. (1)

Vern. m. *Narbedda.* — Alghero *Varmucia.*

Obs. *Malva nicaeensis* in Allionii Herbario, nomine *Malvae parviflorae* et *Malvae rotundifoliae* exstat, harum speciminibus confusa. *Malva nicaeensis* Herbarii Bellardi qui primus eam ex Allionio in agro nicaeensi reperit, cum *Malva nicaeensi* nostra congruit.

196. MALVA PARVIFLORA

M. erecta diffusave; foliis cordato-orbiculatis, obtuse angulatis lobatisve, crenato-dentatis, superiorum lobis acutis; pedunculis axillaribus, aggregatis, unifloris; involucri foliolis anguste linearibus; petalis calicem vix superantibus; carpellis rugosis, glabris hirsutisve.

Malva parviflora Linn. Sp. p. 969. Willd. Sp. 3. p. 785. DC. Prod. 1. p. 433. Desf. Fl. atl. 2. p. 116. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 52. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 44. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 197. α. Presl Fl. sic. 1. p. 176. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 326. et Suppl. p. 218. Tenor. Fl. nap. 2. p. 107. et Syll. p. 337. All.! Fl. ped. 2. p. 40. DC. Fl. fr. 4. p. 828. Lois. Fl. gall. 2. p. 94.

M. mareotica DC.! Prod. 1. p. 433.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 26. ic. 1. Jacq. Hort. vind. 1. tab. 39. Iconogr. taurin. 36. tab. 89.

Differt a praecedente petalis calicem vix superantibus, calicibus fructiferis demum magis patentibus aut minus conniventibus, potissimum vero involucri foliolis in ipsamet luxuriante planta constantissime, apud nos, anguste linearibus, nec oblongis aut oblongo-

lanceolatis, tertiam lineae partem aut vix mediam lineam, nec lineam latis. Caeterum variat perinde ac *Malva nicaeensis*, statura, caulibus erectis vel prostratis; foliis glabriusculis vel molliter pubescentibus aut subtus stellato-tomentosis; carpellis glaberrimis aut tomentoso-hirsutis; floribus praeterea interdum albis. Carpellis praesertim rugosis, differt a *Malva rotundifolia* LINN.

In ruderatis, in campis maritimis et submontanis Sardiniae et insularum Tavolara et Asinara.

Fl. aprili, junio. ①

Vern. m. *Narbedda.* — Vern. s. *Narbuzza.* — Alghero *Varmucia.*

Obs. Malva mareotica DC. Prod. ex specimin. Herbarii BALBIS ex quibus descripta atque ex illis Herbarii Horti R. taurinensis unde BALBISII specimina deprompta sunt, certe ad *Malvam parvifloram* spectat.

LXXIII. LAVATERA

Lavatera LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 1133. JUSS. Gen. p. 272. CAVAN. Diss. 2. p. 86. DC. Prod. 1. p. 438. DILL. Gen. tab. 10. LMCK. Ill. tab. 582. GAERTN. Fr. tab. 136.

Calix 5-fidus, involucro 3-fido 3-partitove cinctus. Carpelli plures, 1-spermi, circa axim verticillati.

197. LAVATERA CRETICA

L. caule herbaceo, hispido-scabro; foliis inferioribus cordato-orbiculatis, obtuse 5-7-lobis, crenatis, superioribus quinquelobo-angulatis; pedunculis axillaribus, unifloris, aggregatis; petalis emarginato-bifidis, corolla duplo quadruplove longioribus.

Lavatera cretica LINN. Sp. p. 973. WILLD. Sp. 3. p. 796. DC.! Prod. 1. p. 439. VIV. Fl. cors. Diagn. 1. p. 11. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 97. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 47. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 346. et Suppl. p. 219. TENOR. Fl. nap. 2. p. 112. et Syll. p. 338. LOIS. Fl. gall. 2. p. 96.

L. sylvestris BROT.! Fl. lus. 2. p. 277. DC.! Prod. 1. p. 440. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 345. et Suppl. p. 219.

L. neapolitana TENOR.! Fl. nap. 2. p. 113. et Syll. p. 338. DC.! Prod. 1. p. 439. VIV. Fl. cors. Diagn. p. 11. GUSS. Pl. rar. p. 288. LOIS. Fl. gall. 2. p. 96.

L. sicula TIN. Pl. rar. Sicil. Pug. 1. p. 14.

Anthema scabra et Tenoreana Presl Fl. sic. 1. p. 181.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 32. ic. 1. Jacq. Hort. vind. 1. p. 15. tab. 41. Tenor. Fl. nap. tab. 65.

Malva indica, hirsuta, florum petalis bifidis. Moris. Hist. sect. 5. tab. 17. ic. 5.

* *tomentosa*, foliis, involucris calicibusque tomentosis.

Radix longa, inferne ramosa fibrosaque. Caules ex eadem radice unicus aut plures, pedales, quadripedales, teretiusculi, saepe ramosi, erecti vel ascendentes, laterales interdum decumbentes. Folia pilis stellatis plus minusve pubescentia, subindeve tomentosa, inferiora cordato-orbiculata, crenata, obsolete obtuseque lobata, superiora acute quinqueloba, angulata, dentata, basi vix cordata, saepissime truncata, lobo intermedio lateralibus plus minusve longo. Stipulae ovato-lanceolatae, superiores saepe lanceolatae. Pedunculi axillares, 2-7, aggregati, breves, inaequales, fructiferi saepe divergentes aut deflexi. Involucrum stellato-pubescens, aut tomentosum, trifidum, lobis ovato-triangularibus aut ovato-ellipticis, longitudine calicem floriferum subaequantibus, fructifero brevioribus, duas circiter aut tres lineas demum latis. Calix quinquefidus, laciniis acutis aut plerumque plus minusve acuminatis. Petala rosea, venis tribus juxta longitudinem purpurascentibus aut pallide violaceis picta, emarginato-bifida, calice duplo, saepe triplo, interdum quadruplo longiora. Carpelli in utraque varietate vel glabri vel tomentoso-pubescentes, dorso rugoso-reticulati, latere utroque rugoso-striati. Receptaculum conicum, non exsertum, in cristas laterales, breves, tot quot carpelli, abiens.

Ad vias et in campis Sardiniae insularumque adjacentium locis maritimis et submontanis, frequens. Var. *tomentosa* in apricis potissimum et arenosis maritimis.

Fl. martio, junio. ① ②

Vern. *Narba. Narbedda.*

Frequentissime adhibetur ad decocta emollientia vel emplastra conficienda.

Obs. Color obscure, nec glauco-virescens; caules in fertilibus bi-tripedales, nec orgyales; folia inferiora et media septemloba, nec quinqueloba; adpresse subsericeo-pubescentia, nec hirsuta; superiora basi subcordata, non truncata, lobis subaequalibus, intermedio non multo sed parum majore; corollae vividius coloratae caliceque non duplo sed triplo longiores, calicis laciniae obtusiusculae cum acumine vel acutae et obsolete nervosae, non acuminatae et

eximie nervosae, incerti et varii meo quidem judicio sunt characteres quibus *Lavatera sylvestris* a *Lavatera cretica* distingui tradita est: color enim glauco-virens ipsismet plantis inest, quae ob folia tomentosa atque obtusius et aequalius lobata ad *Lavateram sylvestrem* spectant: specimina occurrunt foliis obtusius et aequalius lobatis ad *Lavateram sylvestrem*, calicibus autem pubescentibus, non tomentosis, foliis leviter hirsutis, non subsericeo-tomentosis, ad *Lavateram creticam* pertinentia. Alia specimina folia superiora referunt acutius quidem angulato-lobata, lobo intermedio majore longioreque, sed subsericeo-tomentosa nec leviter hirsuta sunt. Numerus loborum certe ita variat ut character erui nequeat quo alia stirps ab alia distinguatur. Longitudo, acuties vel acumen quae laciniae calicis offerunt, reticulus nervosus quem in fructu praebent, proportiones inter calicis et involucri longitudinem, inter longitudinem calicis et corollae, hujus color plus minusve vividus, res pariter variae et infidae sunt. Corollam calice triplo longiorem ipsamet offert icon Morisoni ad *Lavateram creticam* ab omnibus Auctoribus relata: in speciminibus ob foliorum formam ad *Lavateram creticam* spectantibus, corollam calice fere quadruplo longiorem vidi: alia accedunt inter *Lavateram creticam* et *Lavateram sylvestrem* intermedia, quae quidem dubius fueris ad quamnam referas quaeque ad utramque aequo jure spectare queunt. Haec etiam specimina memorat praestantissimus Gussone in Fl. sic. Prod. Suppl. p. 219. Planta praesertim junior quae in maritimis arenosis vel in apricis crescit, prima fronte ab ea quadantenus diversa videtur quae in pinguibus et umbrosis adolevit, sed si attente utraque et gradus intermedii perpendantur, characteres quibus distinguantur constantes atque specifici non apparent, sic mihi pluries animadvertisse obtigit.

198. LAVATERA ARBOREA

L. caule arborescente; foliis subtomentosis, plicatis, inferioribus cordatis, orbiculatis, obsolete 5-7-lobis, superioribus acute angulato-lobatis; pedunculis axillaribus, unifloris, aggregatis; involucri lobis rotundatis, calicem superantibus.

Lavatera arborea Linn. Sp. p. 972. Willd. Sp. 3. p. 793. DC.! Prod. 1. p. 439. De Buch. Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 500. Desf. Fl. atl. 2. p. 118. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 46. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 339. Suppl. p. 219. et Pl. rar. p. 247. Tenor. Fl. nap. 2. p. 111. et Syll. p. 338. Maur. Rom. pl. Cent. 13. p. 34. Savi Bot. etr. 2. p. 74. et due Cent. p. 124. All.! Fl. ped. 2. p. 42. DC. Fl. fr. 4. p. 834. Lois. Fl. gall. 2. p. 95. Cambess. En. pl. balear. p. 53.

L. caule arboreo; foliis septemangularibus, tomentosis, plicatis; pedunculis confertis, unifloris, axillaribus. Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 212.

Anthema arborea Presl Fl. sic. 1. p. 180.

Ic. — Cavan. Diss. 5. tab. 139. ic. 2.

Planta orgyalis et ultra. Caules arborescentes, teretiusculi, crassi, glabri, ramosi, ramis superne pilis stellatis, pubescentibus. Folia modo tomentosa, modo molliter puberula, pallide virentia, plicata, inferiora cordata, orbiculata, ampla, obsolete 5-7-loba, lobis obtusissimis, late crenatis, superiora tri-quinquelobo-angulata, crenato-dentata. Stipulae ovato-acutae aut ovato-lanceolatae, superiores lanceolatae. Pedunculi axillares, 2-6, aggregati, uniflori, petiolo breviores, in summis autem ramis petiolo aequales longioresve racemum aemulantes. Involucrum calice florifero fructiferoque longius, lobis ovato-orbiculatis, obtusis, latis, stellato-pubescentibus. Calix quinquefidus, pilis longiusculis stellato-tomentosus, laciniis acutis. Carpelli sex-octo, dorso reticulato-rugosi, modo glaberrimi, modo tomentosi, latere utroque rugoso-striati. Receptaculum non exsertum, in cristas laterales tot quot carpelli, exiguas, breves abiens.

In maritimis rupestribus Pula, monte nieddu Bosa, insulae S. Pietro, Lungo sardo. Fl. majo, junio. ②

Ital. *Malva arborea.*

Vern. m. *Malva arburi.*

Stirps inter caeteras Malvaceas sardoas mucilagine magis abundans.

199. LAVATERA TRILOBA

L. caule fruticoso; foliis tomentoso-hirtis, cordato-orbiculatis, 5-7-lobis, crenato-dentatis, undulatis, lobis rotundatis, supremis trilobis; stipulis foliaceis, subinciso-dentatis, semiamplexicaulibus; pedunculis axillaribus, aggregatis, petiolo brevioribus; calicis involucro tripartito subtriphyllove.

Lavatera triloba Linn. Sp. p. 972. (*excl. syn.* Bauh. Pin.). Willd. Sp. 3. p. 794. DC.! Prod. 1. p. 439. et Fl. fr. 4. p. 833. Lois. Fl. gall. 1. p. 96. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 227.

L. calicina Poir. Dict. Suppl. 3. p. 310.

L. moschata Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 9.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 31. ic. 1.

Caulis tripedalis, orgyalis, teretiusculus, fruticosus, erectus, ramosus, ramis valde foliatis. Folia cordato-orbiculata, pallide virentia, crassiuscula, crenato-dentata, undulata et crispa, quinqueloba, lobis rotundatis, inferiora obsolete septemloba, suprema basi vix cordata aut cuneata, triloba, lobis subovatis. Stipulae amplae, foliaceae, semiamplexicaules, ovatae, pleraeque basi cordatae atque coalitae, saepe inciso-dentatae. Pedunculi axillares, aggregati, 3-6, interdum 8-10, uniflori, raro aliquot triflori, petiolis breviores, versus ramorum extremitatem sensim propiores et racemum aemulantes. Calicis involucrum in eadem etiam planta valde varium et inaequale, plus minusve profunde tripartitum subindeve triphyllum, partitionibus foliolisve ovato-acutis breviterve acuminatis, interdum duobus basi coalitis tertio libero aut profundius diviso aut nonnumquam evanido. Calix involucro longior, quinquefidus, laciniis acuminatis. Petala purpurascentia, venis longitudinalibus, violaceis aut purpureis picta, apice truncata, inaequaliter denticulata, circa unguem pilis longis, albis praedita, calicem subduplo superantia. Columna staminum basi pilosa, alba, filamentis inferioribus curvis, superioribus erectis, glabris, saepe rubescentibus, antheris albidis, reniformibus, polline globuloso, albo. Styli basi coaliti, virescentes, pilosi, superne liberi, glabri, plerumque rubescentes. Carpelli glabri aut pubescentes, 16-20. Receptaculum conicum, exsertum, in cristas laterales tot quot carpelli abiens.

Planta caulibus inferne hirtis glabratisve, caeterum tomentosa, pilis apice stellatis, rigidulis, inaequalibus, aliis pellucidis apice glanduliferis, intermixtis. Moschum in Sardinia redolet; haud vero e seminibus sardois in Horto botanico taurinensi nata et culta.

Ad sepes et dumeta Masu, Sestu, S. Rocco Pula.

Fl. majo. ♄

200. LAVATERA PALLESCENS

L. caule basi frutescente; foliis tomentoso-hirtis, cordato-orbiculatis, crenatis, 5-7-lobis, lobis rotundatis, supremis trilobis; stipulis fo-

liaceis semiamplexicaulibus; pedunculis axillaribus, aggregatis, unifloris, inaequalibus, petiolo brevioribus; calicis involucro tripartito subtriphyllove.

Malva Mulleri! — Mull. Pl. siccat. e Sardinia.

Caules ex eodem caespite plures, pedales, bipedales, flexuosi, basi frutescentes, erecti aut ascendentes, simplices parceve ramosi, minus foliati ac in praecedente. Folia obtuse crenata, pallidius virentia subindeve albido-flavescentia, minus crassa minusque undulata ac in *Lavatera triloba*. Stipulae integrae aut raro vix dentatae. Pedunculi in axillis aggregati, uniflori, alii brevissimi, alii longiusculi. Petala albida aut pallide rosea, calice sesquilongiora, raro duplo longiora. Carpelli 13-16. Caetera ut in *Lavatera triloba* cui valde affinis, partibus autem singulis duplo circiter minoribus caeterisque differt.

In pascuis maritimis insulae S. Pietro.
Fl. majo. ♃

201. LAVATERA OLBIA

L. caule fruticoso, superne, involucris calicibusque stellato-tomentosis; foliis sericeo-tomentosis, inferioribus quinquelobis, superioribus trilobis, lobo intermedio longo, summis oblongis indivisisque; stipulis lanceolatis; floribus axillaribus, solitariis, brevissime pedunculatis sessilibusve.

Lavatera Olbia Linn. Sp. p. 972. Willd. Sp. 3. p. 794. DC.! Prod. 1. p. 438. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 46. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 341. DC. Fl. fr. 4. p. 833. Lois. Fl. gall. 2. p. 96.

L. thuringiaca All.! Fl. ped. 2. p. 42. (*excl. syn. et icone Iconogr. taurin. ad* Lavateram trimestrem *spectante*).

Ic. — Jacq. Hort. vind. 1. tab. 73. Cavan. Diss. 2. tab. 32.

Althaea arborea, Olbiae in Gallo-provincia Lob. Adv. p. 294. ic. 1. ✣ et Icon. tab. 653. ic. 2. ✣

Althaea frutescens, folio acuto, parvo flore Moris. Hist. sect. 5. tab. 19. ic. 17. ✣ (*licet folia inferiora non quinqueloba, sed triloba*).

Caulis fruticosus, teres, erectus, ramosus, rubens, glaber, orgyalis

et ultra, superne pilis fasciculatis, remotiusculis, versus apicem sensim confertioribus tomentosus. Folia sericeo-tomentosa, facie plus minusve pallide virentia, subtus canescentia, inferiora crenato-dentata, quinqueloba, basi truncata nonnullaque vix cordata, lobis acutiusculis, intermedio paullo longiore, superiora triloba, basi cuneata, lobis acutis, intermedio multo longiore, lateralibus sensim minoribus et versum caulis apicem evanidis, foliis ibidem indivisis, oblongis, serratis. Stipulae deciduae, inferiores ovato-acutae, superiores lanceolatae. Flores axillares, solitarii, inferiores pedunculis praediti, 1 $\frac{1}{2}$ 3 lineas longis, superiores sensim brevius pedunculati, summi sessiles aut fere sessiles subindeve omnes sessiles omnesve brevissime pedunculati. Petala calice triplo quadruplove longiora, purpurascentia venisque purpureis picta, ungue piloso. Involucrum et calix longitudine subaequalia, stellato-tomentosa, laciniis triangulo-ovatis, acutis vel acuminatis. Carpelli 18-20, tomentosi. Receptaculum conicum, exsertum, tomentosum.

Ad sepes et dumeta frequens.

Fl. aprili, majo. ♄

Obs. Adultiores *Lavaterae* nostrae *Olbiae* rami, tomento patulo, minus molli minusque denso, *Lavateram hispidam* Desf. Fl. atl. tab. 171. referre videntur; specimina floribus omnibus pedunculatis, pedunculis unam tres lineas longis, accedunt ad *Lavateram unguiculatam* Desf. et DC.! : caeterum neque foliorum forma, neque tomento aliove constanti charactere ab aliis, apud nos, differunt speciminibus, quae ob flores omnes sessiles aut fere sessiles congruunt cum *Lavatera Olbia*, Olbiae lecta a clariss. Decandolle. In eadem planta flores alii sessiles, alii plus minusve breviter pedunculati deprehenduntur.

202. LAVATERA MARITIMA.

L. caule fruticoso; foliis sericeo-tomentosis, subrotundis, obtuse subquinquelobis; stipulis subulatis; pedunculis axillaribus, solitariis, unifloris, petiolo longioribus.

Lavatera maritima Gouan. Ill. p. 46. Willd. Sp. 3. p. 795. DC.! Prod. 1. p. 439. Desf. Fl. atl. 2. p. 118. All.! Fl. ped. 2. p. 43. DC. Fl. fr. 4. p. 834. Lois. Fl. gall. 2. p. 96.

Ic. — Gouan. Ill. tab. 21. ic. 2. Cavan. Diss. tab. 32. ic. 3. Iconogr. taurin. 16. tab. 19.

Althaea frutex 1. Clus. Hist. 2. p. 24. ic. 2. ✦ Lob. Icon. tab. 654. ic. 1. ✦ Moris. Hist. sect. 5. tab. 19. ic. 1.

A. arborescens C. Clusii Lob. Obs. p. 373. ic. 2. ✦ Tabern. Kraüt 2. p. 1153. ic. ✦ J. Bauh. Hist. 2. p. 950. ic. 1. ✦ Chabr. Sciagr. p. 301. ic. 1. ✦

Frutex bi-quadripedalis. Caulis teres, erectus, ramosus, inferne glabratus, epidermide fusco-cineracea. Rami adulti versus apicem, juniores undique fere tomentosi. Folia subrotunda, sericeo-tomentosa, crenato-dentata, cana vel facie interdum cineraceo-virentia, in ramis junioribus latiora, inferiora vix aut neutiquam lobata, caetera breviter obtuseque quinqueloba subindeve superiora triloba, omnia basi truncata seu ex infimis aliquot vix cordata. Petioli tomentosi, foliis paullo breviores aut aequales. Stipulae lineari-subulatae, cito deciduae. Pedunculi tomentosi, axillares, solitarii, uniflori, petiolo longiores. Involucrum tomentosum, profunde trifidum, laciniis ovato-lanceolatis, calice florifero, paullo, fructifero multo brevioribus. Calix tomentosus, quinquefidus, laciniis triangulo-acutis vel acuminatis. Petala cuneata, integra aut denticulata, pallide rosea, ungue purpureo. Columna staminifera, purpurea. Antherae albae, mox flavescentes. Styli purpurascentes. Carpelli 10-12, nigri, glabri, dorso rugosi, margine utroque acuto, facie utrinque rugoso-striati. Receptaculum in cristas laterales tot quot carpelli abiens. — Pili totius plantae stellati.

Inter rupium fissuras Domus de Medusa Samugheo, et montis nieddu Bosa. Fl. majo, junio. ♄

203. LAVATERA TRIMESTRIS

L. caule herbaceo, hirsuto; foliis puberulis, cordatis, inferioribus orbiculatis, crenatis, superioribus angulatis, subtrilobis; pedunculis axillaribus, solitariis, unifloris, petiolo longioribus; carpellis axis orbiculo tectis.

Lavatera trimestris Linn. Sp. p. 974. Willd. Sp. 3. p. 797. DC.! Prod. 1. p. 438. Desf. Fl. atl. 2. p. 119. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 51. Guss. Fl. sic. Prod.

2. p. 349. et Suppl. p. 219. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 337. ALL.! Fl. ped. 2. p. 42. LOIS. Fl. gall. 2. p. 96.

L. grandiflora MOENCH. Meth. p. 614. PRESL Fl. sic. 1. p. 179.

Stegia Lavatera DC. Fl. fr. 4. p. 836.

Ic. — JACQ. H. vind. 1. tab. 72. CAVAN. Diss. 2. tab. 31. ic. 1. LMCK. Ill. tab. 582. ic 2. Iconogr. taurin. vol. 14. tab. 67. vol. 17. tab. 87. et vol. 21. tab. 87.

Malva trimestris CLUS. Hist. 2. p. 23. ic. 2. ✦

M. minor, variis fol. BARR. Ic. tab. 1201. (*minus bona*).

Malvae trimestris, flore cum unguibus purpureis. J. BAUH. Hist. 2. p. 950. ic. ✦

M. sylvestris, pulchra alia species, flore lunato. CHABR. Sciagr. p. 298. ic. 4. ✦

Radix tereti-fusiformis. Caulis pedalis, bipedalis, teretiusculus, simplex vel saepe ramosus, pilis solitariis aut raro aliquot fasciculatis, deflexis, basi callosae insidentibus hirsutus. Folia virentia, juniora subtus interdum fere canescentia, inferiora orbiculata, crenata, media angulata vel obsolete lobata, angulis lobisve tribus aut saepe quinque, superiora dentata, angulata aut saepe triloba, lobo medio plerumque longiore, omnia pilis brevissimis, simplicibus et, subtus potissimum, stellatis, plus minusve pubescentia. Stipulae ovato-acutae, pubescentes, caducae, superiores lanceolatae et nonnumquam bifido-dentatae. Pedunculi hirsuti, axillares, solitarii, uniflori, petiolo longiores, in summitate ramorum sensim propiores, racemosi. Involucrum stellato-pubescens, semitrifidum, lobis integris vel crenato-dentatis seu interdum lobulatis. Calix stellato-pubescens, quinquefidus, involucro longior, laciniis ovato-lanceolatis, acutis. Petala cuneata, subemarginata, pallide rosea, venis longitudinalibus purpurascentibus picta, calicem triplo quadruplo et ultra superantia. Axis fructus in cristas laterales tot quot carpelli abiens, apice in operculum orbiculatum expansus. Carpelli operculo tecti, transverse rugoso-striati, glabri. — Folia glabra ut LINNAEUS in plantae diagnosi memorat, numquam vidi.

Ad margines agrorum Iglesias, Samassi, Serrenti, Morgongiori.

Fl. majo, junio. ①

LXXIV. ALTHAEA

Althaea Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1132. Juss. Gen. p. 272. Cavan. Diss. 2. p. 97. DC. Prod. 1. p. 436. Gaertn. Fr. 2. tab. 136. Lmck. Ill. tab. 581.

Calix 5-fidus, cinctus involucro 7-9-fido-partitove. Carpelli plures, 1-spermi, circa axim verticillati.

204. ALTHAEA HIRSUTA

A. caule calicibusque hirsutis; foliis cordato-orbiculatis, imis obsolete lobatis, crenatis, mediis quinquelobis, summis tri-quinquepartitis sectisve, serratis; pedunculis folio multo longioribus, unifloris.

Althaea hirsuta Linn. Sp. p. 966. Willd. Sp. 3. p. 772. DC.! Prod. 1. p. 437. Desf. Fl. atl. 2. p. 114. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 43. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 197. Presl Fl. sic. 1. p. 178. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 322. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 337. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 227. Savi Bot. etr. 2. p. 72. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 389. All.! Fl. ped. 2. p. 43. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 18. DC. Fl. fr. 4. p. 832. Lois. Fl. gall. 2. p. 93. Cambess. En. pl. balear. p. 53.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 29. ic. 1. Jacq. Fl. austr. tab. 170. Iconogr. taurin. 24. tab. 16.

Alcea hirsuta, minima, fl. caesio hisp. Barr. Ic. tab. 1169.

A. villosa Dalech. Hist. p. 594. ic. 2. ✦ J. Bauh. Hist. 2. p. 1057. ic. 2. ⅄ Chabr. Sciagr. p. 300. ic. 3. ⅄ (*superiorum florum petalis fere linearibus peccant*).

A. hirsuta Moris. Hist. sect. 5. tab. 18. ic. 6. ✦ (*minus bona ac* Dalechampii *citata*).

Facies omnino *Malvae althaeoidis* n.° 192. Radix tenuis, flexuosa. Caulis ex eadem radice unicus aut plures, simplices ramosive, teretes, erecti vel ascendentes. Folia petiolata, cordato-orbiculata, hirsutiuscula, superne interdum glabriuscula, ima obsolete quinqueloba, lobis rotundatis, crenatis, media profundius lobata, lobis extimis interdum fere bifidis, superiora sensim brevius petiolata, tri-quinquepartita vel secta, partitionibus segmentisve lanceolatis, serratis vel incisis. Stipulae ovato-acuminatae aut ovato-lanceolatae, supe-

riores lanceolatae, interdum bifido-dentatae. Pedunculi solitarii, axillares, uniflori, folio longiores. Involucrum 7-8-partitum, partitionibus lanceolatis. Calix profunde quinquefidus aut fere quinquepartitus, laciniis lanceolato-acuminatis. Petala cuneata, rosea, calicem paullo superantia, truncata, eroso-denticulata subindeve emarginata. Carpelli transverse rugosi, fusci, glabri, ad dorsum nervo longitudinali praediti. — Variat statura biunciali et tripedali. Caules, petioli, pedunculi et calices pilis patentibus, simplicibus aut binis ternisve fasciculatis, basi callosae insidentibus hirsuti.

In aridis maritimis S. Elia Cagliari, Muravera, Bosa, insulae Asinara, in collinis Sardara et in montanis editis apricis Tonnara: usque ad 900 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

205. ALTHAEA OFFICINALIS

A. foliis sericeo-tomentosis, canis, dentatis, sublobatis, basi ovatis cordatisve; pedunculis racemiferis uniflorisve, folio multo brevioribus.

Althaea officinalis α. Linn. Sp. p. 966. Willd. Sp. 3. p. 770. DC.! Prod. 1. p. 436. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 42. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 196. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 321. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 337. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 226. Savi Fl. pis. 2. p. 121. et Bot. etr. 2. p. 71. All.! Fl. ped. 2. p. 43. DC. Fl. fr. 4. p. 831. Lois. Fl. gall. 2. p. 93.

Ic. — Cavan. Diss. 2. tab. 30. ic. 2. Engl. bot. 3. tab. 147. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 4. tab. 191. Fl. dan. tab. 530. Iconogr. taurin. 5. tab. 70.
Althaea Fuchs. Hist. p. 15. ic. ⁂ Math. Valgr. p. 925. ic. Lob. Obs. p. 373. ic. 1. ✦
A. sive Bismalva J. Bauh. Hist. 2. p. 954. ic. ⁂ (*mala*).
A. arborescens Chabr. Sciagr. p. 301. ic. 4. ⁂ (*mala*).
A. vulgaris Clus. Hist. 2. p. 24. ic. 1. ✦
A. Ibiscus Lob. Icon. tab. 633. ic. ✦ Dod. Pempt. p. 655. ic. 1. ✦

Radix crassa, ramosa. Caules bi-tripedales et ultra, erecti, simplices vel parce ramosi, teretes, tomentoso-pubescentes, pilis ut in reliqua planta stellatis. Folia alterna, petiolata, inaequaliter serrato-dentata, sericeo-tomentosa, cana, basi quinque-septemnervia, ovata aut cordata, indivisa aut obsolete lobata, inferiora lobis 5-7, summa subtriloba angulatave. Stipulae anguste lineares, acutissimae, caducae.

Flores axillares et in racemum terminalem dispositi, pedunculis folio multo brevioribus, uni-tri-quadrifloris, pedicellis brevissimis. Involucrum tomentosum, 7-10-partitum, partitionibus lanceolatis. Calix tomentosus, quinquefidus, involucrum superans, laciniis triangulo-acuminatis. Corolla majuscula, rosea aut alba. Carpelli tomentoso-pubescentes.

In humidis palustribusque.

Fl. junio, julio. ♃

Ital. *Altea. Bismalva. Buonvischio. Malvarina. Malvavischio.*

Vern. m. *Altea.* — Tortolì *Narba-onia.* — Bonorva *Pramariscu.*

Radix *Altheae* ejusque praeparata faecula praedita et mucilagine abundantia, emollientia leniterque nutrientia.

Althaea rosea Cavan. Diss. 2. p. 91. tab. 28. ic. *Alcea rosea* Linn. Sp. p. 966. flore simplici et pleno, rubro, roseo, albido, luteo et variopicto, colitur in hortis vernaculo nomine *Malva-rosa.*

+ HIBISCUS

Hibiscus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1139. Cavan. Diss. 3. p. 143. Juss. Gen. p. 273. DC. Prod. 1. p. 446. Gaertn. Fr. 2. tab. 134. Lmck. Ill. tab. 584. Ketmia Tourn. Inst. tab. 26.

Calix 5-fidus, involucro cinctus polyphyllo. Stigmata 5. Capsula 5-locularis, 5-valvis; valvis intus medio septiferis; loculis polyspermis, raro monospermis.

+ HIBISCUS ESCULENTUS

H. caule herbaceo, inermi; foliis quinquepartitis, inaequaliter dentatis, petiolis florem superantibus; involucris decaphyllis calicibusque deciduis; capsulae loculis polyspermis.

Hibiscus esculentus Linn. Sp. p. 980. Willd. Sp. 3. p. 827. DC. Prod. 1. p. 450.

Ic. — Cavan. Diss. 3. tab. 61. ic. 2.

Alcea americana, annua: flore albo, maximo; fructu pyramidali, sulcato. Commel. Hort. 1. tab. 19.

Colitur in insula S. Pietro. ①

Fructus mucilaginosi et aciduli, recentes coquuntur et apte conditi comeduntur.

+ GOSSIPIUM

Gossipium Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1138. Cavan. Diss. 6. p. 309. Juss. Gen. p. 274. DC. Prod. 1. p. 456. Gaertn. Fr. tab. 134. Lmck. Ill. tab. 586. Xylon Tourn. Inst. tab. 27.

Calix cyathiformis, 5-dentatus, involucro cinctus profunde 3-partito, foliolis inciso-dentatis, calice majoribus. Stigmata 3-5. Capsula 3-5-locularis, polysperma. Semina lanigera.

+ GOSSIPIUM HERBACEUM

G. nigro-punctatum; caule superne puberulo; foliis tri-quinquelobis, lobis subrotundo-ovatis, vix acuminatis, nervo subtus uniglanduloso; involucris inciso-serratis.

Gossipium herbaceum Linn. Sp. p. 975. Willd. Sp. 3. p. 803. DC. Prod. 1. p. 456.

Ic. — Cavan. Diss. tab. 164. ic. 2.

Gossipium sive Xylon Lob. Obs. p. 370. ic. 4. ✦ et Icon. tab. 650. ic. 1. ✦ Dod. Pempt. p. 66. ic. 1. ✦

Xylon sive Gossipium herbaceum J. Bauh. Hist. 1. p. 343. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 25. ic. 5. ⁂ (*minus bonae*).

Colitur circa Caralim et Tanca di Nizza. ② Variat floribus flavescentibus et purpurascentibus.

Ital. *Bambagia. Cotone. Gossipio.*

Vern. *Cotoni.*

+ GOSSIPIUM RELIGIOSUM

G. nigro-punctatum; caule superne pubescente; foliis tri-quinquelobis indivisisque; lobis ovatis, acuminatis, nervo subtus uniglanduloso; pedunculis petiolo brevioribus; involucris laciniatis; seminum lana fulva.

Gossipium religiosum Linn. Sp. p. 975. Willd. Sp. 3. p. 805. DC. Prod. 1. p. 456.

Ic. — Cavan. Diss. 6. tab. 164. ic. 1.

Gossipio herbaceo, quocum in arvis promiscue colitur, omni parte paullo majus est et differt calicinis dentibus acutis caeterisque. ②

Alia *Gossipii* species in hortis colitur nomine *Cotone arboreo*, fruticosa, glabra, nigro-punctata, foliis tri-quinquelobis, lobis oblongo-lanceolatis, acuminatis, nervo subtus uniglanduloso; involucris laciniatis: ad *Gossipium vitifolium* Lmck. Dict. 2. p. 135. Cavan. Diss. 6. tab. 166. Rumph. Amb. 4. tab. 13. pertinens.

Gossipia in Sardinia meridionali exculta uberrimos fructus et lanam praestantissimam praebent. Optandum foret ut adeo proficuarum stirpium cultura latius pateret.

+ AURANTIACEAE

Aurantiaceae Corr. in Ann. mus. 6. p. 376. Mirb. in Bull. phil. (1813.) p. 379. DC. Prod. 1. p. 535. Bartl. Ord. nat. p. 392. Aurantiorum sect. 2. Juss. Gen. p. 260. Hesperidearum sect. 2. Vent. Tabl. 3. p. 154.

Calix persistens, brevis, 3-5-divisus. Torus disciformis vel stipitiformis, ima basi calici subadnatus. Petala laciniis calicinis numero aequalia iisdemque alterna, libera aut basi coalita, per ipsammet aestivationem calice longiora. Stamina petalis numero aequalia, dupla aut multiplicia, libera aut filamentis varie coalita, unica serie disposita. Ovarium multiloculare: stylus unicus, cylindraceus, stigmate crasso, sublobato. Fructus indusio crasso, indehiscente obductus, multilocularis, loculis (seu carpellis) secundum longitudinem arcte connatis, utriculis succulentis farctis. Semina loculorum angulo centrali adfixa, solitaria aut plura, saepe pendula. Albumen nullum. Embryo rectus. — Arbusculae aut frutices, interdum spinosae. Folia alterna, coriacea, perennantia, petiolata, glandulis oleum aethereum continentibus praedita. Stipulae nullae. Flores suaviter odori.

+ CITRUS

Citrus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1218. Juss. Gen. p. 261. DC. Prod. 1. p. 539. Gaertn. Fr. tab. 121. Lmck. Ill. tab. 639. Aurantium, Citreum et Limon Tourn. Inst. tab. 393. 394. 395. 396. 397.

Calix 3-5-fidus, parvus. Petala 5-8. Stamina 20-60, filamentis basi polyadelphis. Stigma globulosum. Fructus baccatus, 7-12-locularis,

loculis mono-polyspermis, celluloso-pulposis. — Spinae in pluribus axillares, solitariae. Petioli saepe alati.

+ CITRUS MEDICA

C. petiolis nudis; foliis oblongis, acutis; floribus 30-40-andris, saepe agynis; fructuum subovalium cortice crasso, rugoso, pulpa acidula.
Citrus medica Risso in Ann. Mus. 20. p. 199. DC. Prod. 1. p. 539.
C. medica α. Linn. Sp. p. 1100. Willd. Sp. 3. p. 1426.

* *vulgaris*, fructibus saepe magnis oblongisque, luteis, verrucoso-sulcatis; cortice crasso; pulpa acida; foliis oblongis, acutis.
Citrus medica vulgaris: Cedro ordinario Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 194.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 96.
Malum citreum vulgare Ferrar. Hesp. tab. 61. 63.
Cedro ordinario Volck. Hesp. p. 114. a ic.
Ital. *Cedro. Cedrato.*
Vern. *Cidru. Sidru. Cirdu.*

** *monstruosa*, fructibus maximis, subrotundis oblongisve, tuberosis rugosisque, pallide aurantiacis, subaspermis; cortice crasso; pulpa acida; foliis ovalibus.
Citrus medica, Cedra, fructu monstruoso, aurantiato; cortice crasso, mucronato; medulla exigua, seminibus carente. Gales. Trait. Gen. citr. p. 100. n.° v.
C. medica tuberosa: Cedro tuberoso Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 196.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 98.
Ital. *Cedro della China.*
Vern. *Spompìa.*
Hybrida stirps ex Galesio *l. c.*

*** *limonifolia*, fructibus parvis, conico-acuminatis, odoratissimis; cortice crasso; pulpa acida; foliis ovato-ellipticis.
Citrus medica florentina: Cedro di Firenze Risso et Poit. l. c. p. 202.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 102.
Cedro da Fiorenza e Cedro piccolo Volck. Hesp. p. 124. a et b. icones.
Ital. *Cedratello di Firenze.*
Vern. *Sidru pitìcu.*
E Citro medica *et* Citro Limonum *hybrida planta ex* Galesio Trait. Gen. citr. p. 103.

Citrus medica Mediae indigena, in Aegyptum, Asiam minorem et Graeciam primo

traducta fuit, mox vero in Italiam, ubi exeunte saeculo secundo aerae vulgaris, utilitatis et ornamenti gratia jam excolebatur.

Aliae praeter memoratas coluntur in Sardinia *Citri medicae* varietates vernaculo nomine *Cedràu*. 5

+ CITRUS LIMONUM

C. petiolis subalatis; foliis oblongis, acutis, dentatis; floribus 30-40-andris, saepe agynis; fructuum subovalium cortice tenui, pulpa acida.

Citrus Limonum Risso Ann. Mus. 20. p. 201. DC. Prod. 1. p. 539.
C. medica β. Linn. Sp. p. 1100. Willd. Sp. 3. p. 1426.

* *vulgaris*, fructibus parvis, glabris, apice mammillosis; cortice tenui; pulpa acida.
Citrus limonum sylvaticum: Limone selvatico Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 148.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 70.
Limone volgare Volck. Hesp. p. 154. ic.
Vern. *Limoni naturali*.

** *nitida*, fructibus subovatis; cortice glabro, tenuissimo; pulpa acidissima.
Citrus limonum tenue: Limone a frutto con scorza tenue Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 150.
Ital. *Limone fino, lustrato*.
Vern. *Limoni fini. Limoni de croxiu suttili*.

*** *dulcis*, fructibus apice mammosis, cortice tenui; pulpa dulci aut insipida.
Citrus Lumia dulcis: Lumia a frutto dolce Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 140.
Limon dulci medulla vulgaris Ferrar. Hesp. tab. 229.
Limon dolce ordinario Volck. Hesp. p. 158. b ic.
Vern. *Limoni durci. Limoni dulci*.

**** *pyriformis*, fructibus pyriformibus, parvis, stylo persistente terminatis; cortice crasso; pulpa acida; foliis oblongo-obovatis.
Citrus limonum Peretta domingensis: Limone Peretta piccola Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 171.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 82.
Peretta sive Spatafora Ferrar. Hesp. tab. 233. ic. *superior*.
Vern. *Peroto*.

***** *citrata*, fructibus magnis, citratis; cortice rugoso, crasso, eduli; pulpa acidula.

Limon sponginus Calabriae, rugosus FERRAR. Hesp. tab. 301.
Vern. *Limoni de Santu Giròni.*
Hybrida stirps ex GALESIO Trait. Gen. Citr. p. 115.

***** *Paradisi*, fructibus saepe magnis; cortice crassissimo, lutescente; pulpa vix ulla, acidula.
Citrus limonum Paradisi: Limone Paradiso RISSO et POIT. Hist. nat. Orang. p. 187.
Pomum Paradisi FERRAR. Hesp. p. 305. tab. 307.
Ital. *Pomo, Limone di Paradiso.*
Vern. *Lima.*
Hybrida ex GALESIO Trait. Gen. citr. p. 116.

****** *bergamia* fructu subgloboso vel pyriformi; pulpa acidula amaraque.
Citrus Limetta Bergamium RISSO Ann. Mus. 20. p. 197.
C. bergamia vulgaris et parva: Bergamotta ordinaria et Bergamotta piccola RISSO et POIT. Hist. nat. Orang. p. 111. et 113.
Ic. — RISSO et POIT. l. c. tab. 53.
Limon Bergamotto VOLCK. Hesp. p. 156. b ic.
Vern. *Bergamotta.*
E Citro Limonum *et* Citro Aurantio *hybrida stirps ex* GALESIO Trait. Gen. Citr. p. 119. *Variat fructu parvo, cortice nitido, laevi, flavo; et fructu majore pallide flavo, rugoso.*

Citrus Limonum Indiarum indigena, e Syria et Palaestina a crucesignatis in Italiam invecta perhibetur. In hortis vulgaris. ♄. Num praecedentis varietas?

+ CITRUS BIGARADIA

C. petiolis alatis; foliis ellipticis, acutis, crenulatis; floribus sub20-andris; fructuum subglobosorum cortice tenui, pulpa acri amaraque.
Citrus Bigaradia DUH. Arb. (ed. 2.) 7. p. 99. RISSO et POIT. Hist. nat. Orang. p. 72.
C. vulgaris RISSO in Ann. Mus. 20. p. 190. DC. Prod. 1. p. 539.

* *vulgaris*, fructibus mediae magnitudinis.
Ic. — RISSO et POIT. Hist. nat. Orang. tab. 30.
Aurantium acri medulla FERRAR. Hesp. tab. 377. ic. *superior.*
Aranzo silvestre VOLCK. Hesp. p. 188. α. ic.
Ital. *Arancio forte. Arancia forte.*
Vern. *Arangiu argu. — Extat varietas fructu majore, monstruoso.*

** *sinensis*, caule pumilo, fructibus parvis.

Citrus Bigaradia sinensis : Melangolo della China Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 103.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 49.
Aranzi nanini da China Volck. Hesp. tab. 207.
Ital. *Nanino da China. Chinotto. Napolino.*
Vern. *Chinottu.*

Citrus Bigaradia Indiarum orientalium indigena habetur. Quonam tempore in Europam fuerit invecta incertum hactenus est: ejus flores caeteris ejusdem generis fragrantiores sunt itemque fructus cortex qui usu venire consuevit in praeparatione liquoris *Curaçao* dicti.
Colitur cum praecedentibus. ♄. Num sequentis varietas?

+ CITRUS AURANTIUM

C. petiolis subnudis; foliis ovato-oblongis, acutis; floribus sub20-andris; fructuum subglobosorum cortice tenui, pulpa dulci.
Citrus Aurantium Risso Ann. Mus. 20. p. 181. DC. Prod. 1. p. 539.

* *vulgaris*, fructus cortice crassiusculo.
Citrus Aurantium vulgare Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 33.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 3.
Aurantium dulci medulla Ferrar. Hesp. tab. 377. ic. *inferior.*
Aranzo dolce Volck. Hesp. p. 188. b ic.
Ital. *Arancio dolce. Portogallo.*
Vern. *Arangiu. Portugali. Arangiu de croxiu grussu.*

** *sinensis*, fructus cortice tenuissimo.
Citrus Aurantium sinense Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 34.
Ic. — Risso et Poit. l. c. tab. 4.
Pomo da sina Volck. Hesp. p. 186. b ic.
Ital. *Arancio fino della China.*
Vern. *Arangiu de croxiu suttili.*

*** *sanguinea*, cortice rubescente; pulpa sanguinea, dulcissima.
Ital. *Arancio sanguigno.*
Vern. *Arangiu sanguignu.*

Sinarum Indiarumque indigena arbuscula, in Arabiam, Syriam, Aegyptum moxque in Europam meridionalem exeunte saeculo undecimo invecta creditur: abunde in Sardinia exculta altitudinem 5-6 metrorum et ultra adipiscitur, uberrimos

praestantissimosque profert fructus praecipue Milis, Tortolì, Flumini-major, Domus novas, Teulada, Orri, Iglesias, Sassari. 5

Milis accolae Citrorum fructus quibus affluunt in varias Sardiniae partes commercii caussa traducere consueverunt. Citrorum sylva circa Milis (Vega di Milis) insignis, singulari animum oblectatione recreat mense praesertim majo quo cum fructibus suavissimis flores uberrimi aroma ad circumambientia loca satis longe diffundunt.

Citrus Limetta, Pomum Adami: Limetta pomo d'Adamo Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 124. *Adami Pomum commune* Ferrar. Hesp. tab. 313. — *Citrus Lumia, conica: Lumia a frutto conico* Risso et Poit. Hist. nat. Orang. p. 137. *Lumia expers medullae* Ferrar. Hesp. tab. 329. (ital. *Zinna di vacca*) aliaeque praeter memoratas, Citri stirpes aut varietates in Sardinia coluntur quorum in nomina vernacula inquirendum superest.

Egregiis exploratissimisque usibus, in oeconomia domestica, medicina et artibus, Citri satisfaciunt flores, cortex fructuum et folia, cum oleo volatili incitante, principium amarum, tonicum recondunt: succus amaro-acris, acidus vel acidulo-dulcis suas habet abunde notas utilitates: semina amara oleosaque emulsionibus conficiendis accommodari queunt.

Plurimas superius traditas varietatum Citri, nec non tradendas inferius varietatum excultarum Vitis, Pruni, Pyri, Amygdali descriptiones, ex accuratissimis deprompsi quas cum vernaculis nominibus benevole mihi praebuit egregius doctor J. Meloni-Baïlle historiae naturalis professor in R. caralitano Athenaeo.

ORDO XV.

HYPERICINEAE

Hypericineae DC. Theor. elem. (ed. 1.) p. 214. Choisy Prod. Hyper. p. 32. et in DC. Prod. 1. p. 541. Bartl. Ord. nat. p. 291. Hyperica Juss. Gen. p. 254.

Calix profunde 4-5-partitus, persistens. Petala calicis divisionibus numero aequalia et alterna, per aestivationem et post anthesim in spiram convoluta. Stamina plurima, filamentis basi tri-pentadelphis, raro liberis vel monadelphis. Antherae incumbentes. Ovarium 3-5-loculare. Styli 3-5, filiformes, longi, plerumque liberi et stigmate simplici. Pericarpium 3-5-loculare; vel baccatum indehiscens; vel capsulare loculis (aut carpellis) apice distinctis, interne ad suturam dehiscentibus. Placenta centralis, seu valvarum margini introflexo, centrali affixa. Semina plurima, exarillata, teretia. Albumen nullum.

Embryo rectus. — Herbae aut suffrutices. Folia saepe opposita glandulisque in parenchymate punctiformibus, pellucentibus praedita. Stipulae nullae.

LXXV. HYPERICUM

Hypericum Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1224. Juss. Gen. p. 255. Choisy in DC. Prod. 1. p. 543. Tourn. Inst. tab. 131. Lmck. Ill. tab. 643. Gaertn. Fr. tab. 62.

Calix 5-partitus. Petala 5. Stamina basi in fasciculos 3-5-connata. Capsula 3-5-locularis. Dissepimenta duplicata ex inflexis valvularum marginibus. — Caules vel omnino *teretes*, nervis foliorum neutiquam recurrentibus; vel nervo dorsali et lateralibus juxta recurrentibus, *quadranguli;* vel nervo dumtaxat dorsali recurrente, *ancipites.*

206. HYPERICUM HIRCINUM

H. glabrum; caule fruticoso; ramulis quadrangulis; foliis ovato-oblongis, pellucido-punctatis; pedicellis bibracteatis; sepalis integris; staminibus corolla longioribus; seminibus appendiculatis.

Hypericum hircinum Linn. Sp. p. 1103. Willd. Sp. 3. p. 1449. Choisy Hyper. p. 39. et in DC. Prod. 1. p. 544.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 115. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 151. Presl Fl. sic. 1. p. 191. Tenor. Fl. nap. 2. p. 138. et Syll. p. 385. Lois. Fl. gall. 2. p. 167.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Iconogr. taurin. 19. tab. 95. ic. 1.

Hypericum foetidum, frutescens, minus Dill. H. elth. p. 182. tab. 151.

Androsaemum foetidum seu tragodes Moris. Hist. sect. 5. tab. 6. ic. 8.

Caules fruticosi, teretiusculi, ramosi, bi-quadripedales; rami oppositi alternique; ramuli, nervo foliorum medio et lateralibus decurrentibus, quadranguli. Folia sessilia, opposita, ovato-oblonga, raro ovata, tenuissime pellucido-punctata, facie viridia, subtus pallescentia, nervo medio prominente, variant basi fere cordata, apice paullulum aut neutiquam attenuata, acutiuscula vel obtusa. Pedunculi in summis ramulis terminales et axillares, oppositi, simplices aut bi-trifidi

vel raro di-trichotomi; pedicelli angulosi, versus medietatem bibracteati, apice incrassati, uniflori. Bracteae exiguae, lineari-lanceolatae. Sepala oblongo-lanceolata, inaequalia, pellucido-punctata, acutiuscula, corolla triplo vel quadruplove breviora. Stamina inaequalia, flava, corollam superantia; antheris exiguis, flavis. Styli tres, stigmatibus capitatis. Capsula elliptica aut oblonga, trilocularis, trivalvis. Semina teretia, lineis longitudinalibus tuberculoso-punctatis exarata, apice atque ad latus ala membranacea praedita. — Planta glabra, hircum olens.

In sylvis et ad sepes locis collinis et submontanis.

Fl. junio, julio. ♄

Vern. m. *Murta-crabina.* — Lanusei *Brundajola.*

207. HYPERICUM QUADRANGULUM

H. glabrum; caule quadrangulo; foliis ovatis ellipticisve, pellucido-punctatis, margine nigro-punctatis; paniculis brevibus; sepalis integris, lanceolatis, acutis; antheris nigro-punctatis.

Hypericum quadrangulum Linn. Sp. p. 1104. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 115. All.! Fl. ped. 2. p. 45. DC. Fl. fr. 4. p. 862. Lois. Fl. gall. 2. p. 167.

H. quadrangulare Willd. Sp. 3. p. 1439. Tenor. Fl. nap. 2. p. 159. et Syll. p. 385. Savi Bot. etr. 1. p. 177.

Ic. — Engl. bot. 6. tab. 370. Fl. dan. tab. 640. Iconogr. taurin. 23. tab. 37.

Ascyron Dod. Pempt. p. 78. ic. 1.✦ Lob. Obs. p. 216. ic. 3.✦ et Icon. tab. 399. ic. 1.✦

A. caule quadrangulo Moris. Hist. sect. 5. tab. 6. ic. 10.✦ (*ratione inflorescentiae mala*).

Radix repens, rubens aut fusca. Caules semipedales, sesquipedales, erecti aut ascendentes, plerumque ramosi, alis 4, angustissimis, membranaceis quadranguli, basi interdum rubentes. Folia sessilia, semiamplexicaulia, opposita, ovata, ovato-elliptica vel elliptica, obtusa, integra, nervosa, tenuiter pellucido-punctata, margine nigro-punctata. Flores terminales, paniculati, paniculis subcorymbosis, pedicellis brevibus; bracteis ad basim pedunculorum atque pedicellorum angustis, lanceolato-acuminatis. Sepala nervosa, lanceolata, acuta.

inaequalia, punctis nigris, paucis, sparsis notata, corolla subduplo breviora. Petala flavescentia, lineari-oblonga, obliqua, staminibus paullo longiora, punctis nigris, paucis notata aut immaculata. Stamina inaequalia; antheris nigro-punctatis. Styli divergentes, tres, raro quatuor. Capsula ovata.

Juxta rivulos vel ad fossas, locis humentibus montanis Flumini-major, Fonni, Belvì. Fl. majo, junio. ♃

208. HYPERICUM PERFORATUM

H. glabrum; caule ancipite; foliis pellucido-punctatis, margine vix nigro-punctatis, inferioribus ellipticis oblongisve, caeteris oblongo-linearibus; sepalis integris, lanceolatis; petalis margine antherisque nigro-punctatis.

Hypericum perforatum Linn. Sp. p. 1105. Willd. Sp. 3. p. 1460. Choisy Hyper. p. 50. et in DC. Prod. 1. p. 549.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 501. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 24. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 116. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 151. Urv. En. pl. archip. p. 59. Presl Fl. sic. 1. p. 192. Tenor. Fl. nap. 2. p. 159. et Syll. p. 386. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 480. Savi Fl. pis. 2. p. 208. et Bot. etr. 2. p. 101. All.! Fl. ped. 2. p. 44. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 18. DC. Fl. fr. 4. p. 862. Lois. Fl. gall. 2. p. 167. Cambess. En. pl. balear. p. 54.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 5. tab. 295. Fl. dan. tab. 1043. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 5. tab. 238. Iconogr. taurin. 29. tab. 38.

Herba perforata Trag. Hist. p. 72. ic.

Hypericon vulgare Trag. Hist. p. 73. ic. 1. Moris. Hist. sect. 5. tab. 6. ic. 1.

Hypericum Fuchs. Hist. p. 831. ic. Math. Valgr. p. 936. ic. Dod. Pempt. p. 76. ic. 1. ✦ Lob. Obs. p. 216. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 398. ic. 1. ✦

Radix valde ramosa, repens. Caules erecti, teretes, nervo foliorum dorsali recurrente ancipites, longitudine bi-tripedales, ramosi. Rami oppositi, per paria decussati, summi corymbosi, inferiores exiliores brevioresque steriles. Folia sessilia, ipso oculo nudo valde pellucido-punctata, praeterea subtus, versus marginem, aut etiam sparsim parceque, nigro-punctata, inferiora oblonga aut elliptica,

caetera oblongo-linearia, obtusa, floralia autem ad divisiones pedunculorum posita sensim acutiora. Flores ad extremitatem ramorum superiorum et caulis paniculato-corymbosi. Sepala lanceolata, raro puncto aliquo nigro (glandula) notata, parce pellucido-punctata, petalis duplo et ultra breviora. Petala aurea, oblonga, striata, apice subcrenulata ibidemque et margine laterali superiore nigro-punctata. Stamina flava, petala subaequantia; antheris nigro-punctatis. Styli tres, stigmatibus rubescentibus. Capsula ovata. Semina teretia, oculo armato punctato-alveolata.

In pascuis maritimis, collinis montanisque frequens: inter 1 et 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, julio. ♃

Ital. *Iperico. Ipericon. Perico. Caccia diavoli. Perforata. Pilatro.*

Vern. m. *Pirincòni.* — Vern. s. *Pericòne.* — Lanusei *Iperico.*

Hypericum praestantioribus vulnerariis indigenis accensitum, oleum volatile, principium resinosum, adstringens, coloransque duplex continet: ex maceratione foliorum atque florum in oleo fixo habetur *oleum Hyperici*, quod externo usu etiam nunc venit. Arizzo incolae Hyperici folia recentia vulneribus admovent ad cicatricem promovendam.

209. HYPERICUM REPENS

H. glabrum; caule subancipite, basi subradicante; foliis lineari-oblongis, oblongis ellipticisve, opacis, margine nigro-punctatis; paniculis paucifloris; sepalis oblongo-lanceolatis, mucronulatis, nigro-punctatissimis, margine integris vixve ciliato-glanduliferis; petalis calicem triplo superantibus, apice nigro-punctatis.

Hypericum repens Linn. Sp. p. 1103.? Lmck. Dict. 4. p. 168. Poir. Voy. Barb. 2. p. 224. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 115.?

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

β. *intermedium*, caulibus erectiusculis, basi vix aut neutiquam radicantibus.

Hypericum repens Choisy! in DC. Prod. 1. p. 548. Desf. Fl. atl. 2. p. 2172. Lois. Fl. gall. 2. p. 168.

γ. *majus*, caule elatiore, foliis majoribus.

Hypericum australe Tenor. Fl. nap. Prod. App. 5. p. 25. et Syll. p. 385. Spr. Anton. Tentam. Suppl. p. 21.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 179. ic. 2.

Radix ramosa, caules tenues, palmares, pedales, saepe rubentes, variant procumbentes et inferne radicantes, ascendentes aut erecti vixque aut neutiquam radicantes, in planta adulta basi suffrutescentes. Folia semiamplexicaulia, non pellucido-punctata, margine nigro-punctata, obtusa, subtus glaucescentia, nervo dorsali valido, juxta caulem plus minusve decurrente, margine plerumque plus minusve revoluta, elliptica, oblongo-elliptica vel oblongo-linearia, infima breviora, saepe obovata. Flores terminales, paniculati, subcorymbosi, pauci. Bracteae ad basim pedunculorum atque pedicellorum lanceolatae, superiores sensim angustiores atque acutiores, nigro-punctatae, margineque interdum ciliato- vel serrato-glandulosae. Sepala oblongo-lanceolata aut oblonga, subaequalia, nigro-punctata et fere nigro-lineata, apice mucronulata, margine modo integra, modo breviter parceque ciliato-glandulosa. Petala oblonga, flava, venis rubentibus ad marginem coalescentibus picta, apice irregulariter denticulata, nigro-punctata, calice triplo circiter longiora. Stamina flava; antheris puncto rubro, moxque subfusco saepe insignitis. Styli tres, divaricati. Stigmata rubella. Capsula ovato-oblonga, calice demum duplo subindeve triplo longior. Semina teretia, oculo armato eleganter punctato-alveolata. — Planta glabra.

In arenosis uliginosis la Frontera circa Muravera, ad sepes circa Barì, inter rupium fissuras juxta rivulum la Cartiera Cuglieri et montis Resta Bosa; in insula Asinara, circa Sassari, Alghero: var. α in montanis inter Ozieri et Patada. Fl. majo. ♃

Obs. Propositas varietates haud esse sejungendas suadere videntur characteres singulis communes atque constantes illique praesertim qui ex calicis, corollae capsulaeque facie et proportione petuntur. Variant pro locis caules modo ascendentes, modo procumbentes, basi radicantes vel non, itemque variant folia majora aut minora, caeterum semper nigro-punctata, numquam ne vix quidem perforata (apud nos) sunt. Sepala nonnumquam et interdum superiores bracteae ciliato-glandulosa observantur, sed nullum inde specificum erui potest discrimen, in singulis enim varietatibus inconstans est: eademque interdum in planta alii calices manifeste ciliato-glandulosi apparent, alii vix aut neutiquam. Varietatis α graciliora specimina *Hypericum humifusum* Linn. aemulantur a quo traditis notis, praesertim vero inflorescentia et calicis, pe-

talorum capsulaeque proportione differunt. Varietatis β specimina foliis ellipticis oblongisve, adamussim congruunt cum *Hyperici repentis* Herbarii Balbisii speciminibus e regione inter Cannes et Antibes a cl. Choisy l. c. adductis, nec non cum illis Herbarii DC. Specimina ejusdem varietatis β foliis lineari-oblongis, margine valde revolutis, cum *Hyperici linearifolii* compluribus speciminibus DC. Herbar. consentiunt, etsi quaedam ex illis puncta pellucida pauca referant, non nostra. *Hypericum linarifolium* Vahl. Symb. 1. p. 66. corollam parvam (*ex* Vahl. *descriptione*) caliceque parum longiorem, nec perinde ac nostrum calice triplo longiorem offert.

210. HYPERICUM CILIATUM

H. glabrum; caule ancipite; foliis ovato-oblongis, oblongove-lanceolatis, pellucido-punctatis, margine nigro-punctatis, inferioribus opacis; sepalis acutiusculis, serrato-glandulosis; petalis antherisque nigro-punctatis.

Hypericum ciliatum Lmck. Dict. 4. p. 170. Willd. Sp. 3. p. 1463. Choisy! Hyper. p. 55. et in DC. Prod. 1. p. 552. Urv. En. pl. Archip. p. 59. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 152. Presl Fl. sic. 1. p. 193. Tenor. Fl. nap. 2. p. 161. et Syll. p. 386.

H. perfoliatum Linn. Syst. (ed. 12.) 2. p. 510.? Willd. Sp. 3. p. 1462.? Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 116.

H. dentatum Lois.! Fl. gall. (ed. 1.) p. 499. (ed. 2.) p. 169. Choisy! Hyper. p. 54. et in DC. Prod. 1. p. 552. DC.! Fl. fr. Suppl. p. 631. Cambess. En. pl. balear. p. 55.

Ic. — Desf. in Ann. Mus. 11. p. 438. tab. 41. (*foliis integerrimis*) Lois. Fl. gall. tab. 17. (*foliis superioribus denticulatis*).

Androsaemum Sambac, perfoliato folio Bocc. Mus. tab. 127.

* *tenuifolium.*

Ic. — Hypericum Myrthi acuto folio Bocc. Mus. tab. 91. 92.

Caules teretes, nervo foliorum medio recurrente ancipites, semipedales, bipedales. Folia semiamplexicaulia, subcordata, ovata, ovato-oblonga vel oblongo-lanceolata, inferiora opaca, caetera pellucido-punctata, superiora interdum inaequaliter denticulata, omnia margine nigro-punctata, subtus glauca. Flores in cymas terminales dispositi. Bracteolae lanceolatae, acutiusculae, serrato-glandulosae. Sepala

inaequalia, acutiuscula, ovata aut ovato-oblonga subindeve lineari-oblonga vel oblongo-lanceolata, nigro-punctata serrataque, serraturis glanduliferis, glandulis pedicellatis. Petala oblonga, utrinque nigro-punctata, versus apicem ciliato-glandulosa. Antherae nigro-punctatae. Styli tres, stigmatibus purpurascentibus. Capsula ovata. Semina tereti-oblonga, paullo majora quam in praecedentibus et sequentibus, oculo armato juxta longitudinem tenuissime striato-punctata. — Variat foliis versus apicem ita attenuatis et margine revolutis, ut acuta videantur, revera autem atque constanter obtusa sunt.

In pascuis maritimis et in collibus Sardiniae, insulae S. Pietro, S. Antioco: frequens.

Fl. majo. ♃

211. HYPERICUM TOMENTOSUM

H. tomentosum; caule terete; foliis ovato-oblongis ovatisve, subflexuosis, pellucido-punctatis, margine nigro-punctatis; bracteis calicibusque glanduloso-ciliatis, acuminatis; petalis antherisque nigro-punctatis.

Hypericum tomentosum Linn. Sp. p. 1106. Willd. Sp. 3. p. 1466. Choisy! Hyper. p. 52. et in DC. Prod. 1. p. 551.

Decaisn. Florul. sinaic. in Ann. sc. nat. (1835) 3. p. 287. Desf. Fl. atl. 2. p. 217. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 50. Urv. En. pl. Archip. p. 58. Presl Fl. sic. 1. p. 192. All.! Fl. ped. 2. p. 45. DC. Fl. fr. 4. p. 865. Lois. Fl. gall. 2. p. 169. Cambess. En. pl. balear. p. 55.

Saltzm! Pl. siccat. e Tanger in Herbar. DC.

Ic. — Tab. xxi. Iconogr. taurin. 29. tab. 14. (*etsi calices haud ciliati*).

Hypericum supinum, tomentosum, alterum Clus. Hist. 2. p. 181. ic. 2. ✦

H. supinum Dod. Pempt. p. 77. ic. 2. ✦

H. tomentosum Lob. Obs. p. 218. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 400. ic. 2. ✦ (*planta glabra, calicibus haud glanduloso-ciliatis*).

H. tomentosum J. Bauh. Hist. 2. p. 384. ic. 3. ✧ Chabr. Sciagr. p. 456. ic. 4. ✧ (*icones plantam tomentosam ostendunt, sed habitum speciei minus bene referunt ac icones* Clus., Dod. *et* Lob. *citatae*).

H. supinum, tomentosum, majus vel hispanicum Moris. Hist. sect. 5. tab. 6. ic. 5. (*satis bona, licet calices haud glanduloso-ciliati*).

Radix lignosa, ramosa. Caules palmares, pedales, teretes, tomen-

tosi, basi suffruticosi et interdum radicantes, ascendentes vel decumbentes, centrales interdum erecti. Folia ovata aut ovato-oblonga, tomentoso-canescentia, basi subcordata, semiamplexicaulia, non decurrentia, pellucido-punctata, margine nigro-punctata, saepe flexuosa, obtusa vel acutiuscula. Flores in paniculas cymosas, terminales dispositi. Bracteae lanceolatae, superiores sensim angustiores et longius acuminatae, glandulis pedicellatis ciliatae. Sepala elliptico- vel lanceolato-acuminata, pubescentia, glanduloso-ciliata, petalis duplo triplove breviora. Petala flavescentia, nigro-punctata. Stamina petalis breviora, antheris nigro-punctatis. Styli tres. Capsula ovato-elliptica. Semina teretia, tenuissime punctato-alveolata.

In humentibus maritimis et Sardiniae centralis.

Fl. junio, julio. ♃

212. HYPERICUM ANNULATUM

H. tenuissime puberulo-sericeum, superne glaberrimum; caule gracili, terete; foliis ovato-ellipticis ovatisve, cinerascentibus, pellucido-punctatis, margine nigro-punctatis; glandulis pedicellatis ad bractearum basim confertim verticillatis; bracteis sepalisque lanceolatis, acutis, serrato-glandulosis; antheris nigro-punctatis.

Hypericum annulatum Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 9. Ant. Spr. Tent. Suppl. p. 21.

Ic. — Tab. xxii.

Radix lignosa, rupium fissuras subiens. Caules graciles, teretes, basi suffruticosi, erecti vel ascendentes, pilis tenuibus, brevissimis puberulo-sericei, cinerei vel canescentes, inferne purpurascentes, superne ultra ultimum foliorum par constantissime glaberrimi atque virescentes. Folia ovata aut ovato-elliptica, obtusa, brevissime et tenuiter sericeo puberula, facie pallide virentia aut cinerascentia, subtus cinerea aut canescentia nervosaque, non decurrentia, pellucido-punctata, margine nigro-punctata. Flores in paniculas terminales subcorymbosas, di-trichotomas, paucifloras, glaberrimas dispositi. Bracteae glaberrimae, lanceolatae, acutae, serrato-glandulosae. Glandulae pedicellatae, confertae, bractearum, pedunculorum pedicellorumque basim instar annuli circumcingentes. Sepala, uti bracteae,

glaberrima, lanceolata, acuta et serrato-glandulosa. Petala oblonga, integra, haud nigro-punctata, calice triplo longiora. Antherae nigro-punctatae. Styli tres, quatuor. Semina teretia, tenuissime, oculo armato, punctato-alveolata.

Inter rupium schistosarum fissuras in summo monte S. Vittoria Esterzili: Fl. julio. ♃

ORDO XVI.

ACERINEAE

Accrineae DC. Theor. elem. (ed. 2.) p. 244. et Prod. 1. p. 593. Bartl. Ord. nat. p. 360. Acerum sect. 2. Juss. Gen. p. 251.

Calix deciduus, saepe 5- (raro 4- vel 9-12) divisus. Torus carnosus, disciformis, calici non adnatus. Petala calicis divisionibus numero aequalia et alterna, rarissime nulla. Stamina saepe 8 (nonnumquam 4-7 vel 9-12), filamentis liberis. Ovarium ovellis 2 conflatum compressis, ope axeos e toro exserti inferne connatis, 1-2-ovulatis. Styli 2, inferne connati. Pericarpium, Samara dicarpellaris, e carpellis nempe binis, indehiscentibus, plerumque compressis, monospermis, raro dispermis, basi coalitis, postice in alam membranaceam productis, ab axi persistente demum secedentibus. Semina in angulo carpellorum centrali sessilia, exarillata. Albumen nullum. Embryo recurvatus vel convolutus. — Arbores. Folia opposita, petiolata, palmatinervia, rarissime imparipinnata. Stipulae nullae. Flores hermaphroditi, unisexuales vel polygami, racemosi aut corymbosi, pedicellis bractea cito decidua, basi stipatis.

LXXVI. ACER

Acer Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1590. Juss. Gen. p. 251. Tourn. Inst. tab. 386. Gaertn. Fr. tab. 116. Lmck. Ill. tab. 844.

213. ACER MONSPESSULANUM

A. foliis trilobis, integerrimis subrepandisve, sero deciduis, junio-

ribus subtus villosis; corymbis erectis; samaris glabris, alis vix divergentibus.

Acer monspessulanum Linn. Sp. p. 1497. Willd. Sp. 4. p. 991. DC. Prod. 1. p. 594. Spach Revis. Gen. Acer. p. 14.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 263. Presl Fl. sic. 1. p. 196. Tenor. Fl. nap. 2. p. 374. et Syll. p. 192. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 139. Savi Tratt. alb. tosc. 1. p. 57. All.! Fl. ped. 2. p. 95. DC. Fl. fr. 4. p. 869. Lois. Fl. gall. 1. p. 274.

Ic. — Iconogr. taurin. 30. tab. 31. Acer trifolia Duh. Arb. 1. tab. 10. ic. 8.

Arbor mediocriter procera, ramorum cortice cineraceo, ramulorum rufo. Folia paullo latiora quam longa, triloba, basi rotundato-cuneata, subcordata, facie viridia, nitida, subtus pallida junioraque villosiuscula, adulta coriacea et subtus tantummodo versus basim villosa: lobi aequales, ovato-elliptici, obtusiusculi, integri vel raro subrepandi. Petioli exiles, nonnulli folium longitudine subaequantes, plerique superantes, superne sulcati, basi vix crassiores, juniores villosiusculi, aetate saepe glabrati. Corymbi ex summis ramis prodeuntes, 6-12-flori, erecti, breviter pedunculati, pedicellis filiformibus, longiusculis, bracteola perexigua, lanceolata, cito decidua basi stipatis. Flores polygami, luteoli, glabri. Calix 5-partitus, partitionibus obovatis, obtusissimis. Petala breviter unguiculata, subspathulata, calice paullo longiora. Stamina calicem demum duplo superantia. Styli pubescentes, exserti, divergentes, revoluti. Carpelli irregulariter ovati, angulati, glabri, dorso carinati, alis nervoso-reticulatis, parallelis, demum vix divergentibus.

In sylvis Iglesias, Oliastra, Barbargie, Fonni, insulae Tavolara.

Fl. majo, junio. ♄

Ital. *Acero minore. Albero lattaiolo.*

Vern. s. *Costighe.*

+ AMPELIDEAE

Ampelideae Humb. Bonpl. et Kunth. Nov. Gen. et Sp. 5. p. 223. DC. Prod. 1. p. 627. Vites Juss. Gen. p. 267. Viniferae Juss. Mem. Mus. 3. p. 144. Sarmentaceae Vent. Tabl. 3. p. 167. Bartl. Ord. nat. p. 353.

Calix minimus, 4-5-dentatus integerve. Torus disciformis. Petala

4-5, calicis dentibus alterna, decidua. Stamina totidem ac petala iisdemque opposita. Ovarium subglobosum: stylus unicus, brevissimus. Fructus baccatus, succosus drupaceusve, plerumque demum unilocularis: semina 4-5 pauciorave, erecta, ossea, columnae demum liberae basi affixa. Albumen carnosum, durum. Embryo erectus. — Arbusculae aut frutices sarmentosi, scandentes. Folia petiolata, stipulata, superiora pedunculis cirrhisve opposita. Flores parvi, virescentes, racemosi.

+ VITIS

Vitis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 396. Juss. Gen. p. 267. DC. Prod. 1. p. 633. Tourn. Inst. tab. 384. Gaertn. Fr. tab. 106. Lmck. Ill. tab. 145.

Calix exiguus, sub-5-dentatus. Petala 5, apice cohaerentia et calyptrae instar genitalia obtegentia. Stamina 5. Stigma capitatum, sessile. Bacca succulenta, (matura) unilocularis, sub-5-sperma. — Folia simplicia.

+ VITIS VINIFERA

V. floribus hermaphroditis; foliis palmato-lobatis, sinuato-dentatis.

Vitis vinifera Linn. Sp. p. 293. Willd. Sp. 1. p. 1181. R. et Sch. Syst. 5. p. 300. DC. Prod. 1. p. 633.

α. *sylvestris*, acinis rotundis, exiguis, acidis.

Ic. — Jacq. Ic. rar. tab. 50. Sibth. Fl. graec. 3. tab. 242.

β. *sativa*, acinis rotundis oblongisve, dulcibus.

* *Acinis rubellis nigrisve, rotundis.*

amabilis, acinis flavo-rubellis, dulcissimis, submoschatis, inaequalibus; seminibus margaritaceis; racemis parvis, laxis, brevissime pedunculatis; foliis parvis, trilobis, crassiusculis, facie flavo-viridibus, subtus tomentosis, baseos sinu amplo, lobis basi cuneatis dentibusque acuminatis; sarmentis ferrugineis, nodis crassis coloratioribus, internodiis mediocribus.

Vern. *Nascu.* — Eodem nomine venit vinum quod conficitur eximium.

abundans, acinis flavo-rubellis, aequalibus, subacidulis, valde succosis; seminibus margaritaceis; racemis angustis, longis, densis, pluribus subinde aggregatis; foliis parvis, profunde quinquelobis, inaequaliter sinuato-dentatis, facie laete

viridibus, subtus molliter tomentosis, breviter petiolatis, lobis distantibus, medio subtrifido, extimis ad basim lacinula appendiculatis; sarmentis fusco-ferrugineis, validis, longis, internodiis brevibus.

Vern. *Nuràgus.* — Frequentissime culta.

rubella, acinis rubellis, magnis, sero maturescentibus, acidulo-dulcibus, duris, epicarpio crasso; racemis magnis, densissimis, teretiusculis, subtruncatis, breviter crasseque pedunculatis; sarmentis plurimis, robustis.

Vern. *Rosa.*

suavis, acinis nigro-rubellis, mediocribus, duriusculis, longiuscule pedicellatis; racemis mediocribus, laxiusculis, breviter pedunculatis; foliis profunde quinquelobis, argute subaequaliterque dentatis, facie fusco-viridibus, subtus glabris, dentibus parvis, apice callosulis, lobis acuminatis; petiolis coccineis; sarmentis gracilibus, brevibus, pallide ferrugineis, internodiis brevibus.

Vern. *Girò.* — Vinum ejus suavissimum eodem nomine appellatur.

nectarea, acinis nigris, mediocribus, mollibus, dulcissimis; racemis brevibus, laxis; pedunculis longis, ramoso-dichotomis; foliis tenuibus, semiquinquelobis, inaequaliter dentatis, facie laete viridibus, subtus subtomentosis, nervis marginem versus coccineis, sinubus angustis; petiolis basi valde incrassatis apiceque coccineis; sarmentis gracilibus, erectis, rubellis, internodiis longis, nodis fusco-rubentibus.

Vern. *Monica.* — Vinum hujus nominis exquisitum, nectareum.

affinis, acinis nigris, valde succosis, mollibus, dulcissimis; racemis parvis, densis; foliis crassiusculis, tri-quinquelobis, brevibus, acute lateque dentatis, facie fusco-viridibus, subtus tomentosis; petiolis nervisque omnibus coccineis; sarmentis erectiusculis, fusco-ferrugineis, internodiis brevibus.

Vern. *Bovàli.*

Praecedenti affinis, vinum optimum praebet: ejus subvarietas sarmentosior, minus fructifera, proptereaque minus exculta, *Bovali mannu* appellatur propter acinos majores: hi vero ad praecedentem varietatem sapore magis accedunt.

nigra-mollis, acinis nigris, mollissimis, dulcissimis, valde succosis; racemis mediocribus, angustis, longis, breviter pedunculatis; foliis semitrilobis, crassiusculis, inaequaliter inciso-dentatis, venis facie albescentibus, subtus dense tomentosis, baseos sinu amplo, dentibus acuminatis, apice callosis; sarmentis gracilibus, longissimis, prostratis, pallide ferrugineis, internodiis longis.

Vern. *Niedda-moddi.*

praestans, acinis nigris, mediocribus, dulcissimis; racemis brevibus, laxiusculis, breviter pedunculatis; foliis semitrilobis indivisisque, quasi coriaceis, late subaequaliterque crenato-dentatis, venis facie albescentibus, subtus puberulis, baseos sinu amplo; sarmentis ferrugineis, internodiis brevibus.

Vern. *Cannonàu*. — Praestantissimum hujus nominis vinum suppeditat.

nigra-vera, acinis nigris, mediocribus, aequalibus, sapidis, mollibus, valde succosis; racemis brevibus breviterque pedunculatis; foliis quinquelobis, crassiusculis, rugosis, crenato-dentatis, breviter petiolatis, subtus dense tomentosis, lobis acuminatis; sarmentis laete rubellis, gracilibus, internodiis mediocribus.

Vern. *Niedda-era*. *Niedda vera*.

infectiva, acinis nigris, mediocribus, molliusculis, valde succosis, austeris; racemis densissimis, brevissimis breviterque pedunculatis; foliis trilobis, late acuteque dentatis, facie laete viridibus, subtus molliter tomentosis, venis roseis, baseos sinu angusto, lobo medio deltoideo, extimis semibilobis; petiolis rubro-fuscis; sarmentis erectis, rubellis.

Vitis acino nigro, rotundo, duriusculo, succo nigro, labia inficiente. *Le Teinturier*. Roz. Dict. agric. 10. p. 178. tab. 9.

Vern. *Zinzillosu*.

Uva nigro vina colore inficiens quibus aliquam cum acerbitate austeritatem impertitur.

coacervata, acinis nigris, mediocribus, duris, sapidis, apice depressis umbilicatisve; racemis brevissime pedunculatis, magnis, brevibus, densissimis, irregularibus; racemulis coacervatis; foliis quinquelobis, late breviterque dentatis, dentibus obtusis, baseos sinu angusto, venis ibidem rubentibus, lobis inaequalibus, intermedio deltoideo, basi attenuato, extimis semibifidis; petiolis brevibus, rubescentibus; sarmentis pallide ferrugineis, internodiis brevibus.

Vern. *Merdulinu*.

** *Acinis nigris rubellisve, oblongis.*

trifera, acinis nigris, maximis, valde pulposis (Pruni fere sapore); racemis maximis, densissimis, teretiusculis, apice subtruncatis; foliis semitrilobis, facie viridibus subtusque glabris, subaequaliter dentato-serratis, baseos sinu amplo, lobo intermedio acuminato; sarmentis pallide rubentibus.

Vern. *Axina de tres bìas*. *Axina de tres bortas*. — Vitis pergulana.

jucunda, acinis nigris, magnis, valde pulposis, dulcibus, epicarpio crasso; racemis longe pedunculatis, magnis, laxissimis racemulisque longis; foliis semitrilobis indivisisve, argute laciniato-dentatis; baseos sinu amplo; petiolis bre-

vibus, apice coccineis; sarmentis longis, pallide ferrugineis, internodiis longis.

Vern. *Apesorgia niedda.*

hyerosolimitana, acinis rubellis, duriusculis, utrinque attenuatis, incurvis, subdulcibus; racemis magnis racemulisque laxissimis longisque; foliis semiquinquelobis, sinuato-dentatis, subrotundis, subtus pubescentibus, lobis basi cuneatis: sarmentis fusco-ferrugineis, internodiis brevibus.

Vern. *Axina de Gerusalem.*

*** *Acinis albidis, oblongis.*

cucumerina, acinis viridi-flavescentibus, dulcibus, longis, incurvis, utrinque attenuatis, dispermis, epicarpio tenui; seminibus acuminatis, incurvis; racemis magnis, longis, laxissimis, racemulis longe pedicellatis; foliis utrinque glabris, facie fusco-viridibus, majoribus inciso-trilobis, minoribus indivisis, dentato-serratis; sarmentis pallide ferrugineis, internodiis longis.

Vitis acino longissimo, cucumeriformi, albido. *Cornichon blanc* Duh. Arb. fruit. (ed. 1.) 2. p. 271. tab. 6. ⩚ Roz. Dict. agric. 10. p. 183. tab. 26. ⩚

Vern. *Corniòla.* — Vitis pergulana.

mammillaris, acinis albo-flavescentibus, aequalibus, sapidis, racemis magnis, laxis, longis; foliis subaequaliter acuteque dentatis, trilobis, facie laete viridibus, subtus tomentoso-pubescentibus, nervis ad basim rubescentibus, baseos sinu amplo, lobo intermedio cuneato; petiolis brevibus, rubellis; sarmentis longis, pallide ferrugineis, nodis coloratioribus, internodiis longis.

Vern. *Tita de bacca.* — Vitis pergulana.

serotina, acinis albo-flavescentibus, magnis, duriusculis, subdulcibus, epicarpio denso, sero maturescentibus; racemis longe pedunculatis, laxis, pyramidalibus, longis apiceque productis; foliis crassiusculis, profunde quinquelobis, facie viridibus, subtus villoso-tomentosis; lobis inciso-dentatis, acutis, basi attenuatis, apice intermediis invicem superimpositis; sarmentis ferrugineis, internodiis brevibus, nodis incrassatis.

Vern. *Axina de Angiulus.* — Vitis pergulana.

latifolia, acinis albo-flavescentibus, duriusculis; racemis magnis, laxis, longis, basi attenuatis; foliis crassiusculis, amplis, quinquelobis, subtus tomentosis, nervis coccineis, lobis inaequalibus, deltoideis, late dentatis, obtusiusculis, intermediis distantibus, extimis invicem superimpositis; petiolis laete rubellis; sarmentis robustis, ferrugineis; internodiis mediocribus.

Vern. *Galoppu.*

laxissima, acinis albo-flavescentibus, inaequaliter saepe ovalibus apiceque depressis, duriusculis, dulcibus; racemis magnis, longe pedunculatis racemulisque laxissimis longisque; foliis subrotundis, sinuato-dentatis, crassiusculis, longe petiolatis, facie viridibus, baseos sinu angusto; petiolis rubellis, sarmentis longissimis, rubellis, internodiis longis.

Vern. *Apesorgia bianca.*

Isidori, acinis viridi-flavescentibus, ovali-obovatis, magnis, valde pulposis, dulcibus, moschatis; racemis magnis, inaequalibus, laxis; foliis magnis, angulato-tri-quinquelobis, acute inciso-dentatis, facie laete viridibus, subtus subpubescentibus, lobo intermedio acuto, cuneato; petiolis longis; sarmentis plurimis, longis, pallide-ferrugineis, internodiis longis.

Vitis apiana, acino maximo, ovato, e viridi-flavescente, moschato, alexandrina. *Muscat d'Alexandrie*, *Passe longue musquée* Duh. Arb. fruit. (ed. 1.) p. 270. tab. 5. ⩓ Roz. Dict. Agric. 10. tab. 25. ⩓

Vern. *Muscatellò. Muscateglio.* — Vitis pergulana.

**** *Acinis albidis, rotundis.*

generosa, acinis viridi-flavescentibus, mediocribus, dulcissimis, moschatis; racemis densis, mediocribus, cylindrico-conicis, breviter pedunculatis; foliis subquinquelobis indivisisve, crassiusculis, acute inciso-dentatis, facie laete viridibus, subtus puberulis; sarmentis longis, laete rubellis, internodiis longis.

Vitis apiana, acino medio, subrotundo, albido, moschato. *Muscat blanc* Duh. Arb. fruit. (ed. 1.) p. 267. tab. 3. ⩓ Roz. Dict. Agric. 10. p. 182. tab. 23. ⩓

Vern. *Muscadeddu.* — Vinum ejus (*Muscàu*) dulcissimum, generosissimum.

malvatica, acinis albo-flavescentibus, parvis, inaequalibus, sapidis; racemis mediocribus, laxis, longis longeque pedunculatis, basi attenuatis; foliis quinquelobis, acute dentatis, firmis, baseos sinu amplo, nervis subtus subhirsutis; sarmentis gracilibus, longissimis, prostratis, decoloribus, internodiis longis.

Vern. *Malvasìa.* — Egregium ejusdem nominis vinum jucunde amarum austerumque praebet.

austera, acinis albo-flavescentibus, mediocribus, aequalibus, valde succosis, dulcibus fereque moschatis; racemis densiusculis, pedunculis trichotomis, longis; foliis semitrilobis indivisisque, acutissime inciso-dentatis, facie viridi-flavescentibus, subtus pubescentibus, nervis prominulis, baseos sinu amplo; petiolis longis, rufescentibus; sarmentis rubellis.

Vern. *Varnaccia. Carnaccia.* — Hujus nominis vinum gratissime austerum et amarum est, minus vero alcoholicum ac praecedens.

laeta, acinis albo-flavescentibus, parvis, aequalibus, valde succosis, dulcissimis, submoschatis; racemis laxis, brevibus; foliis quinquelobis, facie fusco-viridibus, subrugosis, subtus dense villoso-tomentosis, lobo medio deltoideo, extimis semibifidis, omnibus inciso-dentatis, basi attenuatis; sarmentis crassis, firmis, longis, fusco-ferrugineis; internodiis mediocribus.

Vern. *Semidànu.*

acidula, acinis albo-flavescentibus, inaequalibus, duris, acidulis; racemis magnis, laxis, longe pedunculatis; foliis crassiusculis, angulato-trilobis, subaequaliter arguteque dentatis, subtus tomentosis, nervis marginem versus rubellis; sarmentis fusco-ferrugineis, internodiis brevibus.

Vern. *Manzèsu.*

speciosa, acinis albo-flavescentibus, magnis, austere dulcibus; racemis laxiusculis, brevibus, mediocribus, breviter pedunculatis, foliis crassiusculis, quinquelobis, facie viridi-flavescentibus, subtus dense tomentosis, venis tenuibus, ferrugineis, lobis cuneatis, angustis, laciniatis; petiolis asperis pilisque solitariis et fasciculatis, pubescentibus; sarmentis sordide ferrugineis; internodiis brevibus.

Vern. *Arremungiàu.*

inaequalis, acinis albo-flavescentibus, duriusculis, sapidis, valde inaequalibus succosisque; racemis densis, brevibus, mediocribus, racemulis supremis, brevissime pedunculatis, coacervatis, inaequalibus; foliis semitrilobis, breviter dentatis, facie laete viridibus, subtus puberulis, baseos sinu amplo; petiolis exiguis, coccineis, sarmentis pallide ferrugineis, nodis incrassatis; internodiis brevibus.

Vern. *Sarravèsa.* — Hoc etiam nomine venit ejus vinum.

robusta, acinis albidis, magnis, rotundis, duriusculis, subdulcibus, praecocibus; racemis magnis, densis brevibusque; foliis crassiusculis, quinquelobis, argute dentatis, subtus pubescentibus, lobis basi cuneatis; dentibus calloso-mucronulatis; caulibus robustis; sarmentis validis, ferrugineis.

Vern. *Arbumannu.*

decolor, acinis albidis, mollibus, valde succosis, sapidis leviterque moschatis; racemis mediocribus, laxis; foliis quinquelobis; lobo intermedio subtrifido, lateralibus bifidis, extimis appendice auctis remotisque, omnibus deltoideis, late obtuseque dentatis; sarmentis gracilibus, longissimis, prostratis, fere decoloribus.

Vern. *Bianchedda.*

pellucens, acinis albidis, mediocribus, mollibus, pellucentibus, valde succosis,

subdulcibus, epicarpio tenuissimo, columna seminifera crassa longaque, toro tenaciter haerente; racemis magnis, longis, laxis; foliis semitrilobis, argute inciso-dentatis, facie laete viridibus, subtus tomentoso-pubescentibus, baseos sinu angusto; lobo intermedio cuneato; petiolis rubellis; sarmentis pallide ferrugineis.

Vern. *Arrettallàu.*

Vitis vinifera Asiae indigena a Phaeniciis in Mediterranei maris insulas traducta perhibetur: in provinciis Sardiniae praesertim maritimis et in insulis S. Pietro et S. Antioco frequenter colitur. Varietas *sylvestris* ad sepes et dumeta spontanea passim occurrit. 5

Varietates quae ad vescendum suaviores habentur sunt *Apesorgia niedda, Axina de tres bìas, Axina de Gerusalem, Merdulìnu, Rosa, Galòppu, Apesorgia bianca, Muscadeddu, Muscatellò, Arrettallàu, Arbumannu;* hucque spectat sassarensium *Bariadorgia*, praecox valdeque sapida uva, quae cum aliis varietatibus, Sardiniae praesertim septentrionalis, describenda superest.

Vina sardoa cum hispanicis praestantia contendere valent: eximia inter caetera jure habentur *Cannonàu, Monica, Girò, Nascu, Muscàu, Malvasìa, Varnaccia.*

Vitis apiana, acino medio, subrotundo, nigricante, moschato. *Muscat noir* Duh. Arb. fruit. (ed. 1.) p. 269. nomine *Muscadeddu nieddu* colitur, sed rarissima est.

ORDO XVII.

GERANIACEAE

Geraniaceae DC. Fl. fr. 4. p. 838. et Prod. 1. p. 637. Bartl. Ord. nat. p. 348. Geranioideae Vent. Tabl. 3. p. 170. Gerania Juss. Gen. p. 268.

Calix persistens, 5-sepalus aut profunde 5-partitus, sepalis partitionibusve per aestivationem imbricatis. Torus columnam exserens centralem, rectam, longam, 5-sulcatam, 5-angulatam. Petala saepe 5, calicis divisionibus alterna, decidua, per aestivationem contorta. Stamina petalorum numero dupla, filamentis basi plerumque monadelphis; antheris incumbentibus, bilocularibus. Ovella 5, distincta, sepalis alternantia, biovulata, circum tori basim adpressa. Styli 5, planiusculi, columnae sulcis recepti, apice in totidem stigmata sim-

plicia, filiformia, divergentia, desinentes, e columna demum a basi ad apicem secedentes, se se vario modo convolventes carpellosque maturos e toro et calice avellentes. Carpelli 5, membranacei, uniloculares, 1-2-spermi, sutura rumpentes. Semina pendula. Embryo curvus, radicula deflexa, ad fundum carpelli directa, cotyledonibus foliaceis, convoluto- aut flexuoso-plicatis, integris lobatisve. Albumen nullum. — Herbae (apud nos), caulibus articulato-nodosis. Folia petiolata, oppositorum altero minore. Stipulae ad petiolorum basim binae, membranaceae.

LXXVII. GERANIUM

Geranium Herit. Geran. ined. Willd. Sp. 3. p. 696. DC. Prod. 1. p. 639. Tourn. Inst. tab. 142. ic. A-O. Gaertn. Fr. 1. tab. 79. ic. ult. Lmck. Ill. tab. 573. ic. 1. Geranii sp. Linn. Juss.

Sepala 5, aequalia. Petala 5, aequalia. Stamina 10, fertilia, alterna longiora. Glandulae nectariferae ad basim staminum longiorum. Carpellorum aristae elastice demum e basi ad axeos apicem arcuatae. — Herbae. Folia palmatim lobata sectave.

314. GERANIUM TUBEROSUM

G. radice tuberosa; caule a basi ad dichotomiam subnudo; foliis multipartitis, radicalium partitionibus inciso-pinnatifidis, obovato-cuneatis, obtusis, superiorum inciso-dentatis, lanceolatis, acutiusculis; pedunculis bifloris binisve.

Geranium tuberosum Linn. Sp. p. 953. Willd. Sp. 3. p. 698. DC.! Prod. 1. p. 640. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 39. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 38. et Fl. graec. 7. p. 54. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 194. Presl Fl. sic. 1. p. 206. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 310. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 332. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 17. DC. Fl. fr. Suppl. p. 628. Lois. Fl. gall. 2. p. 90.

Ic. — Cavan. Diss. 4. tab. 78. ic. 1. (*petalis profunde obcordatis*). Sibth. Fl. graec. 7. tab. 659. (*caule versus medietatem diphyllo*). Reich. Iconogr. Cent. 4. tab. cccxcii. ic. 576.

Geranium bulbosum Lob. Obs. p. 577. ic. ✶ et Icon. p. 661. ic. 2.✶ (*foliorum radicalium laciniae ut in sequentibus nimis acutae, caeterum icones bonae*)

G. tuberosum Dod. Pempt. p. 61. ic. 1. ✝ J. Bauh. Hist. 3. p. 474. ic. 3. ✝ Chabr. Sciagr. p. 486. ic. 4. ✝ Moris. Hist. sect. 5. tab. 16. ic. 21.

Radix tuberculo praedita globuloso aut ovali, ex quo folia radicalia tria, quatuor prodeunt, longe petiolata, profunde palmato-quinque-septem-partita, partitionibus obovatis oblongisve, basi cuneatis, inciso-pinnatifidis, lacinulis linearibus, obtusis, integris et serratis subincisisque. Caulis erectus, e tuberculo radicali erumpens, inferne flexuosus, superne bifidus, pedunculo inter divisionem uni- aut saepius bifloro, interdum binis unifloris. Rami iterum bifidi aut dichotomi, pedunculis sive inter eorum divisiones, sive axillaribus, modo binis unifloris, modo unico uni-bifloro. Folia ad caulis divisionem bina, opposita, plus minusve breviter petiolata, palmato-partita, partitionibus lanceolatis, acutis, subintegris vel inciso-dentatis subindeve inciso-pinnatifidis, caetera ad ramorum divisiones sensim minora, minus divisa sessiliaque. Stipulae ovato-lanceolatae, membranaceae, obtusiusculae nonnullaeque acutae. Sepala ovato-elliptica aut oblonga, obtusa, aristata, corolla duplo circiter breviora. Petala rubro-violacea, obcordato-cuneata, inferne ciliata. Filamenta staminum rubro-violacea, apice attenuata, glabra aut pilis aliquot ad basim praedita. Carpelli villosi, caudis semunciam circiter longis. — Planta pubescens, pilis albidis, praecipue in pedunculis et calice in quo paullo longiores. Variat caule infra divisionem uni-bifoliato.

In Oliastra et circa Calarim loco dicto Fangario.

Fl. majo. ♃

215. GERANIUM MOLLE

G. villosum; foliis orbiculato-reniformibus, inferioribus 7-9-lobis, superioribus sub-5-lobis, lobis inciso-crenatis dentatisve; pedunculis bifloris; petalis bifidis, calice vix aristato longioribus; carpellis glabris, rugosis; seminibus laevibus.

Geranium molle Linn. Sp. p. 955. Willd. Sp. 3. p. 710. DC.! Prod. 1. p. 643. Desf. Fl. atl. 2. p. 102. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 39. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 21. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 41. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 195. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 316. et Suppl. p. 217. Tenor. Fl. nap. 2. p. 102. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 225. Savi Fl. pis. 2. p. 113. et Bot. etr.

2. p. 203. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 167. DC. Fl. fr. 4. p. 850. Lois. Fl. gall. 2. p. 91. Cambess. En. pl. balear. p. 55.

G. pedunculis bifloris foliisque rameis alternis; caule ramoso diffuso; calicibus muticis All.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 95.

Ic. — Cavan. Diss. 4. tab. 83. ic. 3. Engl. bot. 11. tab. 778. Fl. dan. tab. 679.

Geranium columbinum, villosum, petalis bifidis, purpureis Vaill. Bot. paris. p. 79. tab. 15. ic. 3.

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caules decumbentes diffusive, simplices aut parce ramosi, semipedales, pedales. Folia petiolata, lobata, lobis plerumque tri-quadrifido-crenatis dentatisve, nonnullis interdum multifido-crenatis, infima orbiculata, saepe opposita, superiora reniformia alternaque. Stipulae membranaceae, ovatae, plus minusve dentatae, interdum bifidae. Pedunculi filiformes, solitarii, biflori, infimi saepe axillares, caeteri alterni et oppositifolii aut rarius laterales: pedicelli inferiores pedunculo breviores, superiores ei subaequales aut longiores, fructiferi divergentes aut declinati, apice ascendentes. Sepala ovato-elliptica, trinervia, margine membranacea, villosissima, apice vix aristata. Petala obtuse obcordato-bifida, rubella, venis purpureis picta, ad unguem ciliata, calice fere duplo longiora. Filamenta staminum apice attenuata. Carpelli transversim corrugati, glabri. Semina laevissima. — Planta pallide virens, villosaque, villis patentibus, in foliis adpressis. Variat floribus albidis.

In ruderatis et ad vias.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Geranio peloso. Geranio volgare. Piè di gallo.*

Vern. s. *Anzas de nostra Segnora.*

216. GERANIUM ROTUNDIFOLIUM

G. pubescens villosumve; foliis orbiculato-reniformibus, inferioribus septemlobis, superioribus trilobis, lobis inciso-crenatis dentatisve; pedunculis bifloris; petalis calice breviter aristato longioribus, subintegris; carpellis hirsutis; seminibus alveolatis.

Geranium rotundifolium Linn. Mant. p. 434. DC.! Prod. 1. p. 643.

Desf. Fl. atl. 2. p. 101. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 41. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 195. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 315. Tenor. Fl. nap. 2. p. 103. et Syll. p. 334. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 226. Savi Fl. pis. 2. p. 115. et Bot. etr. 2. p. 204. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 168. Balb. Misc. bot. ped. p. 35. DC. Fl. fr. 4. p. 852. Lois. Fl. gall. 2. p. 92. Cambess. En. pl. balear. p. 55.

G. molle All.! Fl. ped. 2. p. 38.

G. viscidulum Fries Novit. Fl. suec. p. 216. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 217.

Ic. — Cavan. Diss. 4. tab. 93. ic. 2. Engl. bot. 3. tab. 157. (*petalis integerrimis*).

A praecedente cujus faciem refert, petalis integris aut vix emarginatis; carpellis hirsutis, numquam rugosis; seminibus non laevibus, sed eleganter alveolatis potissimum differt.

In ruderatis et pascuis sterilibus.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Crisettina salvatica. Grisettina salvatica. Malvaccini.*

Vern. Barì *Erba de su sanguni.*

Geranium molle et *Geranium rotundifolium* adstringentibus et vulnerariis a veteribus accensita, ad externas haemorrhagias cohibendas, decocta vel in aqua calida infusa adhibentur Barì.

Obs. Geranii mollis nomine in All. Herbar. specimina sunt *Geranii rotundifolii* et *Geranii pusilli* Linn.: nomine *Geranii rotundifolii* exstat *Geranium molle* Linn.

217. GERANIUM COLUMBINUM

G. adpresse pilosum; foliis quinquepartitis, partitionibus multifidis, laciniis linearibus; calice aristato petala emarginata aequante, fructifero amplo; pedunculis bifloris, folio longioribus; carpellis glabriusculis; seminibus alveolatis.

Geranium columbinum Linn. Sp. p. 956. Willd. Sp. 3. p. 711. DC.! Prod. 1. p. 642.

Desf. Fl. atl. 2. p. 103. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 41. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 196. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 317. et Suppl. p. 218. Tenor. Fl. nap. 2. p. 102. et Syll. p. 334. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 225. Savi Due Cent. Fl. etr. p. 118. et Bot. etr. 2. p. 203. All.! Fl. ped. 2. p. 38. DC. Fl. fr. 4. p. 851. Lois. Fl. gall. 2. p. 92.

G. pedunculis bifloris; foliis quinquepartito-multifidis, angulatis, laciniis acutis; capsulis glabris; calicibus aristatis All.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 95.

Ic. — Cavan. Diss. 4. tab. 82. ic. 1. (*petalis integris*). Engl. bot. 4. tab. 259. Fl. dan. tab. 1222. Iconogr. taurin. 5. tab. 64.

Geranium columbinum foliis dissectis, pedicellis florum longissimis Vaill. Bot. paris. tab. 15. ic. 4.

(*Huc allatae a* Sm. *in* Engl. Fl. 3. p. 212. *icones* Geranium quartum Fuchs. Hist. p. 207. ic. ⁂ Geranium gruinale, folio tenuiter diviso J. Bauh. Hist. 3. p. 474. ic. 1. ⁂ *ob calicem fructiferum valde auctum,* Geranium columbinum *magis quam* Geranium dissectum *referunt; pilis vero pedunculorum caulinisque patentibus ab illo recedunt.*)

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caules diffusi erective, graciles, pedales, sesquipedales. Folia quinquepartita, suprema subinde tri-quadripartita: partitiones multifidae, inaequales, laciniis linearibus, foliorum radicalium obtusis, superiorum sensim acutioribus. Stipulae lanceolatae, acuminatae. Pedunculi folio plus minusve longiores. Calix pentagonus, sepalis ovato-lanceolatis, trinerviis, margine albo-membranaceis, fructiferis valde auctis. Petala cuneiformia, emarginata, rubella venisque tribus longitudinalibus, purpurascentibus picta, circa unguem ciliata. Carpelli non constanter glabri, sed, oculo armato, pilis brevissimis et tenuissimis sparsis plerumque praediti, quod et sardoa, et caetera mihi obvia offerunt specimina. Semina alveolata. — Planta pilis rigidulis, brevibus obsita, in caule petiolis atque pedunculis, depressis, in foliis, calice et aristis carpellorum, adpressis.

In sylvestribus et in umbrosis.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Piè o Piede colombino o di colombo. Geranio colombino.*

218. GERANIUM DISSECTUM

G. pilosum; foliis quinquepartitis, partitionibus multifidis, laciniis linearibus; petalis emarginatis, calicem aristatum aequantibus; pedunculis bifloris, folio brevioribus; carpellis pilosis; seminibus alveolatis.

Geranium dissectum Linn. Sp. p. 956. Willd. Sp. 3. p. 712. DC.! Prod. 1. p. 643. De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 501. Desf. Fl. atl. 2. p. 102. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 39. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 97. Zeraph. Fl. melit.

Thes. p. 49. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 41. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 195. (*excl. ic.* CAVAN. *et* VAILL.). GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 316. et Suppl. p. 218. TENOR. Fl. nap. 2. p. 103. et Syll. p. 334. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 225. SAVI Fl. pis. 2. p. 112. et Bot. etr. 2. p. 204. ALL. ! Fl. ped. 2. p. 39. DC. Fl. fr. 4. p. 851. LOIS. Fl. gall. 2. p. 92. CAMBESS. En pl. balear. p. 55.

Ic. — CAVAN. Diss. 4. tab. 78. ic. 2. Fl. dan. tab. 936. Engl. bot. 11. tab. 753. Geranium columbinum majus, foliis imis usque ad pedunculum divisis VAILL. Bot. paris. tab. 15. ic. 2.

A praecedente cui affinis, facile distinguitur pilis in caule pedunculis atque petiolis deflexo-patentibus, non depressis, junioribus (quod in summitate plantae et in ipsis carpellis facile deprehendi potest) apice semper glanduliferis; floribus paullo minoribus; sepalis margine haud albo membranaceis, fructiferis quidem paullulum auctis, sed duplo minoribus quam in *Geranio columbino*.

In sylvestribus et in ruderatis: frequens.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Geranio frastagliato.*

219. GERANIUM BOHEMICUM

G. pilosissimum; foliis inferioribus quinque-septemlobis, summis trilobis, lobis trifidis dentatisve; petalis emarginatis, calicem aristatum subsuperantibus; pedunculis bifloris; carpellis hirsutis; seminibus alveolatis.

Geranium bohemicum LINN. Sp. p. 955. WILLD. Sp. 3. p. 708. DC. Prod. 1. p. 644.

Ic. — CAVAN. Diss. 4. tab. 81. ic. 2. (*sepalis paullo brevius aristatis quam in nostra planta*).

Geranium batrachioides bohemicum, capsulis nigris, hirsutis DILL. Hort. Elth. tab. 133. ic. 160. (*optima*).

G. annuum batrachioides, bohemicum, purpuro-violaceum MORIS. Hist. sect. 5. tab. 15. ic. 1. (*calice haud aristato peccat*).

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caules erecti, angulosi, dichotomi, spithamei, sesquipedales. Folia magna, opposita, infima quinque-septemloba, superiora triloba; lobi crenato-dentati trifidique, extimi bifidi. Petioli inferiores folio longiores, superiores

sensim breviores. Stipulae lineari-lanceolatae, acuminatae, pleraeque bifidae. Pedunculi folia subaequantes aut superantes, in dichotomia longiores. Sepala aristata, ovato-elliptica, quinque-septemnervia. Petala coerulea, obcordato-cuneata, calicem aristatum aequantia eodemve paullo longiora. Filamenta staminum valde pilosa, superne nuda atque subulata. Carpelli hirsuti, demum nigri. Semina tenuiter alveolata, nec laevia uti apud auctores. — Planta pilosissima, pilis albidis, aliis longis, aliis brevibus et apice glanduliferis, juxta caulem, pedunculos, petiolos calicesque patentibus, in foliorum utraque pagina adpressis. Variat apud nos petalis ad marginem superiorem, pilis aliquot praeditis vel non. Specimina bohemica et helvetica petala superne breviter et tenuissime ciliolata offerunt.

In sylvestribus montanis Genargentu, Tempio.

Fl. junio. ①

220. GERANIUM LUCIDUM

G. foliis orbiculatis, subquinquelobis, lobis crenato-trifidis; pedunculis bifloris; calicibus pyramidatis, angulatis, transverse corrugatis; petalis subintegris; carpellis rugoso-reticulatis, multicarinatis, apice internoque latere puberulis; seminibus laevibus.

Geranium lucidum Linn. Sp. p. 955. Willd. Sp. 3. p. 709. DC.! Prod. 1. p. 644. Desf. Fl. atl. 2. p. 104. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 40. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 195. Biv. Sic. Cent. 1. p. 41. Presl Fl. sic. 1. p. 207. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 315. et Suppl. p. 217. Tenor. Fl. nap. 2. p. 101. et Syll. p. 334. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 225. Savi Bot. etr. 2. p. 202. et Due Cent. Fl. etr. p. 119. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 388. All.! Fl. ped. 2. p. 38. DC. Fl. fr. 4. p. 850. Lois. Fl. gall. 2. p. 91.

G. pedunculis bifloris; calicibus pyramidatis, angulatis, rugosis; foliis quinquelobis, rotundatis All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 95.

Ic. — Cavan. Diss. 4. tab. 80. ic. 2. Engl. bot. 2. tab. 75. (*calice haud transverse corrugato*). Fl. dan. tab. 218.

Geranium rotundifolium, saxatile, montanum Columν. Ecphr. tab. 137.

G. saxatile lucidum Moris. Hist. sect. 5. tab. 15. ic. 6. (*a* Columna *deprompta, sed ob caulem, pedunculos atque petiolos patenter pilosos caeteraque, mala*).

G. lucidum J. Bauh. Hist. 3. p. 481. ic. ✦ Chabr. Sciagr. p. 488. ic. 5. ✦

Radix tereti-fusiformis, inferne fibroso-ramosa. Caules spithamei,

pedales et ultra, teneri, ramosi, diffusi erective, inferne glabri, superne pedunculis petiolisque linea pilosa hinc notatis. Folia lucida, orbiculata, subquinqueloba, lobis crenato-trifidis, lobulis obtusis, mucronulatis, facie pilis crassiusculis, pellucidis, articulatis, sparsis paucisque praedita, praeterea juniora (oculo armato) tenuissime puberula, subtus omnia glabra. Stipulae lanceolatae. Pedunculi inferiores folia longitudine subaequantes, superiores folio longiores. Calix ovato-pyramidatus, quinquangulatus, glaberrimus. Sepala ovato-lanceolata, plicis tribus quinque transverse corrugata, margine scariosa, apice mucronulata. Petala rosea, calice paullo longiora, integra aut vix emarginata. Carpelli paullulum compressi, oblongi, rugoso-reticulati, glabri, dorso sulcati, superne internoque latere puberuli. Semina laevia. — Planta adulta rubescit.

In umbrosis, madidis, sylvestribus, haud procul a litore maritimo et in montanis editarum vallium Genargentu, usque ad 1500 circiter metr. supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

Ital. *Geranio lustro*.

221. GERANIUM ROBERTIANUM

G. foliis 3-5-sectis, segmentis petiolulatis, pinnatifidis; pedunculis bifloris; petalis integris, calicem subdecagonum, villosum superantibus; carpellis reticulato-rugosis; seminibus laevibus.

Geranium Robertianum Linn. Sp. p. 955. Willd. Sp. 3. p. 714. DC.! Prod. 1. p. 644.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 501. Desf. Fl. atl. 2. p. 104. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 49. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 42. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 196. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 318. α. et Suppl. p. 218. Tenor. Fl. nap. 2. p. 104. et Syll. p. 335. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 226. Savi Fl. pis. 1. p. 116. et Bot. etr. 2. p. 205. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 389. All.! Fl. ped. 2. p. 37. DC. Fl. fr. 4. p. 853. Lois. Fl. gall. 2. p. 92. Cambess. En. pl. balear. p. 55.

Ic. — Cavan. Diss. 4. tab. 86. ic. 1. Fl. dan. tab. 694. Engl. bot. 21. tab. 1486. Bull. Herb. tab. 201. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 4. tab. 182. Iconogr. taurin. 5. tab. 60.

Geranium tertium Fuchs. Hist. p. 206. ic. ⅄

Gratia Dei vel Geranion Trag. Hist. p. 108. ic.

Geranium Robertianum Dod. Pempt. p. 62. ic. ✦ Lob. Obs. p. 375. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 657. ic. 2. ✦ Moris. Hist. sect. 5. tab. 15. ic. 11. ✦ J. Bauh. Hist. 3. p. 48. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 488. ic. 4. ⁂ Zannich. Ist. tab. 228. (*petalis, in omnibus, calicem subaequantibus*).

* *minus*, caule pumilo, foliis minus divisis, carpellis rugosioribus.

Geranium purpureum Vill. Hist. 3. p. 374. Willd. Sp. 3. p. 715. Lois. Fl. gall. 2. p. 92.

G. Robertianum β. *parviflorum* Viv. Fl. lyb. Sp. p. 39.

Ic. — Vill. Hist. tab. 40.

Radix teretiuscula, inferne fibroso-ramosa. Caules decumbentes erective, teneri, ramosi, pilosiusculi aut inferne potissimum glabrati, longitudine pedales et ultra, in var. *minore* 3-5-unciales. Pili articulati, patuli. Folia longe petiolata, nitentia, utrinque plus minusve pilosa, 3-5-secta, segmentis petiolulatis, pinnatifidis bipinnatifidisve, lobulis obtusiusculis, mucronulatis. Petioli pilosi. Stipulae ovato-acutae. Pedunculi foliis longiores, pilosi. Calix ovatus, subpyramidatus, subdecagonus, constanter pilosus. Sepala ovato-oblonga, bi-trinervia, aristata, arista longitudine varia. Petala integra, rosea venisque albis inferne picta, calicem vel duplo, vel paullo dumtaxat superantia. Carpelli rugoso-reticulati, glabri. Semina laevia. — Herba foetida, aetate purpurascens.

In umbrosis sylvaticis, perinde ac praecedens: usque ad 1500 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

Ital. *Geranio Roberziano. Erba Roberta, Roberziana. Cicuta rossa. Erba cimicina.*

Vern. m. *Erba agullas.* — Sassari *Erba de fogu.*

Geranii Robertiani herba utpote resolvens externis tumoribus admoveri consuevit, ejus decoctio in ictero et in febribus intermittentibus laudata, praeterea tamquam adstringens in haemorrhagiis et sub forma gargarismatis in morbis faucium; sed ejus usus rarus. Cimices fugare dicitur.

LXXVIII. ERODIUM

Erodium Herit. Geran. ined. Willd. Sp. 3. p. 625. DC. Prod. 1. p. 644. Geranii sp. Linn. Juss. Lmck. Ill. tab. 573. ic. 2. Gaertn. Fr. tab. 79. ic. pen.

Sepala 5, aequalia. Petala 5, aequalia aut inaequalia. Stamina 10, alterna breviora steriliaque. Glandulae nectariferae ad basim sta-

minum fertilium. Carpellorum aristae intus barbatae, elastice demum in spiram contortae. — Herbae. Folia varia.

222. ERODIUM CICUTARIUM

E. pubescens; caulibus ascendentibus diffusisve; foliis pinnatisectis, segmentis sessilibus, inciso-pinnatifidis pinnatimve partitis; pedunculis multifloris; petalis inaequalibus.

Erodium cicutarium Sm. Fl. brit. p. 727. et Engl. Fl. (ed. 2.) 3. p. 229. Willd. Sp. 3. p. 629. DC.! Prod. 1. p. 646.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 35. Presl Fl. sic. 1. p. 209. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 298. et Suppl. p. 216. Tenor. Fl. nap. 2. p. 93. et Syll. p. 330. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 223. Savi Bot. etr. 2. p. 197. DC. Fl. fr. 4. p. 840. Lois. Fl. gall. 2. p. 87. Cambess. En. pl. balear. p. 56.

Geranium cicutarium Linn. Sp. p. 951. Desf. Fl. atl. 2. p. 106. All.! Fl. ped. 2. p. 35.

G. chaerophyllum Cavan. Diss. 4. p. 226.

Ic. — Engl. bot. 25. tab. 1768. Cavan. Diss. l. c. tab. 95. ic. 1.

Geranium foetens Riv. Pent. irr. tab. 115.

G. primum Fuchs. Hist. p. 204. ic.

G. tertium Math. Valgr. p. 856. ic.

Myrrhida Plinii et Rostrum Ciconiae inodorum, vulgatum Lob. Icon. tab. 659. ic. 1.

Herba Roperti Brunf. Herb. 2. p. 37. ic.

(*Incerta est huc allata a* Willdenowio *icon* Geranium supinum Dod. Pempt. p. 63. *eademque plane ac* Myrrhina Plinii, rostrum Ciconiae, seu Acus moschata officinarum et pastoris Lob. Icon. tab. 658. *quae ad* Erodium moschatum *a* Willdenowio *refertur*).

β. *bipinnatum*, foliorum segmentis subbipinnatipartitis, lacinulis tenuissimis; caule glabriusculo.

Erodium bipinnatum Willd. Sp. 3. p. 628.

Geranium cicutarium A. Desf. Fl. atl. 2. p. 106.

G. bipinnatum Cavan. Diss. 5. p. 273.

G. numidicum Poir. Voy. 2. p. 201.

G. aethiopicum Lmck. Dict. 2. p. 662.

Ic. — Cavan. Diss. l. c. tab. 126. ic. 3.

γ. *hirtum*, glanduloso-pubescens hirtumve; foliorum segmentis subbipinnatipartitis, lacinulis tenuissimis.

Erodium hirtum Jacq. Eclog. 1. p. 85. non Desf.

Ic. — Jacq. l. c. tab. 58. et *tabula accessoria* n.° 1. (*Cotyledones pinnatae*).

Radix tereti-fusiformis, crassiuscula. Caules plures, prostrati vel ascendentes, simplices ramosive, ad nodos incrassati, palmares, pedales et ultra. Folia pinnatisecta, adpresse pilosa, radicalia longiora, in orbem jacentia: segmenta inciso-pinnatifida aut pinnatipartita, laciniis integris aut plus minusve inciso-dentatis. Stipulae ovato-lanceolatae, acutae, scariosae, albidae aut purpurascentes. Pedunculi axillares (raro aliquis radicalis), folio longiores, bi-octoflori; pedicelli basi stipulis bracteaeformibus involucrati. Calix pubescens, sepalis lineari-oblongis, obtusis, tri-quinquenerviis, aristatis, aristis apice interdum setigeris. Petala obovata, inaequalia, in unguem pilosum attenuata, rosea vel albescentia, circa unguem saepe purpurascentia. Glandula rufescens ad basim staminum antheriferorum. Stigmata stellata, rosea. Carpelli oblongo-obovati, dense pilosi, caudis intus barbatis, extus adpresse pilosis aut glabris. Semina laevia.

Cotyledones in varietate α trilobae, cordatae, segmento medio longiore ex observationibus Cavan. l. c. et Gaudin Fl. helv. 4. p. 396.; in varietate γ jampridem advertente Jacq. l. c. et in β iterum observante praestantissimo Bertolonio pinnatae, pinnulis inferioribus triangularibus. In varietate α caules, petioli atque pedunculi hirti, pedicelli pilis praediti modo glanduliferis, modo non glanduliferis, raro nullis, quod in aliis praeter quam in sardois, ejusdem varietatis, speciminibus observavi. In varietate β caules modo glaberrimi, modo pilis paucis non glanduliferis hirti, modo superne dumtaxat piloso-glanduliferi, folia virentia aut canescentia, lacinulis nunc anguste lineari-lanceolatis, acutissimis, nunc lineari-oblongis, terminalibus cujusque segmenti ellipticis obovatisve, acutiusculis. In varietate γ modo caules inferne glabrati, reliqua parte glanduloso-pilosi aut hirti, modo tota planta glanduloso-pubescens valdeque viscosa, folia ut in praecedente virentia aut canescentia, lacinulae nunc anguste lineari-lanceolatae, nunc lineari-oblongae, nunc lineares, subindeve in inferioribus foliis omnes obovatae, obtusissimae, in superioribus ellipticae oblongaeve, acutiusculae. Carpellorum caudae in eadem

etiam planta aliae glaberrimae, aliae adpresse pilosae. Pedunculi bi-multiflori in singulis varietatibus, quas inter in statu naturae nullos profecto limites, post plurima in variis locis perspecta specimina, deprehendere potui.

Secus vias et in pascuis maritimis montanisque etiam editis Genargentu. Var. β et γ in arenis maritimis.

Fl. a martio ad junium. ①

Ital. *Erba cicutaria.*

223. ERODIUM MOSCHATUM

E. pubescens; caulibus procumbentibus ascendentibusve; foliis pinnatisectis, segmentis subpetiolulatis, ovatis oblongisve, inciso-serratis, basi inaequalibus; petalis aequalibus.

Erodium moschatum Herit. in Ait. H. kew. (ed. 1.) 2. p. 414. Willd. Sp. 3. p. 631. DC.! Prod. 1. p. 647.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 501. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 19. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 36. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 299. et Suppl. p. 216. Tenor. Fl. nap. 2. p. 94. et Syll. p. 331. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 223. Savi Bot. etr. 2. p. 198. DC. Fl. fr. 4. p. 841. Lois. Fl. gall. 2. p. 87. Cambess. En. pl. balear. p. 56.

Geranium moschatum Linn. Sp. p. 951. Desf. Fl. atl. 2. p. 106. Savi Fl. pis. 2. p. 119. All.! Fl. ped. 2. p. 35. (*excl. ic. Iconogr. taurin.*).

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Jacq. Hort. vind. 1. tab. 55. Engl. bot. 13. tab. 902. Cavan. Diss. tab. 94. ic. 1. (*etsi glabra*). Riv. Pent. irr. tab. 112. Iconogr. taurin. 30. tab. 41.

Radix ut in praecedente. Caules procumbentes vel ascendentes, palmares, pedales. Foliorum segmenta ovato-oblonga, inciso-serrata, pleraque brevissime petiolulata, suprema confluentia. Stipulae scariosae, ovatae, magnae. Pedunculi folio longiores, 4-12-flori. Sepala lineari-oblonga, mucrone crassiusculo, saepe purpureo terminata, exteriora quinquenervia, interiora trinervia. Petala rosea, lineis tribus purpurascentibus picta, calicem subaequantia. Filamenta staminum basi vix aut non connata. Carpelli pilis ascendentibus hirsuti. Semina laevia.

Planta pilis praedita articulatis, junioribus apice glanduliferis prae-

sertim in pedunculis, petiolis et versus caulis summitatem. Variat foliis in centro maculatis, subinde inciso-pinnatifidis. Moschum redolet.

In pascuis et ad vias Sardiniae et in insula la Maddalena.

Fl. hyeme, vere. ①

Ital. *Erodio muschiato. Geranio muschiato. Erba moscata. Erba muscada. Muschio de' sodi. Spillettone muschiato. Acus moschata.*

Vern. s. *Fila-fila.*

Infusio theiformis *Erodii moschati* leniter excitans, antispasmodica atque diaphoretica habetur.

224. ERODIUM CICONIUM

E. pubescens; caule ascendente; foliis pinnatisectis, segmentis laciniato-pinnatifidis, dentatis, rachide-dentato-alata; petalis duobus majoribus subemarginatis.

Erodium ciconium Willd. Sp. 3. p. 629. DC.! Prod. 1. p. 646. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 48. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 35. Presl Fl. sic. 1. p. 209. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 300. Tenor. Fl. nap. 2. p. 92. et Syll. p. 330. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 222. Savi Bot. etr. 2. p. 198. DC. Fl. fr. 4. p. 841. Lois. Fl. gall. 2. p. 87.

Geranium ciconium Linn. Sp. p. 952. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 193. Biv. Sic. Cent. 2. p. 28. Savi Fl. pis. 2. p. 120. All.! Fl. ped. 2. p. 35.

Ic. — Jacq. Hort. vind. 1. tab. 18. Cavan. Diss. 4. tab. 95. ic. 2. Iconogr. taurin. 5. tab. 59.

Geranium apulum Coriandri folio, alterum odorum Columm. Ecphr. tab. 135.

G. Chrysanthemi cretici folio Bocc. Mus. tab. 83.

Radix fusiformis, crassiuscula. Caulis ascendens vel diffusus, palmaris, pedalis et ultra, simplex vel ramosus. Folia pinnatisecta, pleraque petiolata, segmentis amplis, inciso-pinnatifidis atque dentatis. Pedunculi inferiores folium subaequantes, superiores superantes. Sepala lineari-oblonga, aristata, exteriora quinquenervia, interiora trinervia, arista lineam longa. Petala obsolete purpurea, obtusa, calicem aequantia aut eo vix longiora, superiora duo latiora et subemarginata. Carpelli oblongo-obovati, rufi, pilis rigidis, ascendentibus, albis, basi glanduloso-pellucidae insidentibus hirsuti, caudis longitudine triuncialibus. Semina laevia. — Planta pubescens, pilis, caulinis praesertim, apice glanduliferis.

In campis et collibus maritimis etiamque in montanis Genargentu.
Fl. martio, junio. (1)
Ital. *Erodio spillone. Geranio becco di grue. Gruaria.*

225. ERODIUM LACINIATUM

E. subpubescens; caulibus prostratis; ramis patulis; foliis pinnatipartitis, partitionibus laciniato-pinnatifidis, extime altius incisis, supremis confluentibus, lacinulis lanceolato-linearibus, acutis; pedunculis bi-multifloris, folio longioribus; petalis calicem paullo superantibus.
Erodium laciniatum CAVAN. Diss. 4. p. 228. LINDL.! Fl. graec. 7. p. 50.
Ic. — CAVAN. l. c. tab. 113. ic. 3. Fl. graec. 7. tab. 655. (*etsi folia inferiora brevius petiolata ac apud nos*).

β. *minus*, foliis minus divisis minoribusque, laciniis tenuioribus.
Erodium cinerascens MORIS Pl. nov. aut minus cogn. in Memor. Accad. R. Sc. di Torino 38. p. XXXIII.

Radix ut in praecedentibus. Caules semipedales, sesquipedales, prostrati vel interdum ascendentes, flexuosi, ramosi, ramis divergentibus. Folia pinnatipartita, cinerascentia aut virentia, plus minusve pubescentia aut hirsuta subindeve nonnulla glabriuscula, partitionibus modo dentato- modo inciso-pinnatifidis, extime, inferioribus potissimum cujusque folii, altius incisis, majoribus profundioribusque praesertim in varietate α: superiora in β saepe simpliciter pinnatipartita partitionibusque integris. Pedunculi axillares, subsexflori, in β saepe uni-triflori. Stipulae et bracteae scariosae, ovatae, obtusae subindeve nonnullae acutae. Sepala lineari-oblonga, pubescentia, sub apice aristata, aristis lineam circiter longis. Petala purpurascentia, oblonga, calicem paullo superantia, circa basim ciliata. Filamenta staminum fertilia rosea, sterilibus lanceolatis paullo longiora. Antherae oblongae. Carpelli hirsuti, aristis longitudine sesquncialibus, biuncialibus, intus barbatis, extus modo breviter pilosis, modo, in eadem etiam planta, glabris.

In utraque varietate caulis, pedunculi atque petioli modo glabriusculi, modo pilis deflexis aut patulis pubescentes hirsutive, junioribus interdum apice glanduliferis.
In arenosis maritimis.

Fl. aprili, majo. (1)

Obs. Polymorpha planta varias species mentitur: nostra var. α non differt a *Geranio laciniato* CAVAN. Diss. et *Erodio laciniato* Fl. graec. l. c. nisi inferioribus petiolis folio longioribus, quod quidem (caeteris consentientibus) satis per se non esse putaverim, ad specificum discrimen constituendum. Stipulae bracteaeque ejusdem magnitudinis sunt, apud nos, ac in icone Fl. graec. variantque obtusae subindeve nonnullae acutae aut breviter acuminatae. Staminum filamenta in nostro perinde ac in *laciniato* Fl. graec., basi non monadelpha. *Erodium pulverulentum* WILLD. et DC. Prod. et Herbar. sepalorum aristis duplo et ultra constanter brevioribus, caudis carpellorum multo etiam brevioribus, praeter pubescentiae modum a *laciniato* nostro differt.

226. ERODIUM AFFINE

E. caulibus prostratis vel ascendentibus; foliis sinuato-pinnatifidis, laciniis acute inciso-dentatis; pedunculis bi-multifloris, folium superantibus; petalis calice paullo longioribus.

Erodium affine TENOR. in not. ad Ind. sem. Hort. R. neap. (1830.) p. 13. et Fl. neap. Syll. p. 330.

E. laciniatum WILLD. Sp. 3. p. 633. DC.! Prod. 1. p. 646.

Differt a praecedente foliis (radicalibus praesertim) minus divisis; caulibus rigidis, simplicibus aut minus ramosis, ramis non divergentibus. Variat caule, pedunculis petiolisque retrorsum pilosis aut glabris, foliis plus minusve adpresse hirsutis aut glabriusculis. Num praecedentis varietas?

In arenosis maritimis.

Fl. majo, junio. (1)

Obs. Specimina *Erodii affinis* sardoa consentiunt cum neapolitanis *Erodii affinis* TENOR. l. c. ex clar. TENOR. Syll. p. 539. consentiunt etiam cum *Erodio laciniato* DC. Herbar. et cum ejusdem *Erodii* speciminibus e Gallia meridionali.

227. ERODIUM BOTRYS

E. caulibus diffusis erectisve petiolisque retrorsum hispidis; foliis sinuato-pinnatifidis aut pinnatipartitis, inferiorum lobis obtusis, crenato-dentatis, superiorum inciso-serratis, acutis; pedunculis unitrifloris; calice fructifero valde aucto.

Erodium Botrys BERTOL.! Obs. bot. in Amoen. p. 35. DC.! Prod. 1. p. 647.

Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 303. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 331. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 224. Lois. Fl. gall. p. 88.

E. gruinum β. *Botrys* Willd. Sp. 3. p. 634.

E. Gasparrini Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 301. ex ejusd. Suppl. p. 216.

Geranium Botrys Cavan. Diss. 4. p. 218.

Brousson! Pl. siccat. e Teneriffa. Lagasca! Pl. siccat. ex Hispania. Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Ic. — Cavan. l. c. tab. 90. ic. 2. (*planta pilosissima*).

Geranium Botrys folio Bocc. Mus. tab. 109.

Radix fusiformis, fibras ramosque laterales emittens. Caules semipedales, pedales et ultra, diffusi aut erecti, setulis albis, deflexis hispidi, superne glanduloso-pubescentes. Folia modo hispida, modo glabrata, sinuato-pinnatifida aut pinnatipartita, radicalia atque inferiora lobis ovatis ellipticisve, obtusis, crenato-dentatis, superiora laciniis inciso-serratis lacinulisque sensim angustioribus, longioribus acutioribusque. Petioli hispidi, pilis deflexis, confertioribus minusque validis quam in caule. Stipulae scariosae, ovato-acutae. Pedunculi axillares, folio longiores, uni-triflori, pilosi, pilis apice glanduliferis. Sepala oblonga, piloso-glandulosa, aristata, exteriora quinquenervia, interiora subtrinervia, fructifera duplo demum majora quam florifera. Petala oblonga, purpurascentia, basi circa unguem ciliata. Carpelli basi praesertim hirsuti, caudis extus adpresse pilosis, intus barbatis, uncias duas et semis, tres et ultra demum longis.

In pascuis maritimis Cagliari, Orri, Orosei.

Fl. martio, majo. ①

Vern. m. *Erba de agullas.*

228. ERODIUM CHIUM

E. caulibus ascendentibus erectisve, hirsutiusculis; foliis glabriusculis, crenato-dentatis, inferioribus subcordatis, obtuse lobatis, superioribus tripartito-lobatis, lobis incisis, intermedio trifido; pedunculis multifloris; petalis calicem paullo superantibus.

Erodium chium Willd. Sp. 3. p. 634. DC. Prod. 1. p. 647.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 37. et Fl. graec. 7. p. 52. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 305. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 331.

Geranium chium Linn. Sp. p. 951.
Erodium malachoides β. *ribifolium* DC.! Prod. 1. p. 647.
Broussox! Pl. siccat. e Teneriffa in Herbar. DC.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 657. Cavan. Diss. tab. 92. ic. 1.

Radix fusiformis. Caules pedales, bipedales, erecti vel ascendentes, simplices ramosive, pilis rigidis, deflexis, brevibus, sparsis hirsutiusculi. Folia viridia, crenato-dentata, margine ciliolata, disco fere glabra aut pilis adpressis, brevissimis, nisi oculo armato non conspicuis pilosiuscula glandulisque pellucidis praedita, inferiora ovata, subcordata, trifida lobataque, caetera sensim profundius trilobata aut tripartita, lobo medio subtrifido lateralibusque incisis, obtusis, in summis foliis nonnumquam acutiusculis. Petioli pilosi, pilis rigidulis, subdeflexis. Stipulae et bracteae scariosae, ovatae. Pedunculi axillares, quadri-octoflori, puberuli, inferiores folio breviores aut vix longiores, superiores valde longiores. Sepala oblonga, tri-quinquenervia, aristata, arista lineam et ultra longa, apice (oculo armato) setulam unam tresve saepe gerente. Petala rosea, oblongo-obovata, calicem paullo superantia. Carpellorum hirsutorum caudae, quatuordecim-sexdecim lineas longae, extus, oculo armato, pilis brevissimis, adpressis pilosae, intus barbatae. Semina laevia.

In pascuis et in arvis maritimis.
Fl. martio, majo. ①

229. ERODIUM MALACHOIDES

E. caulibus erectis diffusisve, hirtis; foliis cordatis, ovatis, pubescentibus, crenato-dentatis, indivisis obtuseque trifido-lobulatis; pedunculis multifloris; petalis calicem breviter aristatum subaequantibus.

Erodium malachoides Willd. Sp. 3. p. 639. DC.! Prod. 1. p. 648. (*excl. var.* β).
De Buch! Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 501. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 97. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 37. et Fl. graec. 7. p. 53. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 19. Presl Fl. sic. 1. p. 210. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 306. et Suppl. p. 216. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 224. Savi Bot. etr. 2. p. 199. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 167. DC. Fl. fr. 4. p. 842. Lois. Fl. gall. 2. p. 88. Cambess. En. pl. balear. p. 56.
Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Geranium malachoides Linn. Sp. p. 952. Desf. Fl. atl. 2. p. 107. Savi Fl. pis. 2. p. 118. All.! Fl. ped. 2. p. 36.

G. pedunculis multifloris; calicibus pentaphyllis; floribus pentandris; foliis cordatis, sublobatis All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 94. et Florul. cors. ibid. 2. p. 210.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 658. Cavan. Diss. tab. 91. ic. 1. (*densius villosa, aristis sepalorum minus brevibus*).

Geranium sextum Math. Valgr. p. 859. ic.

G. malachoides Lob. Obs. p. 378. ic. 1. ✦ et Icon. tab. 662. ic. 1. ✦

G. malvaceum J. Bauh. Hist. 3. p. 472. ic. ✧

G. rostrum Ciconiae Chabr. Sciagr. p. 486. ic. 1. ✦ (*pilis caulinis ascendentibus*).

Foliis molliter pubescentibus, nonnullis indivisis, nullis tripartitis, calicina arista breviore, a praecedente potissimum differt: variat (apud nos) foliis viridibus et pallide virentibus.

In ruderatis herbosis, ad vias et in pascuis.

Fl. hyeme, vere. ①

Obs. Specimina nostra nonnulla foliis praesertim superioribus profundius trilobis, aristis paullo plus quam dimidiam lineam longis, fere intermedia videntur inter *Erodium malachoidem* et *chium:* eadem specimina foliis inferioribus amplis, petiolis caulibusque patenter villosis, accedunt ad *Erodium alnifolium* Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 307. foliis vero pallide virentibus molliterque pubescentibus recedunt.

230. ERODIUM ALBIFLORUM

E. hispidulum; caulibus ascendentibus diffusisve; foliis caulinis inaequaliter lateque serrato-dentatis subincisisve, basi truncatis cuneatisve, inferioribus ovatis, superioribus oblongis; pedunculis biquinquefloris; petalis calicem subaequantibus.

Erodium albiflorum Moris in Memor. Accad. R. Sc. Torino 38. p. xxix.

Ic. — Tab. xxiv.

Radix crassa, in centro lignescens. Caules ex eadem radice multi, semipedales, pedales, ascendentes diffusive, ramosi, hispiduli pilis deflexo-patulis, superne plerisque apice glanduliferis. Folia virentia, inaequaliter lateque serrato-dentata, obtusa aut acutiuscula, glandulis utrinque plurimis pellucido-punctata pilisque albidis, articu-

latis, adpressis, subtus potissimum juxtaque nervos hispidula, nonnulla leviter incisa, inferiora ovata, superiora oblonga, omnia basi truncata aut cuneata (radicalia non vidi). Petioli hispiduli. Bracteae et stipulae scariosae, ovatae. Pedunculi axillares, glanduloso-pubescentes, bi-quinqueflori, folium subaequantes. Sepala tri-quinquenervia, oblonga, glanduloso-pubescentia, aristata, arista lineam longa, apice fuscata, uni-tri-setigera fereve pennicillifera. Petala vidi alba calicem subaequantia (ubi depicta est nostra icon, petala amplius non aderant). Staminum filamenta sterilia lanceolata, fertilibus fere duplo breviora. Carpelli rufi pilisque rufis hirsuti, caudis extus vix adpresseque pilosis, intus barbatis, septem-octo lineas, nec ultra longis. Semina laevia.

In pascuis circa Sia-manna.

Fl. junio. ① ?

251. ERODIUM MALOPOIDES SUBBIFLORUM

E. caulibus ascendentibus erectisve petiolisque rigidis, villosis; foliis cineraceo-tomentosis molliterve pubescentibus, ovatis ovalibusve, crenatis, sublobatis, obtusis, basi cuneatis cordatisve; pedunculis uni-trifloris; petalis reticulatis, calicem brevissime aristatum muticumve valde superantibus.

Erodium malopoides β. *corsicum* DC.! Prod. 1. p. 648.

E. malopoides Lois. Fl. gall. 2. p. 88. Duby Bot. gall. 1. p. 104. (*excl. syn.* Willd. *et* Cavan.).

E. corsicum DC. Fl. fr. 4. p. 842. Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 3. p. 6.

Ic. — Tab. xxv.

Radix rupium fissuras subiens, in caudicem unum aut plures abiens fuscos, veterum petiolorum reliquiis stipatos, pro varia planta aetate plus aut minus longos. Caules annotini ex suprema caudicis parte erumpentes, erecti vel ascendentes, simplices aut ramosi, rigidi, villosissimi, adulti rufescentes, ac demum inferne glabrati, longitudine biunciales, dodrantales. Folia ovata aut ovalia, obtusa, inaequaliter crenata lobatave, plerumque cineraceo-tomentosa, interdum molliter pubescentia, basi raro cordata, saepe cuneata aut fere truncata; ra-

dicalia longius petiolata; caulina ad nodos opposita, aliis minoribus ex eorum axillis saepe prodeuntibus. Petioli villosi, rigidi, superne sulcati. Stipulae membranaceae, pubescentes, ovatae, radicales plerumque lanceolatae. Pedunculi villosi, uni-biflori, raro triflori, folio paullo longiores aut subaequales, modo unicus, modo duo, tres, in eodem caulis nodo axillares, in planta autem juniore nonnulli radicales. Pedicelli demum refracti. Sepala oblonga, densius villosa, virentia aut purpurascentia, fructifera paullulum aucta, arista brevissima aut nulla. Petala calicem duplo triplove superantia, obovato-vel obcordato-cuneata, pallide violacea, venis purpurascentibus picta, ut in *Cynoglosso picto* Ait., basi puberula. Filamenta staminum sterilia lanceolata, fertilibus fere duplo breviora. Carpelli hirsuti, caudis septem-novem lineas longis, extus breviter pilosis, intus basi vix barbatis (mihi autem obvii carpelli non ita adulti; adultiores, caudas fortasse longiores et magis barbatas referunt).

Inter fissuras rupium maritimarum, calcarearum insulae Tavolara, graniticarum loco dicto il Castellazzo et Cala d'Arena in insula Asinara et circa Longosardo.

Fl. majo, junio. ♃

Obs. Erodium malopoides Willd. Sp. 3. p. 640. (*excl. syn.* Desf.) spectat ad *Geranium crassifolium* Cavan. Diss. 1. p. 219. tab. 90. ic. 1. *Geranium* autem *crassifolium* cujus iconem ac descriptionem Cavanillesius depromsit ex *Geranio malachoide, crasso, rugoso, integro folio* Bocc. Mus. p. 109. tab. 89. pertinet ad *Erodium alnifolium, junius* Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 307. — *Erodii malopoidis* specimina Desf. Herbar. ex Algeria nec non aegyptiaca a Donati! et Delile! tomento densiore, magis canescente, foliis omnibus cordatis, pedunculis 3-5-floris, differunt a speciminibus corsicis et sardois. *Erodii malopoidis* specimina ex Aegypto a Coquebert in Herbar. DC., alia ob pedunculos tri-quadrifloros et tomentum densum candidumque quo ipsae carpellorum caudae obsitae sunt, a sardois et corsicis differunt, alia viridi-cinerascentia, non candido-tomentosa, carpellorum caudis pilosis nec tomentosis, pedunculis uni-bifloris et in juniore planta radicalibus unifloris, foliis modo cordatis, modo non, modo basi cuneatis, faciem *Erodii malopoidis* nostri et corsici plane referunt. Variat *Erodium malopoides* nostrum pedunculis trifloris et foliis infimis cordatis etsi raro, nec ab *Erodio malopoide* africano uti arbitratus fueram, certe sejungi potest.

252. ERODIUM MARITIMUM

E. hispidulum, prostratum decumbensve; foliis cordato-ovatis, obtusis, crenatis sublobatisve; pedunculis uni-trifloris; petalis exiguis, calicem brevissime aristatum subaequantibus.

Erodium maritimum Herit. in Ait. Hort. kew. (ed. 1.) 2. p. 416. Sm. Fl. brit. p. 728. Willd. Sp. 3. p. 639. DC.! Prod. 1. p. 649. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 37. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 216. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 224. Savi Bot. etr. 2. p. 603. DC. Fl. fr. 4. p. 843. Lois. Fl. gall. 2. p. 89.

E. Bocconi Viv.! Append. ad Fl. cors. Prod. p. 5. Lois. Fl. gall. 2. p. 89.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Geranium maritimum Linn. Sp. p. 951. Savi Fl. pis. 2. p. 117. All.! Fl. ped. 2. p. 36.

Ic. — Engl. bot. tab. 646. (*petalis roseis*). Cavan. Diss. tab. 88. ic. 1. (*foliis villosioribus*).

Geranium supinum, maritimum, Althaeae aut Betonicae folio, nostras Pluk. Phyt. tab. 31. ic. 4. (*caule recto erectoque*).

G. minimum, anglicum, procumbens, Betonicae folio Moris. Hist. sect. 5. tab. 35. (*foliis dentatis potius quam crenatis peccans*).

G. minimum, chamaedryoides Bocc. Mus. tab. 128. (*folia radicalia*).

Radix crassiuscula, fibrillas inferne emittens. Caules ex eadem radice plures, hispiduli, simplices ramosive, semiunciales, semipedales et paullo ultra. Folia cordato-ovata, obtusa, crenata incisaque aut fere interdum lobulato-pinnatifida, inferiora longius petiolata, omnia pilis adpressis, brevibus, albis hispidula. Petioli pilis plus minusve rigidis praediti. Bracteae et stipulae membranaceae variant ovato-acutae aut lanceolatae. Pedunculi uni-triflori, pubescentes, folio breviores, axillares subindeve in juniore planta nonnulli radicales. Sepala hispidula, elliptico-oblonga, haud nervosa ut in praecedentibus, arista brevissime mucronata, interdum mutica. Petala exigua, albida, linea media nec non una alterave laterali purpurascentibus praedita, calice paullo breviora aut vix longiora. Carpelli hirsuti, caudis quatuor-quinque lineas nec ultra longis, extus adpresse et brevissime pilosis, intus imberbibus aut setulam longam unam alteramve e basi emittentibus. Semina laevia.

In pascuis montanis Flumini-major, monti della Trebina, Genargentu: inter 500 et 1700 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, junio. ♃

ORDO XVIII.

LINEAE

Lineae DC. Th. el. bot. (ed. 1.) p. 217. et Prod. 1. p. 423. Bartl. Ord. nat. p. 349.

Calix persistens, 5-sepalus aut profunde 5-partitus, raro 4-fidus. Petala tot quot calicis divisiones iisque alterna, aequalia, caduca, per aestivationem contorta. Stamina petalis numero aequalia et alterna, filamentis basi saepe monadelphis, dentibus (filamentis sterilibus, brevissimis) interjectis; antheris bilocularibus. Ovella 3-5, connata, biovulata. Styli 3-5, distincti, filiformes. Pericarpium capsulare, subglobosum, saepe acuminato-mucronatum, 3-5-loculare, loculis sive carpellis dissepimento plus minusve completo, ex endocarpio dorsali introflexo, duplicato, subbilocularibus, subbivalvibus. Semina in quoque carpello duo, dissepimento secundario segregata, paullo infra apicem angulo loculorum centrali affixa, ovata, compressa, nitida, hilo marginali. Albumen parcissimum aut saepius nullum, endopleura tumida, carnosa. Embryo rectus, planus, carnoso-oleosus; radicula ad hilum tendente; cotyledonibus integris, ellipticis. — Herbae aut suffrutices. Folia sessilia, integra. Stipulae nullae.

LXXIX. LINUM

Linum Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 528. Juss. Gen. p. 303. Tourn. Inst. tab. 176. Lmck. Ill. tab. 219. Gaertn. Fr. tab. 112.

Calix profunde 5-partitus. Petala 5. Stamina 5, dentibus (filamentis sterilibus, dentiformibus) interjectis basi monadelpha. Styli (in nostris) 5. Capsula loculis valvisque 5, geminatis.

a. *Floribus flavis.*

233. LINUM GALLICUM

L. glabrum; foliis alternis, lineari-lanceolatis; floribus laxe paniculato-corymbosis; corolla sepalis apice subulatis sesquilongiore.

Linum gallicum Linn. Sp. p. 401. Willd. Sp. 1. p. 1537. DC.! Prod. 1. p. 423. R. Sch. Syst. 6. p. 746.

Schousb. Jagttagels. Marok. p. 150. De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 502. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 51. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 216. et Fl. graec. 4. p. 3. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 93. Presl Fl. sic. 1. p. 169. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 388. Tenor. Fl. nap. 3. p. 358. et Syll. p. 157. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 120. Savi Bot. etr. 2. p. 131. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 140. et Mant. Fl. alp. apuan. p. 21. All.! Fl. ped. 2. p. 108. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. DC. Fl. fr. 4. p. 796. Lois. Fl. gall. 1. p. 228. Cambess. En. pl. balear. p. 56.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

L. calicibus acutis; foliis lineari-lanceolatis, alternis; paniculae pedunculis bifloris All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 97.

L. aureum Waldst. et Kit. Pl. rar. Hung. 2. p. 193. R. Sch. Syst. 6. p. 747. DC. Prod. 1. p. 423. Tenor. Fl. nap. 3. p. 358. et Syll. p. 157. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 388. et Suppl. p. 92.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 4. tab. 303. Waldst. et Kit. l. c. tab. 177.

Linum n.° 9. Gérard. Fl. gallop. p. 421. tab. 16. ic. 1.

L. arvense, luteum, polybracteatum, multis floribus muscosis Bon. tab. 171.

Radix flexuosa, gracilis, fibrillas emittens. Caulis solitarius aut ex eadem radice plures, quadriunciales, pedales, striato-subangulati, erecti vel ascendentes, inferne simplices ramosive, superne laxe paniculati. Folia lineari-lanceolata, alterna, acuminata, erecta, integra, infima propiora et cito decidua. Panicula laxa, dichotoma, subcorymbosa, foliosa. Pedunculi filiformes juxta paniculae ramulos sparsi, infimi calicem saepe aequantes aut superantes, summi multo breviores, fructiferi interdum subsecundi. Sepala oblongo-lanceolata, concava, nervo dorsali validiore, inferne margine plus minusve denticulato-ciliata, apice subulata. Petala lutea, integra aut obtuse emarginata, calice subduplo longiora. Antherae luteae. Styli quinque. Capsula ventricoso-ovata, obtuse pentagona, acuminata, calice brevior. Semina ovata, compressa, nitida, laevia, helvola. — Planta glabra: variat pedunculis inferioribus modo calice longioribus, modo non, in ejusdem etiam paniculae ramis.

In pascuis maritimis collinisque Sardiniae, insularum la Maddalena, Tavolara; et in submontanis Morgongiori et Flumini-major.

Fl. aprili, junio. ①

234. LINUM STRICTUM

L. foliis lineari-lanceolatis, scabris; floribus glomeratis, corymbosis, longeve racemoso-spicatis; sepalis egregie acuminatis.

Linum strictum Linn. Sp. p. 400. Willd. Sp. 1. p. 1539. DC.! Prod. 1. p. 424. R. Sch. Syst. 6. p. 752.

Schousb. Jagttagels. Marok. p. 152. Desf. Fl. atl. 1. p. 278. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 27. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 216. et Fl. graec. 3. p. 4. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 93. Presl Fl. sic. 1. p. 169. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 388. et Suppl. p. 93. Tenor. Fl. nap. 3. p. 359. et Syll. p. 157. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 120. Savi Fl. pis. 1. p. 328. et Bot. etr. 2. p. 132. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. All.! Fl. ped. 2. p. 109. DC. Fl. fr. 4. p. 798. Lois. Fl. gall. 1. p. 228. Cambess. En. pl. balear. p. 56.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

L. calicibus foliisque lanceolatis, strictis, mucronatis, margine ciliatis All.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 97. et Florul. corsic. ibid. 2. p. 213.

Ic. — Iconogr. taurin. 17. tab. 30. ic. 1.

Passerina Linariae folio Lob. Obs. p. 224. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 411. ic. 2. ✦

Passerina Lobelii J. Bauh. Hist. 3. p. 455. ic. 3. ✧ Chabr. Sciagr. p. 480. ic. 3. ✧

* *spicatum*, floribus juxta caulem ramosve alterne longeque racemoso-spicatis.

Linum inaequale Presl Delic. prag. p. 58. et Fl. sic. 1. p. 170.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 4. tab. 304.

Radix teretiuscula, flexuosa, alba, inferne ramosa fibrosaque. Caulis solitarius vel ex eadem radice plures, palmares, sesquipedales, erecti aut ascendentes, confertim foliosi, rigidi, teretes, striato-angulati, inferne scabrido-hirti. Folia lineari-lanceolata, alterna, erecta, rigidula, scabra, superiora sensim acutiora. Flores in summo caule ramisve glomerati, corymbosi, vel juxta caulem ramosve alterne longeque racemoso-spicati: pedunculis brevissimis, striato-angulatis, fructiferis incrassatis. Sepala lanceolata, egregie acuminata, nervo dorsali valido, superne potissimum scabra, basi interdum laevia, margine pilis crassiusculis, brevissimis, patentibus et apice glan-

duliferis ciliata. Petala obtusa, spathulata, denticulata, lutea, calice paullo longiora breviorave. Capsula ovato-ventricosa, acuminata. Semina elliptica, compressa, laevia, nitida.

In collibus et campis aridis Sardiniae insularumque la Maddalena et Tavolara. Fl. aprili, majo. ①

Obs. Specimina floribus dense breviterque racemoso-spicatis aliam ex allatis *Lini stricti* varietatibus in aliam abire luculenter ostendunt. In utraque varietate caules vel simplices, vel a medio ad apicem, aut versus apicem dumtaxat, alterne ramosi occurrunt. Sepalorum longitudo res certe valde varia; in varietate *spicata* saepe longiora, sed vidi in utraque, imo eadem in planta, capsulam vix superantia eademque duplo longiora.

235. LINUM MARITIMUM

L. glabrum, glaucum; foliis infimis ellipticis, oppositis, obtusiusculis, superioribus lineari-lanceolatis, acutis, trinerviis; panicula laxa, subcorymbosa; petalis sepala ovata ellipticave, submucronata, triplo quadruplove superantibus.

Linum maritimum Linn. Sp. p. 400. Willd. Sp. 1. p. 1537. DC. Prod. 1. p. 424. R. Sch. Syst. 6. p. 748.

Desf. Fl. atl. 1. p. 280. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 93. Savi Fl. pis. 1. p. 329. et Bot. etr. 2. p. 132. All.! Fl. ped. 2. p. 109. DC. Fl. fr. 4. p. 797. Lois. Fl. gall. 1. p. 227.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Jacq. Hort. vind. 2. tab. 154. Iconogr. taurin. 3. tab. 2. et 16. tab. 8.

L. sylvestre Dod. Pempt. p. 534. ic. ✦

L. marinum, luteum, narbonense Lob. Obs. p. 225. ic. 2. ✦ et Icon. tab. 412. ic. 2. ✦ (*peccant sepalis longioribus lanceolatisque*). J. Bauh. Hist. 3. p. 454. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 479. ic. 6. ⁂

L. maritimum, luteum Zannich. Ist. tab. 78.

Radix lignosa. Caules saepe plures, semipedales, tripedales, erecti vel ascendentes, teretes, striati, superne ramosi. Folia lineari-lanceolata, alterna, integra, acuta, subtus trinervia, inferiora opposita, oblonga aut, in ramis sterilibus potissimum, elliptica, obtusiuscula. Flores laxe paniculati, pedunculis axillaribus vel oppositifoliis, calice longioribus. Sepala ovata aut elliptica, margine subdenticulato-

ciliata. Petala lutea, calice triplo quadruplove longiora. Capsula ovato-ventricosa, acuminata, calicem aequans vel paullo superans. Semina fulva, laevia, elliptica, margine hinc recto interdum, illinc curvo. — Planta glabra, glauca: variat calicibus in eadem etiam planta aliis obtusis muticisve, aliis acutis aut mucronatis.

In uliginosis litoreis Porto-scuso.

Fl. junio. ♃

236. LINUM MULLERI

L. suffruticosum; ramis pubescentibus; foliis uninerviis, ciliatis, alternis, infimis ellipticis, obtusiusculis, superioribus lineari-lanceolatis, acutis; petalis sepala ovato-elliptica, acuminata, longe superantibus.

Linum Mulleri Moris Append. ad Elench. Stirp. sard. (1828.) p. 1.

L. sardoum Mull.! Pl. siccat. e Sardinia.

Ic. — Tab. xxiii.

Caules suffruticosi, ramosi. Rami alterni, erecti vel ascendentes, pilis incurvis pubescentes, simplices aut superne paniculati. Folia viridia, glabra, margine revoluta, ciliato-scabra, uninervia (punctis ad basim glandulosis nullis); inferiora elliptica aut obovata, imbricata, cito decidua, obtusa, subinde opposita; media lineari-oblonga superioraque alterna, lineari-lanceolata acutaque. Flores modo solitarii, terminales, modo laxe paniculati, paniculae ramis alternis, glabris, subcorymbosis, pedunculis axillaribus terminalibusque, calice brevioribus aut vix longioribus. Sepala elliptico- aut ovato-acuminata, ciliato-glandulosa, glabra, nervo dorsali validiusculo. Petala lutea, denticulata, calice quadruplo et ultra longiora. Stamina corolla multo breviora. Styli quinque, staminibus breviores. Stigmata capitata. Capsula ovata, calicis longitudine. Semina ut in praecedentibus. — Planta sesquipedalis, bipedalis.

In pascuis collinis circa Iglesias.

Fl. majo, junio. ♄

b. *Floribus coeruleis aut purpurascentibus.*

✦ LINUM USITATISSIMUM

L. foliis sparsis, lineari-lanceolatis, trinerviis; panicula corymbosa; petalis crenatis, calice triplo longioribus; sepalis ovatis, mucronatis, margine membranaceis, capsula demum brevioribus.

Linum usitatissimum LINN. Sp. p. 397. WILLD. Sp. 1. p. 1533. R. SCH. Syst. 6. p. 736. DC. Prod. 1. p. 426.

Ic. — Engl. bot. 19. tab. 1357. CHAUM. CHAMB. et POIR. Fl. med. 4. tab. 220. Iconogr. taurin. 2. tab. 143. ic. 1. 2.

Linum FUCHS. Hist. p. 471. ic. ✧ MATH. Valgr. p. 414. ic. LOB. Obs. p. 225. ic. 1. ✦ J. BAUH. Hist. 3. p. 450. ic. ✧ CHABR. Sciagr. p. 479. ic. 1. ✧

L. germanicum TRAG. Hist. p. 353. ic.

L. sativum, vulgare, coeruleum LOB. Icon. tab. 412. ic. ✦

L. sativum DOD. Pempt. p. 533. ic. ✦ MORIS. Hist. sect. 5. tab. 26. ic. ✦ (*minus bona*).

Radix teretiuscula, inferne fibroso-ramosa. Caulis pedalis, bipedalis, solitarius erectus aut plures ex eadem radice ascendentes, teretes, striati, basi simplices, superne paniculati. Folia sparsa, lineari-lanceolata, trinervia, infima acutiuscula, superiora acuminata. Panicula corymbosa, foliosa, multiflora, pedunculis longis. Sepala acuta, mucronataque, basi trinervia, per anthesim ovalia, fructifera ovata. Petala coerulea, obovato-cuneata, eroso-crenata, lineata, ungue albido. Capsula ovato-ventricosa, acuminata, calicem demum superans. Semina elliptica, laevia, nitida. — Planta glabra.

Colitur et spontaneum occurrit ex seminibus plantarum cultarum fortasse ortum.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Lino. Lino comune.*

Vern. m. *Linu.*

Planta humano generi admodum proficua: textus ejus corticalis fila ad multiplicem usum praebet. Semina *decocta*, qua abundant mucilagine, ad balnea fotus etc. comparatissima; *farina* qua, dudum Ilotae Lacedemone nuncque Asiae quidam populi vescuntur, cataplasmata parantur emollientia; *oleum* inodorum, densum, siccativum in medicina olim frequenter adhibitum, in arte graphica, ad atramentum typographorum pigmentaque conficienda usu venire consuevit.

237. LINUM ANGUSTIFOLIUM

L. foliis lineari-lanceolatis, tri-quinquenerviis; pedunculis solitariis, sparsis terminalibusque; petalis sepala ovato-elliptica, obsolete trinervia, brevi-acuminata, subduplo superantibus.

Linum angustifolium Huds. Angl. p. 134. Sm. Fl. brit. p. 344. DC.! Prod. 1. p. 426. R. Sch. Syst. 6. p. 743.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 215. α. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 92. Urv. En. pl. archip. p. 36. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 385. Tenor. Fl. nap. 3. p. 356. et Syll. p. 156. Bertol. Amoen. p. 240. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 17. DC. Fl. fr. 4. p. 799. Lois. Fl. gall. 1. p. 227.

L. tenuifolium ζ. Linn. Sp. p. 399.

L. narbonense Desf. Fl. atl. 1. p. 279. non Linn.

Ic. — Engl. bot. 6. tab. 381.

Radix tereti-fusiformis, subflexuosa, inferne fibroso-ramosa. Caules semipedales, sesquipedales, saepe plures, erecti aut ascendentes, interdum decumbentes, teretes, striati, simplices aut versus medietatem et superne ramosi. Folia sparsa, lineari-lanceolata, acuminata, tri- aut rarius quinquenervia, plus minusve pellucido-punctata, inferiora breviora. Pedunculi terminales et juxta caulem ramosque sparsi, filiformes, longiusculi. Sepala elliptica, brevi-acuminata, obsolete trinervia, margine membranacea nec glandulosa, interiora saepe eroso-subciliata, fructifera ovato-elliptica. Petala coerulea subindeve purpurascentia, integra aut denticulata, obovato-cuneata, calice subduplo longiora. Stamina petalis fere duplo breviora, antheris sagittatis. Styli staminibus vix longiores. Capsula ovato-ventricosa, acuminata, calicem superans. Semina elliptica ut in praecedente. — Planta glabra: variat foliis angustioribus.

In pascuis maritimis, collinis et submontanis: frequens.

Fl. aprili, majo. ① ②

Obs. Lini angustifolii specimina nostra minora caulibus gracilibus, decumbentibus, *Linum decumbens* Desf. Fl. atl. tab. 79. valde aemulantur: africana autem et sicula *Lini decumbentis* specimina e clariss. Desf. et Guss. in Herbario DC. cum nostris collata, sepalis oblongo-lanceolatis, longioribus, apicem versus virentibus ibidemque margine subciliatis, differunt. *Lini alpini* specimina pedemontana All. Herbar. spectant ad *Linum angustifolium* Linn.

Linum narbonense All. Fl. ped. a Sm. in Engl. Fl. 2. p. 119. ad *Linum angustifolium* adductum, deest in All. Herbar.: quae in eodem Herbario exstant *Lini narbonensis* Linn. veri specimina, sunt a Vahl, Gerard et Pourret.

LXXX. RADIOLA

Radiola Gmel. Syst. 1. p. 289. Sm. Fl. brit. p. 201. DC. Prod. 1. p. 428. Dill. Gen. p. 126. tab. 7. Lini sp. Linn. Juss.

Calix 4-fidus, laciniis trifidis. Petala, stamina et styli 4. Capsula valvulis loculisque 4, geminatis.

238. RADIOLA LINOIDES

Radiola linoides Gmel. l. c. DC.! Prod. 1. p. 428. R. Sch. Syst. 3. p. 517.
R. millegrana Sm. Fl. brit. p. 202. et Engl. Fl. 1. p. 243. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 110. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 49. et 162. Savi Bot. etr. 2. p. 134. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 339. et Fl. ital. 1. p. 249.
Linum Radiola Linn. Sp. p. 402. Willd. Sp. 1. p. 1542. Schousb. Jagttagels. Marok. p. 153. Savi Fl. pis. 1. p. 330. All.! Fl. ped. 2. p. 110. DC. Fl. fr. 4. p. 801. Lois. Fl. gall. 1. p. 228.
Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Engl. bot. 13. tab. 893. Fl. dan. tab. 178. Iconogr. taurin. 45. tab. 70.
Linokarpum Serpylli folio, multicaule et multiflorum Mich. Nov. pl. Gen. tab. 21.
Chamaelinum vulgare Vaill. Bot. paris. tab. 4. ic. 6.
Millegrana minima Lob. Icon. tab. 422. ic. 1.

Plantula uni-triuncialis, glabra. Radix exilissima, fibrosa. Caulis teres, filiformis, erectus, ex ipsa fere basi vel superne ramoso-dichotomus, aetate interdum purpurascens. Rami corymbosi. Folia sessilia, ovato-acuta, uninervia, integerrima, vix lineam aut fere sesquilineam longa. Flores terminales et ex dichotomiis, pedunculis capillaribus erectis, superioribus sensim brevioribus. Calix quadrifidus, laciniis trifidis, acutis. Petala alba, obovata, obtusa, calicem vix superantia. Stamina aequalia, corollam subaequantia: antheris luteis. Capsula globulosa, sulcata, octosperma. Semina elliptica, nitida, fulva.

In sabulosis, humidis, montanis.

Fl. majo, junio. ①

ORDO XIX.

OXALIDEAE

Oxalideae DC. Prod. 1. p. 659. Bartl. Ord. nat. p. 351.

Calix persistens, 5-sepalus aut profunde 5-partitus, sepalis partitionibusve per aestivationem imbricatis. Petala 5, sepalis alterna, decidua, per aestivationem contorta. Stamina 10; filamentis basi plerumque monadelphis; antheris bilocularibus. Ovarium 5-angulare, 5-loculare. Styli 5, a basi distincti, filiformes. Pericarpium 5-loculare, raro baccatum, saepe capsulare externisque angulis in valvas 5, medio septiferas, juxta longitudinem dehiscens. Semina striata, juniora inclusa arillo carnoso, elastice demum dehiscente semenque projiciente. Albumen cartilagineo-carnosum. Embryo inversus, radicula supera, longa. — Herbae (apud nos) acidulae. Folia alterna, petiolata.

LXXXI. OXALIS

Oxalis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 794. Juss. Gen. p. 270. Lmck. Ill. tab. 391. Gaertn. Fr. tab. 113. Oxys Tourn. Inst. tab. 19.

Calix profunde 5-partitus. Petala 5, unguibus cohaerentia. Stamina 10, basi monadelpha, alterna petalis opposita longioraque. Capsula cylindracea oblongave, 5-angularis, 5-locularis, loculis oligo-polyspermis.

239. OXALIS CORNICULATA

O. caule repente, prostrato vel ascendente, pubescente; foliolis ternis, obcordatis; petiolis basi stipulatis; pedunculis bi-quinquefloris; pedicellis fructiferis refractis.

Oxalis corniculata Linn. Sp. p. 623. Willd. Sp. 2. p. 800. DC.! Prod. 1. p. 692. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 88. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 58. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 313. et Fl. graec. 5. p. 38. Presl Fl. sic. 1. p. 212. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 524. et Suppl. p. 135. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 224. et Fl. nap. 4. p. 243. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 156. Savi Fl. pis. 1. p. 431. et Bot. etr. 2. p. 130. DC. Fl. fr. 4. p. 856. Lois. Fl. gall. 1. p. 333. Cambess. En. pl. balear. p. 56.

Oxys corniculata All.! Fl. ped. 2. p. 89. et O. stricta All.! l. c. (*ex parte*).
Ic. — Jacq. Oxal. tab. 5. Fl. graec. tab. 451. Engl. bot. 24. tab. 1726. Iconogr. taurin. 3. tab. 5.
Oxys flavo flore Clus. Hist. lib. 6. p. 249. ic. 1. ✢
O. sive Trifolium acetosum, flore luteo Dod. Pempt. p. 579. ic. 1. ✢
O. lutea, corniculata, repens Lob. Obs. p. 495. ic. 2. ✢ et Icon. 2. tab. 32. ic. 2. ✢
O. lutea J. Bauh. Hist. 2. p. 388. ic. ✢ Chabr. Sciagr. p. 168. ic. 2. ✢ (*etsi petioli basi haud stipulati*).

* *ascendens*, major, caule ascendente, pedunculis folio valde longioribus.

Radix teretiuscula, flexuosa, inferne fibrosa. Caules plures, palmares, semipedales et ultra, prostrati, radicantes vel ascendentes, pubescentes. Folia alterna, palmato-trifoliata, foliolis obcordato-cuneatis, subsessilibus, ciliatis vel utrinque pubescentibus. Petioli graciles, pubescentes, longitudine varii. Stipulae parvae, basi petiolorum adnatae. Pedunculi pubescentes, solitarii, axillares, bi-quinqueflori, variant folio longiores aut breviores; pedicellis basi bracteatis, demum refractis. Bracteae exiguae, lineares, acutae. Sepala lineari-oblonga. Petala lutea, obtusa, calice longiora. Capsulae prismaticae, pubescentes. Semina rufa, ovata, compressa, transverse rugosa.

Secus vias et in herbosis.

Fl. omni fere anni tempore. ① ②

Ital. *Acetosella carpina. Alleluja carpigna. Erba lujula. Pancuculo. Panicubalo. Trifoglio acetoso.*

Vern. m. *Alleluja. Cor' axèdu.*

Herba acidula, refrigerans: ex ejus succo sal essentiale Acetosellae (oxalas acidulus potassae) perinde ac ex *Oxalide Acetosella* parari potest.

Obs. Varietas nostra *ascendens* caule circiter dodrantali, nec radicante, *Oxalidem strictam* Linn. Jacq. aemulatur: pedicellis autem omnibus egregie demum refractis atque petiolis basi stipulatis differt.

Oxalis cernua Thunb. Diss. Oxal. n.° 12. tab. 2. ic. 2. Jacq. Oxal. n.° 16. tab. 6. DC. Prod. 1. p. 696. acaulis subcaulescensve; foliolis tribus, obcordato-bilobis, glabris, subciliatis; scapo umbellifero, multifloro; floribus cernuis; stylis brevissimis (corollis flavis).

Stirps perennis, promontorii Bonae Spei indigena, circa Orri vulgata et spontanea facta est.

Tropaeolum majus Linn. Sp. p. 490. Ital. *Asturzio, Cappuccina, Nasturzio*

d'India. Vern. m. *Martuzzu de Indias, Capucinas,* — et *Balsamina hortensis* Desp. Dict. sc. nat. 3. p. 485. (*Impatiens Balsamina* Linn. Sp. p. 1328.). Ital. *Balsamina femmina, Belliuomini.* Vern. *Belladonna,* coluntur in hortis ad ornamentum: eorum flores in acetariis adhibentur.

ORDO XX.

RUTACEAE

Rutaceae Adr. Juss. in Mem. Mus. Hist. nat. 12. p. 449. Zygophylleae et Rutaceae DC. Prod. 1. p. 703. 709.

Calix 4-5-partitus. Petala 4-5, calicis divisionibus alterna. Stamina petalorum numero dupla, glandulis squamulisve ad basim plerumque stipata. Ovarium 4-5-loculare, 4-5-costatum, toro stipitiformi, brevi aut discoideo saepe superimpositum. Stylus unicus. Pericarpium capsulare, loculis petalorum numero aequalibus et oppositis, oligo-polyspermis, modo osseo-crustaceis, indehiscentibus intusque in loculos secundarios monospermos transverse divisis; modo valvis septiferis dorsoque juxta longitudinem dehiscentibus; modo in capsulam semi-4-fidam coalitis, apice intusque dehiscentibus. Semina loculorum angulo centrali affixa. Albumen carnosum vel corneum, raro nullum. — Herbae aut suffrutices (apud nos). Folia pinnata vel decomposita.

GENERA RUTACEARUM

LXXXII. Tribulus. Calix 5-partitus. Petala 5. Stamina 10, alterna calicis divisionibus opposita glandulaque ad basim stipata. Stylus brevissimus, stigmate magno, 5-costato. Capsulae loculi 5, osseo-crustacei, axi annexi, subtrigoni, indehiscentes, extrinsecus spinosi tuberculatique, intus dissepimentis oblique transversis in loculos monospermos, superpositos divisi. Seminum albumen nullum. — Herbae diffusae. Folia stipulata, oppositorum altero saepe minore. Pedunculi alternatim solitarii, uniflori.

+ Zygopyllum. Calix 5-partitus. Petala 5. Stamina 10, filamentis basi squamuliferis. Ovarium gynophoro brevi impositum. Stylus in stigma apice attenuatus. Capsula oblonga, 5-angularis, 5-locularis, 5-valvis, valvis medio

septiferis dehiscens. Semina scabra, in quoque loculo plura, biserialia: albumine tenui. — Herbae (apud nos). Folia opposita, bifoliata, stipulata. Pedunculi subgemini, uniflori.

LXXXIII. RUTA. Calix 4-5-partitus, persistens. Petala 4-5, concava, unguiculata. Stamina petalorum numero dupla. Ovarium gynophoro impositum, tot poris nectariferis praedito quot stamina. Stylus unus, basi 4-5-plex, ex angulo loculorum interno originem ducens. Capsula subglobosa, semi-4-5-loba, 4-5-locularis, loculis polyspermis, interno latere dehiscentibus. Semina angulato-reniformia, punctata. — Herbae perennes suffruticesve, glaucescentes, graveolentes. Folia decomposita, alterna, glanduloso-punctata. Stipulae nullae.

LXXXII. TRIBULUS

Tribulus LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 289. JUSS. Gen. p. 296. DC. Prod. 1. p. 703. ADR. JUSS. Mem. Rutac. in Mem. Mus. Hist. nat. 12. p. 451. tab. 14. n.° 1. TOURN. Inst. tab. 141. GAERTN. Fr. tab. 69. LMCK. Ill. tab. 346.

Calix 5-partitus. Petala 5. Stamina 10, alterna calicis divisionibus opposita glandulaque ad basim stipata. Stylus brevissimus, stigmate magno, 5-costato. Capsulae loculi 5, osseo-crustacei, axi annexi, subtrigoni, indehiscentes, extrinsecus spinosi tuberculatique, intus dissepimentis oblique transversis in loculos monospermos, superpositos divisi. Seminum albumen nullum.

240. TRIBULUS TERRESTRIS

T. foliis quadri-septemjugis, foliolis subaequalibus; pedunculis folio multo brevioribus; carpellis muricatis, quadricornibus.

Tribulus terrestris LINN. Sp. p. 554. WILLD. Sp. 2. p. 567. DC. Prod. 1. p. 703. R. BR. in DENH. CLAPP. et OUDN. Voy. afric. (vers. gall.) 3. p. 301. FORSK. Fl. aegypt. p. LXVI. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 88. DESF. Fl. atl. 1. p. 339. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 74. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 1. p. 273. et Fl. graec. 4. p. 65. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 114. PRESL Fl. sic. 1. p. 213. GUSS. Fl. sic. Prod. 1. p. 479. et Suppl. p. 117. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 199. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 146. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 149. ALL.! Fl. ped. 2. p. 93. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 2. p. 27. DC. Fl. fr. 4. p. 731. LOIS. Fl. gall. 1. p. 291.

Ic. — Sibth. Fl. graec. tab. 372. Iconogr. taurin. 34. tab. 73.

Tribulus terrestris Math. Valgr. p. 974. ic. Clus. Hist. lib. 6. p. 241. ic. 2. ✦ Lob. Obs. p. 528. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 84. ic. 1. ✦ J. Bauh. Hist. 2. p. 325. ic. ⚲ Chabr. Sciagr. p. 156. ic. 6. ⚲ Moris. Hist. sect. 2. tab. 8. ic. 9.

T. terrestris minor, incanus, hispanicus Barr. Ic. tab. 558.

T. terrestris, Ciceris folio Zannich. Ist. tab. 222.

Radix tereti-fusiformis, gracilis, inferne fibroso-ramosa. Caules ex eadem radice multi, semipedales, bipedales, teretes, simplices ramosive, prostrati vel raro ascendentes, villoso-hirsuti, pilis rigidis, longiusculis, aliis brevioribus, mollibus, admixtis. Folia nonnulla subinde alterna, pleraque opposita, oppositorum altero minore, abrupte pinnata, quadri-septemjuga, breviter petiolata, foliolis brevissime petiolulatis, ovato-ellipticis aut oblongis, oppositis, obtusiusculis, basi plerisque obliquis, superne virentibus et juxta nervum medium pilosis, inferne adpresse pilosis, pilis albidis, longis. Stipulae lanceolatae, villosae. Pedunculi axillares foliisve alternis oppositi, solitarii, villosi, uniflori, folio duplo quadruplove breviores. Sepala ovali-lanceolata, extus adpresse pilosa, margine membranacea. Petala lutea, oblonga, calice deciduo longiora, apice crenulata. Staminum filamenta glabra, flavescentia. Antherae incumbentes, flavae. Ovarium calicem et stamina subaequans, conicum, pilis albis adpresse hispidum. Stylus subnullus. Stigma crassum, obtusum, striis quinque radiantibus sulcatum. Carpelli tri-quinqueloculares, glabri vel pubescentes, subcuneati, spinis quatuor acutis, quarum duae majores, armati atque tuberculato-muricati, tuberculis obtusis, apice setigeris. Semina ovata, hinc obtusa, illinc attenuata. — Variat foliis subtus plus minusve canescentibus.

In pascuis et in arvis.

Fl. junio, augusto. ①

Ital. *Basapiè. Ceciarello. Tribolo. Tribolo terrestre.*

Vern. m. *Basapèi.* — Vern. s. *Sprunìtu.*

✢ ZYGOPHYLLUM

Zygophyllum Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 730. Juss. Gen. p. 296. DC. Prod. 1. p. 705. Adr. Juss. Mem. Rutac. in Mem. Mus. Hist. nat. 12. p. 455.

tab. 15. n.° 4. Gaertn. Fr. tab. 112. Lmck. Ill. tab. 345. Fabago Tourn. Inst. tab. 135.

Calix profunde 5-partitus. Petala 5. Stamina 10, filamentis basi squamuliferis. Ovarium gynophoro brevi impositum. Stylus in stigma apice attenuatus. Capsula oblonga, 5-angularis, 5-locularis, 5-valvis, valvis medio septiferis dehiscens. Semina scabra, in quoque loculo plura, biserialia: albumine tenui.

+ ZYGOPHYLLUM FABAGO

Z. foliis petiolatis, bifoliolatis, foliolis oblique obovatis, planis; pedunculis solitariis geminisque erectis; calicibus glabris; petalis integris; capsulis prismaticis.

Zygophyllum Fabago Linn. Sp. p. 551. Willd. Sp. 2. p. 560. DC. Prod. 1. p. 705.

Ic. — Lmck. Ill. tab. 345. ic. 1. Iconogr. taurin. 10. tab. 64.

Capparis Fabago Dod. Pempt. p. 747. ic. ✢

C. leguminosa sive Fabago Belgarum Lob. Obs. p. 511. ic. 1. ✢ et Icon. 2. tab. 58. ic. 2. ✢

C. Fabaginea sive Peplios Lutetianorum J. Bauh. Hist. 2. p. 66. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 119. ic. 5. ⁂

C. Portulacae folio Moris. Hist. 2. sect. 3. tab. 15. ic. 5. (*mediocris*).

Radix albida, ramosa. Caules herbacei, teretes, erecti, dichotomi, pedales, bipedales. Folia opposita, petiolata, bifoliolata, foliolis oblique obovatis, obtusis, planis, laevibus, viridibus, carnosulis (fere ut in *Capparide* cujus a veteribus nomen habuit), integerrimis, petiolo latiusculo, foliola longitudine aequante aut plerumque paullo breviore, apice mucronulum subulatum foliolis intermedium gerente. Stipulae ovato-acutae aut lanceolatae, singulis nodis ad latera baseos petiolorum utrinque adnatae. Pedunculi flores longitudine subaequantes, ex axillis stipularum originem ducentes, saepe gemini, axillares et terminales. Sepala obovato-elliptica, obtusa, viridia, glaberrima, margine albo-membranacea. Petala calice paullo longiora, oblongo-obovata, integerrima, aurantiaca, versus apicem alba. Stamina aurantiaca, calice demum duplo longiora, filamentis basim versus appendice squamaeformi, erecta, apice incisa praeditis. Ova-

rium sexsulcatum, lineari-oblongum, calice paullo brevius, in stylum staminibus paullo brevius abiens. Capsulas non vidi nisi immaturas. — Planta glabra.

In arvis circa suburbium Villanova Cagliari, certe spontanea: num indigena?
Fl. majo, junio. ♃

Planta amara, acris, vermifuga dicitur.

LXXXIII. RUTA

Ruta Adr. Juss. Mem. Rutac. in Mem. Mus. Hist. nat. 12. p. 462. tab. 17. n.° 9. Rutae sp. Linn. DC. Tourn. Inst. tab. 133. Gaertn. Fr. 2. tab. 111. Lmck. Ill. tab. 345. ic. 1.

Calix 4-5-partitus, persistens. Petala 4-5, concava, unguiculata. Stamina petalorum numero dupla. Ovarium gynophoro impositum, tot poris nectariferis praedito quot stamina. Stylus unus, basi 4-5-plex, ex angulo loculorum interno originem ducens. Capsula subglobosa, semi-4-5-loba, 4-5-locularis, loculis polyspermis, interno latere dehiscentibus. Semina angulato-reniformia, punctata.

241. RUTA CHALEPENSIS

R. foliis supradecompositis, lobis angustis, oblongis, basi cuneatis; petalis margine pectinato-fimbriatis.

Ruta chalepensis β. Linn. Mant. 1. p. 69. Willd. Sp. 2. p. 544. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 356. DC. Fl. fr. 4. p. 733.

R. chalepensis Viv. Fragm. Fl. ital. in Ann. bot. (part. 2.) p. 170. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 272. et Fl. graec. 4. p. 368. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 114.

R. graveolens α. Linn. Sp. p. 548.

R. graveolens *minor* All.! Fl. ped. 1. p. 281.

R. angustifolia Pers. Syn. 1. p. 464. DC.! Prod. 1. p. 710. et Fl. fr. 6, p. 600. Lois. Fl. gall. 1. p. 291. Cambess. En. pl. balear. p. 57.

Ic. — Ruta chalepensis Fl. graec. tab. 368. Iconogr. taurin. 47. tab. 97. R. angustifolia Bot. mag. tab. 2311. Reich. Iconogr. Cent. 8. tab. 788. ic. 1062. R. tenuifolia florum petalis villis scatentibus Moris. Hist. sect. 5. tab. 35. ic. 8.

* *bracteosa*, bracteis latioribus, cordato-ovatis.

Ruta bracteosa DC.! Prod. 1. p. 710. Presl Fl. sic. 1. p. 215. Guss. Fl. sic.

Prod. 1. p. 480. et Suppl. p. 117. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 199. CAMBESS. En. pl. balear. p. 57.

R. graveolens ALL.! Fl. ped. 1. p. 281.

R. macrophylla MORIS Stirp. sard. Elench. fasc. 1. p. 11.

R. chalepensis TENOR. Fl. nap. 1. p. 220. ex clar. TENOR. Syll. l. c. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 147.

Ic. — Ruta bracteosa REICH. Iconogr. Cent. 8. tab. 789. ic. 1063. R. chalepensis Iconogr. taurin. 16. tab. 50.

Caulis pedalis, bipedalis et ultra, teres, erectus, rigidulus, ramosus, glaucescens, glandulis obsitus uti reliqua planta, basi fruticosus. Folia alterna, petiolata, supradecomposita seu bipinnatisecta, segmentis oppositis alternisque, lobis lineam, duas lineas latis, ovalibus oblongisve, obtusis, inaequalibus, uninervibus, glaucescentibus, pellucido-punctatis, (oculo armato) obsolete crenatis, basi attenuatis, aliis indivisis, aliis bi- seu tripartitis, terminali caeteris vix majore. Petiolus communis rigidus, basi paullulum dilatatus. Flores in cymas terminales, subcorymbosas dispositi, pedunculati, erecti, centrales plerumque quinquefidi atque decandri, caeteri quadrifidi octandri: pedunculi juniores pilis brevissimis, apice glanduliferis (oculo armato) tenuissime puberuli. Bracteae sparsae et ad paniculae divisiones, persistentes, cordato-ovatae, ovato-acutae aut lanceolatae, plus minusve angustae; in var. *bracteosa* cordato-ovatae, latiores. Sepala ovato-acuta, pellucido-punctata, obsolete crenata, persistentia, petalis triplo breviora. Petala concava, obovata, flavo-virescentia, pellucido-punctata, margine subcrispula et pectinato-fimbriata. Stamina glabra, flava, petalis demum vix longiora, filamentis apice attenuatis; antheris flavis, incumbentibus. Ovarium impositum receptaculo crasso, poris nectariferis obsito. Stylus filiformis. Stigma sulcatum. Capsula quadri-quinquelocularis, glanduloso-tuberculata, juniorque stellato-hirsuta, adulta glabrata, loculis subtrispermis, apice attenuatis.

In apricis ruderatis frequens.

Fl. vere. ♄

Vern. m. *Arrùda.* — Vern. s. *Ruda.* — Tortolì *Orrùda.*

Ruta oleo aethereo graveolente praedita, amara et acris, cutim, cui admoveatur, rubefacere valet. Tonica stirps et anthelminthica habetur. Herba recens multo efficacior quam siccata.

Obs. Variat *Ruta chalepensis* nostra bracteis, in diversis plantis aut in eadem, cordatis, ovatis, ovato-lanceolatis subindeve, superioribus praesertim, lanceolatis. Planta in fertilibus crescens virentior se profert caulibus et cymis robustioribus, bracteis et foliorum lobis latioribus; quamobrem specimina nostra majora ad *Rutam macrophyllam* Bot. Mag. tab. 2018. et DC.! Prod. et Herbar. valde accedunt. Alia specimina ratione magnitudinis foliorum et bractearum, colore plus minusve virente aut glaucescente inter utramque nostram varietatem intermedia, ab altera gradum ad alteram faciunt.

242. RUTA CORSICA

R. foliis supradecompositis, lobis obovatis, subpilosis; paniculae ramulis longiusculis, rigidis, divergentibus, apice attenuatis, unifloris, demum spinescentibus; petalis integris.

Ruta corsica DC.! Prod. 1. p. 710. Lois. Fl. gall. 1. p. 290. Duby Bot. gall. 1. p. 108.
R. divaricata Salzmann Bot. Zeit. (1821.) p. 109. non Tenor.

Ic. — Reich. Iconogr. Cent. 8. tab. DCCCXC. ic. 1064.
Ruta montana, spinosa, alba Bocc. Mus. p. 70. tab. 59.

Caulis fruticosus, teres, ramosissimus, semipedalis, pedalis, superne glaucus et glandulis obsitus uti reliqua planta. Rami flexuosi. Folia petiolata, alterna, ut in praecedente, supradecomposita seu bipinnatisecta, lobis obovatis subindeve rhombeo-ovatis, unam, tres lineas latis, obsolete crenatis, obtusis, indivisis nonnullisque bi-trifidis seu bi-tripartitis, plerumque pilosiusculis, pilis adpressis, stellatis. Flores quadrifidi, centrales saepe quinquefidi, in paniculas terminales, dichotomas dispositi, ramulis pedunculisve remotis, unifloris, divergentibus, rigidis, a basi ad apicem sensim attenuatis atque, elapso fructu, in spinam mutatis, interdum pilosiusculis. Bracteae sparsae, et ad basim pedunculorum, ovatae, valde exiguae, deciduae saltem in sicco. Sepala ovata, persistentia, perexigua, petalis sextuplo breviora. Petala flava, concava, unguiculata, integra, dorso virescentia: caetera ut in specie praecedente.

In rupestribus montanis Tonneri d'Irgini et su xuxu Genargentu: a 1000 ad 1800 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. augusto. ♄

Odor gravis, sapor acris, amarissimus. Virtus praecedentis.

Ailantus glandulosa Desf. in Mem. Acad. Paris. (1786.) p. 263. tab. 8. procera arbor, Sinarum Molucarumque indigena; foliis impari-pinnatis, foliolis basi late dentatis, dentibus subtus glandulosis. Ital. *Ailanto, Albero del Paradiso,* prospere colitur in Sardinia: caeteris autem exoticis citius et in variis locis crescens, latius diffundi promeretur.

SUBCLASSIS II.

CALICIFLORAE

Sepala plus minusve inter se coalita. Petala inter se libera aut coalita. Torus sic calici adnatus, ut corolla et stamina toro inserta e calice originem ducere videantur.

CALICIFLORARUM ORDINES

XXI. CELASTRINEAE. Calix 4-5-partitus, partitionibus per aestivationem imbricatis, persistentibus. Torus expansus in discum annulumve calicis fundo adhaerentem. Petala 4-5, plana, basi lata, calicis partitionibus alterna, disci margini inserta, perigyna, decidua, per aestivationem imbricata. Stamina 4-5, disco inserta, petalis alterna. Ovarium liberum. Stylus 1. Pericarpium (apud nos) capsulare, 3-5-loculare, valvis medio septiferis 3, 5 dehiscens. Semina solitaria aut pauca, interdum arillata, loculorum angulo centrali ope funiculi filiformis affixa. — Arbusculae fruticesve. Folia simplicia, petiolata. Flores parvi, albido-virescentes, hermaphroditi.

XXII. RHAMNEAE. Calicis tubus ovario adhaerens, limbo 4-5-fido, laciniis per aestivationem valvatis. Torus extensus in discum laminamve calicis tubum intus obvestientem. Petala modo nulla, modo minima aut squamaeformia, laciniis calicinis numero aequalia et alterna, perigyna, per aestivationem complicata. Stamina totidem ac petala iisdemque opposita, brevia. Ovarium vel omnino, vel ex basi dumtaxat calici adnatum. Styli 1-4. Pericarpium 2-4-loculare, drupaceum aut baccatum seu bi-quadricoccum. Semina in loculis coccisve solitaria, erecta, exarillata, subsessilia. — Arbusculae fruticesve ramulis saepe spinescentibus. Folia simplicia, petiolata. Stipulae exiguae, deciduae vel persistentes atque spinescentes, raro nullae. Flores lutescentes aut albido-virescentes, parvi, hermaphroditi aut unisexuales.

XXIII. TEREBINTHACEAE. Calix 3-6-divisus, liber aut ovario adnatus. Petala nulla, vel calicis lobis numero aequalia et alterna, regularia, basi subinde coalita, perigyna aut epigyna. Stamina calicis lobis numero aequalia et opposita, vel dupla, quadrupla plurave; filamentis liberis, subinde brevissimis antherisque majusculis, erectis. Ovarium (in nostris) ovello solitario constans seu raro tribus connatis, quorum unicum fertile. Styli 1-3, breves. Pericarpium drupaceum, monospermum. — Arbores fruticesve, ramis teretibus. Folia (in nostris) pinnata. Stipulae nullae. Flores parvi, monoici aut dioici.

XXIV. LEGUMINOSAE. Calix 5-divisus, dentibus laciniisve subaequalibus seu in labium alterum superius, inferius alterum plus minusve connatis. Torus expansus in laminam parvam calicis fundum obtegentem et annulo perigyno limitatam. Corolla annulo perigyno inserta, papilionacea (apud nos), rarissime nulla. Stamina cum corolla inserta, 5-10, raro libera, saepe filamentis novem coalitis, decimo solitario (*diadelpha*), aut omnibus connatis (*monadelpha*). Ovarium liberum, sessile aut stipitatum. Stylus 1, terminalis, stigmate simplici. Carpellum saepe bivalve, membranaceum coriaceumve, vel juxta longitudinem dehiscens, uniloculare aut sutura altera introflexa bi- aut semibiloculare (*legumen*); vel isthmis interceptum et dissepimentis transversis in loculos plures, monospermos divisum (*lomentum*); raro indehiscens. Semina solitaria, bina aut plura alternatim affixa placentis nerviformibus utrique margini unius lateralis suturae. — Herbae, suffrutices, frutices aut arbores. Folia raro simplicia, saepe trifoliolata, digitata aut pinnata, plerumque stipulata.

XXV. ROSACEAE. Calix saepe persistens, limbo plerumque 5-, raro 4-8-diviso. Torus expansus in laminam calicis tubo ejusve fundo adnatam. Petala quandoque nulla, saepe 4-5, regularia, tori annulo perigyno vel ad calicis faucem inserta. Stamina cum petalis inserta, definita vel indefinita, filamentis liberis, per aestivationem incurvis. Carpelli nunc solitarii, drupacei, nucleo osseo, bivalvi, saepe monospermo: nunc plures drupeolacei, sicci crustaceive, inter se liberi, monospermi, indehiscentes, gynophoro e toro exserto insidentes aut calicis tubo (subinde bini aut solitarii) involuti eidemve haerentes; nunc demum in communi pericarpio carnoso, calici adnato ejusdemque limbo coronato (*pomo*), vel cartilaginei, bi- raro polyspermi, sutura centrali dehiscentes vel ossei indehiscentes, monospermi. — Herbae, suffrutices, frutices aut arbores. Folia simplicia aut composita, saepissime stipulata.

XXVI. ONAGRARIAE. Calix ovario adnatus, tubo interdum ultra producto, limbo 2-4-lobo, lobis per aestivationem valvatis. Petala calicis fauci inserta, ejusdem

lobis numero aequalia et alterna, decidua, per aestivationem contorta. Stamina cum petalis inserta iisque numero aequalia et alterna vel dupla, filamentis liberis. Stylus filiformis. Pericarpium (in nostris) capsulare, modo 2-loculare, dispermum, indehiscens: modo 4-loculare, 4-valve, valvis medio septiferis, seminibus pluribus, papposis, placentis in columnam centralem demum liberam connatis. — Herbae perennes (apud nos). Folia simplicia. Stipulae nullae.

XXVII. HALORAGEAE. Calix ovario adnatus, limbo vel 4-partito, per aestivationem valvato, vel obsoleto integrove. Petala modo 4, calicis fauci inserta, ejusdem lobis alterna fugaciaque, modo nulla. Stamina calicis fauci inserta, ejus lobis numero aequalia et opposita, vel dupla, interdum unicum. Styli 2-4. Pericarpium indehiscens, siccum, nucamentaceum, 2-4-loculare, 2-4-spermum. — Herbae aquaticae (apud nos), basi radicantes. Folia verticillata aut opposita. Stipulae nullae. Flores exigui, axillares, unisexuales.

XXVIII. CERATOPHYLLEAE. Calix liber, persistens, 10-12-partitus, partitionibus aequalibus. Petala nulla. Stamina 12-20, filamentis brevissimis, antheris apice 2-3-cuspidatis. Ovarium liberum. Stylus filiformis, stigmate simplici. Pericarpium nucamentaceum, 1-loculare, 1-spermum, stylo apiculatum, indehiscens. Semen ex apice pendulum. — Herbae aquaticae, submersae. Folia verticillata, in lacinulas filiformes dichotome divisa. Flores monoici, axillares.

XXIX. LYTHRARIEAE. Calix liber, persistens, tubulosus aut campanulatus, 4-12-dentatus divisusve, divisionibus per aestivationem valvatis aut distantibus. Petala 4-6 (interdum abortientia), calicis fauci inserta, ejusdem divisionibus alterna, decidua. Stamina petalorum numero aequalia aut dupla. Ovarium liberum. Stylus filiformis. Pericarpium capsulare, (in nostris) biloculare. Placentae in columnam centralem connatae. Semina indefinita. — Herbae. Folia simplicia, integra. Stipulae nullae. Flores axillares, hermaphroditi.

XXX. TAMARISCINEAE. Calix liber, persistens, 4-5-partitus, laciniis per aestivationem alternatim imbricatis. Petala tot quot calicis divisiones iisque alterna, calicis basi inserta, marcescentia aut persistentia, per aestivationem imbricata. Stamina petalis numero aequalia et alterna subindeve dupla. Ovarium liberum, ovato-pyramidatum. Stigmata 3. Pericarpium capsulare, trigonum, trivalve, 1-loculare, polyspermum. Placentae 3, nunc basi, nunc secus lineam mediam valvulis affixae. Semina indefinita, erecta, oblonga, papposa. — Frutices aut arbusculae. Folia alterna, persistentia, crassiuscula, integra, exigua,

squamaeformia, subimbricata. Stipulae nullae. Flores racemoso-spicati, pedicellis bracteatis.

XXXI. MYRTACEAE. Calix turbinatus, ovario adnatus, limbo 5-7-fido. Petala calicis laciniis numero aequalia et alterna, annuli ope calicis fauci inserta, decidua. Stamina plurima, libera, infra petala, serie multiplici, inserta. Stylus unicus: stigmate simplici aut capitato. Pericarpium subglobosum (apud nos), baccatum vel extrinsecus coriaceum, calicis limbo coronatum, bi-multiloculare. Semina pauciora aut plura, modo subossea, loculorum angulo centrali inserta; modo pulpa succosa pellucidaque donata affixaque placentis conico-angulatis, carnosis, alveolatis, e toro parietali productis. — Frutices. Folia simplicia, integerrima, coriacea. Stipulae nullae. Flores hermaphroditi.

XXXII. CUCURBITACEAE. Calix ovario adnatus, limbo supero, quinquefido, laciniis per aestivationem imbricatis. Corolla 5-petala seu 5-divisa, calicis fauci inserta ejusque limbo interdum continua. Stamina 5, libera aut saepius per paria connata, quinto libero; antheris liberis vel connatis, saepe longis, flexuosis. Stylus brevissimus, stigmatibus crassis, interdum bilobis aut fimbriatis. Pericarpium carnosum, indehiscens, 1-loculare, aut saepius 3-6-loculare, columna centrali angulata, septis tenuibus. Placentae 3-5, duplicatae, pericarpio intus adnatae, dilatatae, polyspermae, raro, abortu, monospermae. Semina altera extremitate funiculo umbilicali affixa, arillo aquoso, demum membranaceo inclusa, compressa, margine saepe tumida. — Herbae scandentes. Folia alterna, petiolata, palmatinervia. Cirrhi laterales, solitarii. Stipulae nullae. Flores monoici vel dioici, raro hermaphroditi.

XXXIII. PORTULACEAE. Calix persistens, bi- raro tripartitus. Torus expansus in laminam tenuem imo calicis fundo adnatam, vix manifestam. Corolla 5-petala 5-fidave, imo calici inserta. Stamina vel pauca corollae basi haerentia, vel plura imo calici inserta. Stylus 3-5-divisus. Pericarpium capsulare, uniloculare, nunc circumscissum, nunc trivalve, valvis ab apice ad basim dehiscentibus. Semina vel indefinita columnae centrali liberae, saepe 3-5-partitae inserta, vel definita et fundo capsulae affixa. — Herbae (apud nos). Folia succulenta, simplicia, integerrima. Stipulae nullae. Flores hermaphroditi.

XXXIV. PARONYCHIEAE. Calix liber, persistens, 5-partitus 5-fidusve, laciniis per aestivationem imbricatis. Torus calicis fundo arcte adnatus annuloque perigyno, glanduloso saepe limitatus. Petala 5, perigyna, exigua aut squamaeformia staminaque sterilia aemulantia subindeve nulla. Stamina annuli perigyni margini inserta, libera, laciniis calicinis vel numero aequalia iisque opposita,

vel pauciora aut numero dupla, alterna ante petala aut eorumdem loco sita. Styli 2-3, nunc a basi distincti, nunc plus minusve concreti. Pericarpium capsulare, uniloculare, modo evalve, monospermum, indehiscens, modo tri-quinquevalve, polyspermum. Semina ubi solitaria funiculo e fundo loculi originem ducenti affixa, ubi plura columnae centrali inserta. — Herbae (apud nos). Folia simplicia, integerrima. Stipulae scariosae, raro nullae. Flores hermaphroditi, parvi.

XXXV. CRASSULACEAE. Calix liber, persistens, 3-12, saepe 5-partitus, partitionibus per aestivationem imbricatis. Torus expansus in annulum ovarii basim cingentem, calicis fundo adnatum, glandulas aut squamulas nectariferas tot quot carpelli, saepissime exserentem. Petala vel corollae gamopetalae divisiones totidem ac calicis partitiones iisque alterna. Stamina vel totidem ac corollae divisiones iisdemque alterna vel numero dupla, quorum alterna petalorum basi adhaerentia praecocioraque; in gamopetalis omnia epipetala. Filamenta inter se libera, subulata. Styli tot quot carpelli, liberi, breves, simplices, persistentes. Carpelli tot quot calicis divisiones iisque alterni, inter se liberi, folliculares, interna sutura dehiscentes, di-polyspermi. Semina ad angulum internum carpelli affixa. — Herbae aut suffrutices. Folia crassa. Stipulae nullae. Flores hermaphroditi.

XXXVI. FICOIDEAE. Calix ovario adhaerens aut liber, persistens, saepissime 5-divisus. Torus expansus in laminam calicis tubum intus vestientem. Petala plurima, indefinita, calicis fauci inserta, libera aut basi cohaerentia, interdum nulla. Stamina indefinita cum petalis inserta. Ovarium (apud nos) 5-loculare. Styli unici divisiones vel styli distincti, tot quot loculi. Pericarpium capsulare, 5-loculare, 5-valve superum, vel calicis tubo carnoso adnatum et apice stellatim dehiscens. Semina indefinita, angulo loculorum centrali funiculis affixa. — Herbae (apud nos). Folia succulenta. Flores hermaphroditi.

+ CACTEAE. Calicis tubus carnosus, ovario adnatus ultraque productus, extrinsecus inferne tubercula squamasve quincunciali ordine gerens, superne in sepala petalaque plura abiens, supra ovarium demum circumscissus deciduusque. Petala multiplici serie disposita, exteriora majora certo limite ab interioribus sepalis coloratis non distinguenda. Stamina plurima e tubi calicis fauce exserta, libera. Stylus unus, cylindricus, stigmatibus pluribus. Pericarpium carnosum, apice umbilicatum, indehiscens, uniloculare. Semina plurima, funiculis longis, placentis parietalibus, nerviformibus, pluribus inserta. — Frutices aut arbusculae. Caules ramique juniores carnosi, tuberculis, setulis spinisve

quincunciali ordine dispositis praediti. Folia crassiuscula, (in nostris) tereti-subulata, perexigua, cito decidua.

XXXVII. GROSSULARIAE. Calix ventricosus, ovario adnatus, limbo epigyno, 5-fido, laciniis aequalibus per aestivationem imbricatis. Petala 5, parva, calicis limbo inserta ejusque laciniis alterna. Stamina 5, petalis alterna, filamentis liberis. Stylus bifidus, stigmatibus simplicibus. Pericarpium baccatum, apice umbilicatum, calicis limbo marcescente coronatum, uniloculare, polyspermum, indehiscens. Placentae parietales, duae, oppositae, nerviformes. Semina plura, funiculis longis suspensa, in succulenta carne nidulantia. — Frutices inermes aut spinosi. Folia simplicia, petiolata, palmato-lobata. Stipulae nullae. Pedunculi pedicellive bracteis stipati.

XXXVIII. SAXIFRAGEAE. Calicis tubus liber aut ovario adnatus, limbus 4-5-divisus, persistens seu marcescens, lobis per aestivationem imbricatis. Torus expansus in laminam tenuissimam calicis fundo adnatam. Petala tubo calicis inserta ejusque lobis numero aequalia et alterna. Stamina calici inserta, libera, petalis numero aequalia et alterna; vel numero dupla quorum alterna petalis opposita. Styli 2, distincti. Pericarpium capsulare, (in nostris) bivalve, birostre, bi-, raro uniloculare, inter apices dehiscens. Placentae secus valvarum margines introflexos adnatae. Semina plurima. — Herbae. Folia crassiuscula. Stipulae nullae.

XXXIX. UMBELLIFERAE. Calix ovario adnatus, limbo epigyno, subintegro, obsoleto aut 5-dentato. Discus epigynus, carnosus, nectarifer. Petala 5, dentibus calicinis alterna, disco extus inserta. Stamina 5, libera, cum petalis alternantia et cum iisdem inserta. Styli 2, basi incrassatae insidentes. Fructus carpelli bini, calicis dimidiae parti accreti, invicem interjecta saepe columella filiformi conjuncti, maturitate demum plerumque disjuncti. Semina in carpellis (mericarpiis) solitaria, inversa. — Herbae, raro suffrutices. Folia alterna, saepe divisa et basi vaginantia. Stipulae nullae. Flores in umbellas simplices compositasve dispositi.

XL. HEDERACEAE. Calix ovario adnatus, limbo epigyno aut subperigyno, 4-5-dentato. Discus carnosus ad calicis faucem. Petala disco extus inserta, calicis dentibus numero aequalia et alterna, acuta, basi lata, per aestivationem valvata, decidua. Stamina tot quot petala iisque alterna, libera. Stylus 1. Pericarpium drupaceum, pyrenis duabus, connatis, monospermis; vel baccatum, pentaspermum. Semina inversa. — Arbusculae aut frutices, quandoque scan-

dentes. Folia petiolata, indivisa lobatave, margine integra. Stipulae nullae. Flores umbellati aut cymosi.

XLI. CAPRIFOLIACEAE. Calix ovario adnatus, limbo epigyno, 5-diviso. Corolla epigyna, decidua, rotata tubulosave, limbo 5-fido, lobis per aestivationem imbricatis. Stamina 5, tubo vel fauci corollae inserta. Stylus unus aut stigmata tria, sessilia. Pericarpium baccatum, uni-triloculare, loculis mono-polyspermis. Semina inversa. — Herbae perennes, suffrutices aut frutices, quandoque volubiles. Folia opposita, pinnatisecta indivisave. Flores umbellato-corymbosi aut capitato-verticillati.

XLII. RUBIACEAE. Calix ovario adnatus, limbo epigyno aut perigyno, 2-5-diviso dentatove, persistente, interdum obsoleto. Corolla epigyna aut subperigyna, decidua, infundibuliformis aut rotata, 4-5-fida, raro 3-fida, lobis per aestivationem valvatis. Stamina epipetala, lobis corollae alterna et numero aequalia, libera. Styli duo aut unicus bifidus. Pericarpium saepe didymum, carpellis, (apud nos) constans duobus, indehiscentibus, monospermis, siccis drupaceisve, connatis. — Herbae suffruticesve. Caules quadranguli. Folia verticillata. Flores hermàphroditi, raro polygami.

XLIII. VALERIANEAE. Calix ovario adnatus, limbo epigyno, persistente, varie dentato divisove, vel per anthesim involuto posteaque in radios plumosos evoluto. Corolla epigyna, decidua, limbo 5-fido, lobis per aestivationem imbricatis, tubo cylindraceo, aequali aut basim versus calcarato saccatove. Stamina 1-5, tubo corollae inserta, filamentis liberis. Stylus 1, stigmate 2-3-fido indivisove. Pericarpium indehiscens, membranaceum coriaceumve, nunc uniloculare, nunc bi-triloculare loculo altero seminifero, reliquis sterilibus, vacuis. Semen solitarium, pendulum. — Herbae. Folia opposita, integra, dentata pinnatifidave. Stipulae nullae. Flores bracteati, in cymas terminales, dichotomas saepe fastigiati.

XLIV. DIPSACEAE. Calix duplex, exterior (involucellum) tubulosus, interiori non adhaerens, margine integro, scarioso dentatove, interior tubo tenui ovarium arcte includente eidemve adnato, limbo integro, cyathiformi vel dentato, vel in setas desinente. Corolla tubulosa, calicis fauci inserta, limbo 4-5-fido, saepe inaequali. Stamina 4, corollae tubo inferne inserta. Stylus filiformis, basi, calicis fauci adhaerens. Pericarpium utriculare, calice duplici tectum interiorisque limbo coronatum, monospermum, indehiscens. Semen inversum. — Herbae. Folia opposita. Stipulae nullae. Flores in capitulum involucratum aggregati, receptaculo communi, paleaceo insidentes.

XLV. COMPOSITAE. Calicis ovario arcte adnati, limbus epigynus (pappus), obsoletus, integer, dentatus, paleaceus, aristatus, setaceus, pilosus vel plumosus, sessilis aut calicis tubo ultra ovarium attenuato productoque stipitatus. Discus epigynus. Corolla epigyna, tubulosa, modo regularis limbo 5-fido, raro 3-4-fido, modo irregularis bilabiata aut ligulata. Stamina corollae tubo adnata, 5, raro pauciora; filamentis liberis, non exsertis; antheris in tubum connatis, basi saepe in appendiculas desinentibus. Stylus 1, antherarum tubum pervadens, apice plerumque bifidus. Pericarpium (akenium) indehiscens, siccum, evalve, apice nudum pappove sessili aut stipitato coronatum. Semen solitarium, erectum. — Plantae herbaceae aut raro (apud nos) fruticosae. Flores, sexu subinde varii, in capitula involucrata congesti, receptaculo communi nudo, paleaceo, pilosove insidentes.

XLVI. CAMPANULACEAE. Calix ovario adnatus, limbo supero aut semisupero, 3-8- saepissime 5-partito, aequali, persistente. Torus discum annulumve epigynum aut perigynum exserens. Corolla campanulata, tubulosa rotatave, disco vel annulo inserta, sero decidua aut marcescens, limbo 3-8-fido, saepe 5-fido, aequali aut bilabiato, lobis per aestivationem valvatis. Stamina disco annulove inserta subindeve corollae tubo inferne adnata, ejus lobis numero aequalia et alterna; antheris liberis vel connatis. Stylus 1. Pericarpium 2-5-loculare, raro pluriloculare, apice valvis medio septiferis dehiscens vel foraminibus lateralibus. Placentae angulo loculorum interno insertae. Semina plura. Herbae (apud nos), saepius lactescentes. Folia simplicia, integra aut dentata. Stipulae nullae. Flores varii.

XLVII. ERICINEAE. Calix 4-5-partitus, subaequalis, persistens. Torus dilatatus in annulum aut discum glandulosum squamulosumve, imo calici saepe adnatum. Corolla tubuloso-campanulata, disci margini extus inserta, perigyna aut subhypogyna, limbo 4-5-fido, lobis per aestivationem imbricatis. Stamina disci margini aut imae corollae inserta, ejus lobis numero aequalia et alterna aut dupla; antheris plerumque biaristatis. Stylus 1; stigmate capitato. Pericarpium pluriloculare, carnosum, nudum; aut capsulare, corolla persistente cinctum, multivalve valvisque dehiscens (apud nos) medio septiferis. Frutices. Folia simplicia, coriacea, perennantia. Stipulae nullae. Pedunculi pedicellive bracteati.

ORDO XXI.

CELASTRINEAE

Celastrineae Ad. Brogn. in Ann. sc. nat. 10. p. 328. Ach. Rich. El. bot. (ed. 6. Bruxel.) p. 280. Bartl. Ord. nat. p. 378. Celastrinearum Trib. 2.ª (Evonymeae) DC. Prod. 2. p. 3.

Calix 4-5-partitus, partitionibus per aestivationem imbricatis persistentibus. Torus expansus in discum annulumve calicis fundo adhaerentem. Petala 4-5, plana, basi lata, calicis partitionibus alterna, disci seu annuli margini inserta, perigyna, decidua, per aestivationem imbricata. Stamina 4-5, disco inserta, petalis alterna, libera. Antherae biloculares. Ovarium liberum. Stylus 1. Pericarpium (apud nos) capsulare, 3-5-loculare, valvis medio septiferis 3, 5 dehiscens. Semina solitaria aut pauca, interdum arillata, loculorum angulo centrali ope funiculi filiformis affixa. Albumen carnosum. Embryo axilis, rectus; radicula brevi infera. — Arbusculae fruticesve. Folia simplicia, petiolata. Flores parvi, albido-virescentes, hermaphroditi.

LXXXIV. EVONYMUS

Evonymus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 373. Juss. Gen. p. 377. Tourn. Inst. tab. 388. Lmck. Ill. tab. 131. Gaertn. Fr. tab. 113.

Calix 4-5-partitus, partitionibus subrotundis. Petala 4-5, patentia, calice longiora. Stamina 4-5, erecta, corolla breviora. Stylus brevis, simplex. Capsula colorata, 4-5-gona, 4-5-valvis, valvis demum coriaceis. Semina solitaria geminave, arillo colorato, carnoso-spongioso obvoluta. — Frutices ramulis quadrangulis.

243. EVONYMUS EUROPAEA

E. foliis elliptico-lanceolatis, glabris, serrulatis; pedunculis aphyllis; floribus plerisque tetrandris; capsulae angulis obtuse carinatis.

Evonymus europaea Linn. Sp. p. 286. *α*. Willd. Sp. 1. p. 1130. (*excl.* Clus. *syn.*). DC. Prod. 2. p. 4. R. Sch. Syst. veg. 5. p. 464.

Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 276. Tenor. Fl. nap. 1. p. 104. et Syll. p. 116. Sebast.

et Maur. Fl. rom. Prod. p. 103. Savi Tratt. alb. tosc. 1. p. 111. All.! Fl. ped. 2. p. 96. DC. Fl. fr. 4. p. 620. Lois. Fl. gall. 1. p. 136.

E. vulgaris Lmck. Dict. enc. 2. p. 572. Savi Fl. pis. 1. p. 253.

Ic. — Fl. dan. tab. 1089. Engl. bot. 5. tab. 362. Bull. Herb. tab. 135.

Carpinus Theophrasti Trag. Hist. p. 983. ic.

Evonymus Theophrasti Lob. Obs. p. 591. ic. 2.✦ et Icon. 2. p. 168. ic. 1.✦ (*etsi folia integra*). Chabr. Sciagr. p. 62. ic. 6.✧

Evonymus Dod. Pempt. p. 783. ic.✦

E. multis, aliis Tetragonia J. Bauh. Hist. 1. (lib. 2.) p. 201. ic.✧ (*mala*).

Frutex 8-10-pedalis, ramosus, ramis oppositis, virentibus, demum cineraceis, junioribus quadrangulis. Folia petiolata, opposita, glabra, serrulata, elliptico-lanceolata, acuta, ramea inferiora minora, subinde elliptica, obtusaque, raro obovata. Pedunculi solitarii, laterales et axillares, nudi, compressi, quorum alii uni-triflori, in pedicellum scilicet unicum vel in duos-tres unifloros apice abeuntes, alii apice trichotomi, quadri-septemflori, pedicellis subcorymbosis. Bracteae ad pedunculorum divisiones lanceolatae, acutae, membranaceae, deciduae. Flores foetentes, parvi, quadrifidi, primario interdum quinquefido. Calicis lobi ovato-orbiculati. Petala oblonga, acuta, albo-virentia, patentia, calice duplo longiora. Stamina et stylus petalis duplo breviora. Capsulae depressae, pulchre roseae, tetragonae, angulis obtuse carinatis. Semina ovata, pulpa crocea obtecta.

Ad sepes et in sylvestribus Sardiniae praesertim centralis et septentrionalis.

Fl. aprili, majo. ♄

Ital. *Evonimo. Fusaggine. Fusano. Fusaria. Ruistico selvatico. Silio. Tetragonia. Berretta da prete. Corallini.*

Vern. m. *Caffè burdu.* — Vern. s. *Sambinzu.*

Folia Evonymi venenata ipsique pecudi infensa, alvum et vomitum vehementer movent. Materies alba et dulcis super ejus folia occurrit quam quidem insectum (*Aphys Evonymi*) deponit. Fructus acres, emetici atque alviduci etiam sunt, eorum pulvis efficax remedium censetur ad pediculos aliaque insecta enecanda: ex seminibus oleum educi potest. Lignum fusis conficiendis maxime adhibitum, unde *Fusani* nomen: ejus autem carbo valde levis, a pictoribus in pretio habetur et ad pulveris pyrii confectionem utiliter usurpatur.

ORDO XXII.

RHAMNEAE

Rhamneae R. Br. Gen. rem. p. 22. DC. Prod. 2. p. 19. Ad. Brogn. in Ann. sc. nat. 10. p. 320. Ach. Rich. El. bot. (ed. 6. Brux.) p. 280. Bartl. Ord. nat. p. 375. Rhamnorum gen. Juss.

Calicis tubus ovario adhaerens, limbo 4-5-fido, laciniis per aestivationem valvatis. Torus extensus in discum laminamve calicis tubum intus obvestientem. Petala modo nulla, modo minima aut squamaeformia, laciniis calicinis numero aequalia et alterna, perigyna, per aestivationem complicata. Stamina totidem ac petala iisdemque opposita, brevia. Ovarium vel omnino, vel ex basi dumtaxat calici adnatum. Styli 1-4. Pericarpium 2-4-loculare, drupaceum aut baccatum seu bi-quadricoccum. Semina in loculis coccisve solitaria, erecta, exarillata, subsessilia. Albumen carnosum, saepe parcissimum. Embryo rectus, magnus, radicula parva, infera. — Arbores fruticesve ramulis saepe spinescentibus. Folia simplicia, petiolata. Stipulae exiguae, deciduae vel persistentes atque spinescentes, raro nullae. Flores lutescentes aut albido-virescentes, parvi, hermaphroditi aut unisexuales.

+ ZIZYPHUS

Zizyphus Lmck. Dict. enc. 3. p. 316. Juss. Gen. p. 380. DC. Prod. 2. p. 19. Ad. Brogn. Mem. Rhamn. in Ann. sc. nat. 10. p. 354. Tourn. Inst. tab. 403. Lmck. Ill. tab. 185. ic. 2. Gaertn. Fr. tab. 43. Rhamni sp. Linn.

Calix patens, 5-fidus, medio demum circumscissus, basi fructui adhaerens. Petala et stamina 5. Styli 2-3, simplices. Drupa ovalis, nucleo evalvi, biloculari, dispermo. Semina suborbiculata, compressa. — Arbor (apud nos). Folia alterna, trinervia. Stipulae spinescentes. Flores axillares. Drupae mucilaginosae, edules.

+ ZIZYPHUS VULGARIS

Z. foliis ovato-oblongis, retusis, serratis ramulisque glabris; aculeis nullis geminisve, altero recurvo; drupis ovato-oblongis.

Zizyphus vulgaris Lmck. Dict. enc. 3. p. 316. Willd. Sp. 1. p. 1105. R. Sch. Syst. 5. p. 340. DC. Prod. 2. p. 19.
Z. sativa Desf. Fl. atl. 1. p. 200.
Z. Jujuba Mill. Dict. n.° 1. non Lmck.
Rhamnus Zizyphus Linn. Sp. p. 282.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 3. tab. 241. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 4. tab. 210.
Jujubae Trag. Hist. p. 1023. ic.
Zizyphus rutila Clus. Hist. 1. p. 28. ic. ✦ (*etsi folia acuta*).
Zizyphus Dod. Pempt. p. 807. ic. 1. ✦ Chabr. Sciagr. p. 51. ic. 5. ✦
Jujubae arabum Lob. Obs. p. 597. ic. ✦ et Icon. 2. tab. 178. ic. 2. ✦
Zizypha sativa et sylvestris J. Bauh. Hist. 1. (lib. 6.) p. 40. ic. ✦
Zizypha Math. Valgr. p. 268. ic.

Arbor mediocris altitudinis, ramis valde flexuosis. Folia brevissime petiolata, trinervia, facie nitentia, glabra aut subtus juxta nervos (oculo armato) vix pilosa. Flores axillares, tres-sex, pedunculis atque pedicellis brevissimis. Petala lutescentia, limbo fornicato, basi attenuata. Calicis lobi ovato-acuti, uninervii, staminum et petalorum longitudine. Drupae olivaeformes, maturae fusco-rubescentes, variant ovatae, subrotundae aut oblongae.

A Syria in Italiam, Augusti tempore, a Sexto Pampinio *Zizyphus vulgaris* translata dicitur. Colitur in hortis Sardiniae et in arvis, ubi quasi spontanea facta est.

Fl. aprili, majo. ♄

Ital. *Giuggiolo. Zizzolo.*

Vern. *Zìnzulu. Zìnzula.*

Zizyphi vulgaris fructus (Jujubae) recentes aut siccati, edules atque bechici. Pastae atque tabellae ad demulcendum proficuae eorum ope parantur.

LXXXV. RHAMNUS

Rhamnus Lmck. Dict. enc. 4. p. 461. Juss. Gen. p. 380. DC. Prod. 2. p. 23. Ad. Brogn. Mem. Rhamn. in Ann. sc. nat. 10. p. 360. Tourn. Inst. tab. 366. Lmck. Ill. tab. 128. Gaertn. Fr. tab. 106. Alaternus Tourn. Inst. tab. 366. et Frangula tab. 383. Rhamni sp. Linn.

Calix 4-5-fidus, medio demum circumscissus, basi fructui adhaerens. Petala 4-5, squamaeformia subindeve nulla. Stamina 4-5, brevia. Styli 2-4, basi connexi vel liberi. Fructus subexsuccus aut

baccatus, 2-4-locularis, loculis coccisve (in exsuccis) separabilibus, rima longitudinali ad internam faciem angulumve dehiscentibus. Semina solitaria, ad latus exterius plerumque unisulcata. — Frutices ramis apice interdum spinescentibus. Folia penninervia. Flores saepe unisexuales. Fructus non edules.

244. RHAMNUS ALATERNUS

R. foliis perennantibus, ovalibus oblongisve, coriaceis, glabris, nitidis, subserratis; racemis aphyllis; floribus quinquefidis, diclinis; stylo trifido.

Rhamnus Alaternus Linn. Sp. p. 281. Willd. Sp. 1. p. 1001. R. Sch. Syst. 5. p. 290. DC. Prod. 2. p. 23.

Schousb. Jagttagels. Marok. p. 102. Desf. Fl. atl. 1. p. 198. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 13. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 159. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 76. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 274. et Suppl. p. 62. Tenor. Fl. nap. 3. p. 233. et Syll. p. 116. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 103. Savi Fl. pis. 1. p. 251. et Tratt. alb. tosc. 1. p. 183. All.! Fl. ped. 2. p. 130. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. n.° 2. p. 27. DC. Fl. fr. 4. p. 624. Lois. Fl. gall. 1. p. 136. Cambess. En. pl. balear. p. 58.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

R. Clusii Willd. En. H. Berol. 1. p. 250. R. Sch. Syst. veg. 5. p. 291.

Ic. Duh. Arb. (ed. 1755.) 1. tab. 14.

Alaternus I. et II. Clus. Hist. 1. p. 50. ic. 1. 2. ⸆

Secunda Alaternus, humilior, lato folio Lob. Obs. p. 566. ic. 1. ⸆ et Icon. 2. tab. 134. ic. 2. ⸆

Vulgo monspeliensium Bourgespine perpetuo virens Lob. Adv. p. 421. ic. 2. et Icon. 2. tab. 134. ic. 1. (*eadem ac in* Advers.).

Spina Bourgi monspeliensium J. Bauh. Hist. 1. lib. 5. p. 542. ic. 1. Chabr. Sciagr. p. 42. ic. 6. (*eadem ac in* J. Bauhino).

Alaternus II. Clusii J. Bauh. l. c. ic. 2. ⸆ Chabr. Sciagr. p. 43. ic. 1. ⸆

Frutex ramosus, bipedalis, orgyalis et ultra. Folia petiolata, ovalia aut oblonga, raro ovata, coriacea, perennantia, glabra, acuta, subindeve aliquot obtusa, facie viridia, nitida, subtus pallescentia, et ad basim utrinque inter nervum medium et laterales inferiores glandulosa pilosaque, margine cartilaginea serrulataque, serraturis plus minusve

distantibus. Stipulae anguste lineari-acuminatae, cito deciduae. Ramuli juniores, pedunculorum axillarium instar, flores gerunt pedicellatos, pedicellis alternis, unifloris, racemosis, bracteola squamaeformi, exigua, ovato-acuta aut lanceolata, basi stipatis. Calix quinquefidus, laciniis ovato-acutis, flavescentibus. Corolla nulla. Stamina quinque, in floribus masculis seu aequius sterilibus, valde conspicua, erecta, styli et ovarii rudimentum, calicis laciniae reflexae: in floribus foemineis seu fertilibus stylus trifidus, calice longior, staminum rudimenta, laciniae calicis erectae. Fructus obovatus, tricoccus, rubellus, mox nigrescens. — Planta glabra, ramulorum extremis petiolis atque pedunculis (oculo armato) tenuiter puberulis, variat statura et foliorum latitudine.

Ad sepes et in sylvestribus Sardiniae et insularum la Maddalena, Tavolara, Asinara: frequens.

Fl. a februario ad aprilem. ♄

Ital. *Alaterno. Alno nero. Ilatro. Iletro. Linterno. Linterna. Legno puzzo. Putine.* Vern. m. *Tàsuru.* — Vern. s. *Laru masciu.*

Folia *Rhamni Alaterni* adstringentia: baccae colorem flavum arti tinctoriae praebere valent. Traditur apud lusitanos Alaterni cortice in aqua decocto piscatores sua retia subrutilo colore inficere et tinctores e fragmentorum ligni, quod pallet, decoctione, nigrescentem e coeruleo colorem parare (Clus. Hist. 1. p. 51.).

245. RHAMNUS OLEOIDES

R. ramis apice spinescentibus; foliis perennantibus, coriaceis, glabris, nitidis, integris, obovatis oblongisve, subtus venoso-reticulatis; floribus quadri-quinquefidis.

Rhamnus oleoides Linn. Sp. p. 279. Willd. Sp. 1. p. 1094. R. Sch. Syst. 5. p. 279. DC.! Prod. 2. p. 25.

Desf.! Fl. atl. 1. p. 197. Sibth. et Sm Fl. graec. Prod. 1. p. 157. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 273. et Suppl. p. 62.

Ic. — Tab. xxvi.

Frutex bi-quadripedalis, diffusus, ramosissimus, ramis spinescentibus, epidermide fusca, demum cineracea. Folia alterna et in junioribus ramis ita proxima ut fasciculata appareant, facie virentia, nitida, subtus pallentia, venis fuscescentibus reticulata, apice obtusa

aut acutiuscula, nervo medio in brevem mucronulum saepe abeunte, margine plerumque integerrima, raro dente unico hinc praedita, forma in eodem stipite saepe varia, plerumque obovata vel oblongo-obovata, alias obovato-cuneata vel oblongo-linearia. Petioli breves, superne margine (oculo armato) puberuli, canaliculati. Stipulae subulatae, puberulae, citissime deciduae. Flores (in plantis mihi observatis) hermaphroditi. Pedunculi filiformes e gemmis ortum ducentes, pauci, breves, uniflori, basi squama ovato-acuta, rufa, perexigua, stipati. Calix quadrifidus subindeve quinquefidus, virens, laciniis ovato-acutis. Petala tot quot calicis divisiones lanceolata, squamaeformia, lutescentia, calice valde breviora. Stamina tot quot petala, filamentis brevissimis; antheris flavis. Ovarium ovatum. Stylus bifidus, raro trifidus aut simplex. Capsulae obovatae, bicoccae, raro uni- aut tricoccae. — Planta glabra.

Ad dumeta in sylvestribus Pula.

Fl. a januario ad martium. ♄

Obs. Rhamnus oleoides Schousb. Jagttagels. Marok. p. 101. ad aliam speciem non ad nostram, ex descriptione, spectare videtur.

246. RHAMNUS PERSICAEFOLIA

R. erecta; ramis apice subspinescentibus; foliis oblongo-lanceolatis, crenato-serrulatis, subtus reticulato-venosis, pilosiusculis; baccis 4-locularibus.

Rhamnus persicaefolia Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 2. p. 2.

R. amygdalinus Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 1. p. 11. non Desf.

Ic. — Tab. xxvii.

Frutex orgyalis et ultra, epidermide fusca, demum cinerascente, ramis ascendentibus erectisque, junioribus brevissime tenuiterque (oculo armato) puberulis. Folia alterna, in junioribus ramulis confertiora, petiolata, oblongo-lanceolata, raro aliquot oblonga, membranacea, tres-octo lineas lata, longitudine uni-triuncialia, facie virentia, glabriuscula, subtus pallescentia, pilosiuscula venisque fuscis reticulata, margine crenato-serrulata, serraturis apice glanduliferis, apice omnia fere obtusa. Petioli folio duplo triplove breviores, bre-

viter pilosi, superne canaliculati. Flores non vidi. Pedunculi solitarii et bini, uniflori, juxta juniores ramulos in racemum foliatum dispositi, fructiferi quatuor-sex-lineas longi. Calix medio circumscissus, persistens. Baccae obovatae, quadriloculares, tetraspermae. Semina subtriquetra, laevia, extrinsecus gibba atque sulcata.

Ad sepes in sylvestribus circa Fonni et in Barbargiis. ♄

247. RHAMNUS ALPINA

R. inermis, tortuosa; foliis suborbiculatis ovalibusve, crenato-serrulatis, parallele multinerviis; floribus quadrifidis, diclinis.

Rhamnus alpina Linn. Sp. p. 280. Willd. Sp. 1. p. 1097. DC.! Prod. 2. p. 25. R. Sch. Syst. 5. p. 285.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 158. Tenor. Fl. nap. 3. p. 232. et Syll. p. 116. All.! Fl. ped. 2. p. 131. DC. Fl. fr. 4. p. 624. Lois. Fl. gall. 1. p. 136.

Frangula latifolia Mill. Dict. n.° 2.

Alaternus alpinus Moench. Meth. p. 344.

Ic. — Hall. Hist. st. Helv. 2. tab. 40. ic. 1. n.° 823.

Alnus nigra, baccifera, rugosiore folio seu major J. Bauh. Hist. 1. (lib. 5.) p. 562. ic. ⅍ Chabr. Sciagr. p. 45. ic. 2. ⅍

Frutex orgyalis et ultra, cortice fusco-cinerascente; ramis flexuosis, junioribus subtomentosis. Folia alterna, in ramulis confertiora, latitudine in iisdem ramis varia, alia octo circiter lineas, alia sesquunciam, duas uncias lata, inferiora ovali-orbiculata, superiora ovalia nonnullaque oblonga, pleraque obtusa, glabra aut subtus juxta nervos pilosiuscula, omnia subrugosa, parallele nervosa, nervis sex, duodecim, curvis, margine serrato-crenata, serraturis glanduliferis. Petioli duas-quinque lineas longi, superne canaliculati ibidemque breviter pilosiusculi. Flores quadrifidi, in racemos juxta ramulos dispositi, pedunculos filiformes longitudine fere aequantes. Petala linearia. Stylus bi-quadrifidus, exsertus. Bacca bi-quadrilocularis, demum nigra.

In rupestribus montanis, calcareis Tonneri d'Irgini, et montium Oliena.
Fl. aprili, majo. ♄

ORDO XXIII.

TEREBINTHACEAE

Terebinthaceae Juss. Gen. p. 368. Ach. Rich. elem. bot. (ed. 6. Brux.) p. 279.

Calix 3-6-divisus, liber aut ovario adnatus. Petala nulla, vel calicis lobis numero aequalia et alterna, regularia, basi subinde coalita, perigyna aut epigyna. Stamina calicis lobis numero aequalia et opposita, vel dupla, quadrupla plurave; filamentis liberis, subinde brevissimis antherisque majusculis, erectis. Ovarium (in nostris) ovello solitario constans seu raro tribus connatis, quorum unicum fertile. Styli 1-3, breves. Pericarpium drupaceum, monospermum. Albumen nullum. — Arbores fruticesve, ramis teretibus. Folia pinnata. Stipulae nullae. Flores parvi, monoici aut dioici.

LXXXVI. PISTACIA

Pistacia Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1511. Kunth. Tereb. gen. in Ann. sc. nat. 2. p. 339. DC. Prod. 2. p. 64. Lmck. Ill. tab. 811. Terebinthus Juss. Gen. p. 371. Terebinthus et Lentiscus Tourn. Inst. p. 579. 580. tab. 345.

Flores dioici, apetali. *Masc.* racemus amentaceus, squamulis unifloris; calix 5-fidus; stamina 5, antheris subsessilibus, tetragonis. *Foem.* Racemus laxior; calix inferus, 3-4-fidus; ovarium 1-3-loculare: stigmata 3, crassiuscula. Drupa siccescens, ovata, nuce subossea, monosperma. — Arbusculae aut frutices resinosi.

+ PISTACIA VERA

P. foliis deciduis, uni-bijugis cum impari nonnullisve unifoliolatis; petiolis pubescentibus.

Pistacia vera DC. Prod. 2. p. 64.
P. vera, trifolia et narbonensis Linn. Sp. p. 1454. Willd. Sp. 4. p. 750. 751.
P. reticulata Willd. Sp. 4. p. 751.

Ic. — Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 5. tab. 273.

Terebinthus indica Theophrasti, Pistacia Dioscoridis Lob. Adv. p. 412. ic. 1. ✢ et Icon. 2. tab. 100. ic. 2. ✢

Pistacia J. Bauh. Hist. 1. p. 275. ic. ✢ Chabr. Sciagr. p. 19. ic. ✢

Pistacium mas Bocc. Mus. tab. 93.

Arbor mediocris altitudinis. Folia coriacea, sesquunciam, tres uncias lata, utrinque nervosa et reticulata, ovato- aut elliptico-orbiculata, variant in eadem planta obtusa aut acuminata, puberula aut glabrata, uni-bijuga cum impari, nonnullaque subinde unifoliolata. Petioli, etiam adulti, puberuli. Fructus ovato-elliptici.

Colitur circa Caralim et in insula S. Pietro. 5

Ital. *Pistacchio. Pistacchio verde.*

Vern. *Pistacciu.*

Pistaciam veram e Syria in Italiam intulit L. Vitellius, postea Caesar factus, cum legatus in ea provincia esset (Plin. *Hist. nat. lib.* xv. *cap.* xxii.). Ejus amygdalae edules et gratae, analepticae et pectorales emulsionibus parandis aliisque usibus apud dulciarios praesertim, conferunt.

248. PISTACIA TEREBINTHUS

P. foliis deciduis, glabris, quadri-quinquejugis nonnullisve bijugis, plerisque cum impari; foliolis oblongis ovalibusve mucronulatis.

Pistacia Terebinthus Linn. Sp. p. 1455. Willd. Sp. 4. p. 752. DC.! Prod. 2. p. 64.

De Buch. Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 506. Desf. Fl. atl. 2. p. 364. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 61. Forsk. Fl. aegypt. p. lxxvi. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 109. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 256. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 278. Presl Fl. sic. 1. p. xviii. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 481. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 337. Savi Tratt. alb. tosc. 1. p. 160. All.! Fl. ped. 2. p. 191. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 27. DC. Fl. fr. 4. p. 616. Lois. Fl. gall. 2. p. 347.

P. foliis impari-pinnatis; foliolis ovato-lanceolatis Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 214.

Ic. — Duh. Arb. (ed. 1755.) 2. p. 316. tab. 87.

Terebinthus Math. Valgr. p. 111. ic. Clus. Hist. 1. p. 15. ic. ✢ Lob. Obs. p. 538. ic. 2. ✢ et Icon. tab. 97. ic. 1. ✢ J. Bauh. Hist. 1. p. 279. ic. 1. ✢ Chabr. Sciagr. p. 19. ic. 2. ✢

Terebinthus et Terebinthi ramus cum corniculo Dod. Pempt. p. 870. ic. 1. 2. ✢

Arbuscula cortice demum cinerascente. Folia decidua, pleraque impari-pinnata, quadri-quinquejuga, nonnulla bijuga; foliola oblonga

ellipticave, sessilia aut subsessilia, basi saepe obliqua, apice mucronulata et plerumque acuta, facie viridia, nitida, subtus pallida, utrinque glabra, juniora nervo medio pilosiuscula. Petioli rarissime basi aut inter foliolorum inferiorum paria alati, juniores pilosiusculi. Flores longe paniculato-racemosi, dioici, squama ad racemorum divisiones. Styli duo, tres. Drupa obovata, obtusa.

Ad sepes et in sylvestribus collinis submontanisque.

Fl. aprili, majo. 5

Ital. *Cornucopia. Terebinto.*

Vern. *Modizzi-era. Modizzi de monti.*

Ex inciso trunco *Pistaciae Terebinthi* elicitur in insula Chio Terebinthina cypria sive chia: similem terebinthaceum succum ab exciso cortice quadantenus fundunt Terebinthi adultae in Sardinia. Insectum (*Aphis Pistaciae* Linn.) Pistacias lacessens gallis locum praebet, quarum aliae in ramulorum extremis corniculorum instar excrescunt (Dod. Pempt. p. 870. ic. 2.) aliae in petiolis globulosae aut pomiformes, aliae instar tuberculorum in foliis. *Pomum Sodomae* Auct. ex clariss. Mérat et Delens *Dict. mat. med. 5. p.* 352. ad Pistaciarum gallas spectat nec ad fructum *Solani sodomei* uti ex Hasselquistio arbitratus fuerat Linnaeus. Singulae Pistaciarum gallae, aetate purpurascentes, peropportunae magnoque in pretio habentur, apud orientales praesertim, ad rubras pulcherrimas tincturas conficiendas (Vid. Virey *Mém. sur les Pistach. et les Térébinthes et sur les Galles etc. in Journ. complém. du Dict. sc. med.* (1821.) 9. *p.* 307.). Terebinthi lignum perinde ac sequens suavem, dum flagrat, odorem emittit.

249. PISTACIA LENTISCUS

P. foliis perennantibus, plerisque abrupte pinnatis, bi-quinquejugis; foliolis oblongo-lanceolatis ovalibusve, basi attenuatis; petiolo alato.

Pistacia Lentiscus Linn. Sp. p. 1455. Willd. Sp. 4. p. 753. DC.! Prod. 2. p. 65. De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 505. Desf. Fl. atl. 2. p. 365. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 61. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 61. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 257. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 278. Presl Fl. sic. 1. p. xviii. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 481. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 337. Savi Fl. pis. 2. p. 369. et Tratt. alb. tosc. 1. p. 158. All.! Fl. ped. 2. p. 191. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 27. DC. Fl. fr. 4. p. 617. Lois. Fl. gall. 2. p. 347. Cambess. En. pl. balear. p. 58.

P. foliis abrupte pinnatis; foliolis lanceolatis Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 214.

Ic. — Duh. Arb. (ed. 1755.) 1. p. 358. tab. 136.

Lentiscus Math. Valgr. p. 109. ic. (*foliis acutioribus*). Clus. Hist. 1. p. 14.

ic. ✦ Dod. Pempt. p. 871. ic. ✦ Lob. Obs. p. 538. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 96. ic. 2. ✦ J. Bauh. Hist. 1. p. 285. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 23. ic. 5. ⁂

Frutex seu arbuscula, cortice demum cinerascente. Folia perennantia, nonnulla impari-pinnata, pleraque vero abrupte pinnata, quadri-quinquejuga subindeve aliquot bi-trijuga; foliola coriacea, sessilia, basi attenuata, apice mucronulata, plerumque obtusa, facie obscure viridia nitidaque, subtus pallentia, utrinque glaberrima. Petiolus communis seu rachis alata, glabra, superne juxta nervum medium nonnumquam pilosiuscula. Flores dioici, in racemos axillares, breves, simplices, subbinos dispositi; masculi antheris quinque bilocularibus, purpureis, subtetragonis, subsessilibus, conniventibus, apice in mucronulum desinentibus; foemineì stylis tribus. Calix utriusque sexus floribus 5-partitus, minimus. Corolla nulla. Pedicelli basi bractea minima stipati. Bacca globuloso-obovata, subcompressa, purpureo-rufescens, monosperma.

Ad sepes et dumeta Sardiniae et insularum adjacentium : vulgatissima.

Fl. a vere ad autumnum. ♄

Ital. *Lentischio. Lentisco. Dentisco. Dentischio. Mortella salvatica. Sondro. Sonnolo.*

Vern. m. *Moddìzzi.* — Vern. s. *Chessa.*

E *Lentisco* succus fluit, mox concrescens, *Mastix* seu *Mastiche* dictus: hujus caussa arbuscula studiose excolitur in insula Chio; augusti mense, sereno coelo, cortex ejus transversim cultro inciditur, unde succus resinosus distillat, sensim in massas compactus. Orientales Mastichen masticare consueverunt foeminae praesertim, ut gratus oris halitus emergat, et dentibus albedo conservetur: ad eumdem usum dentifriciis apud nos addi solet, usu autem frequentius venit in artibus quam in medicina, etsi tamquam roborans, adstringens atque balsamicum commendatum sit: resina, oleo volatili et masticina (Mathews) (subresinae specie ex Bonastre) constat. Masticbes speciem quam Lentisci incisione aliquatenus sardoi villici obtinent (sic ex iis accepi in Oliastra), externis corporis partibus dolentibus roborandi scopo, admovent: ex fructus ebullitione moxque pressione oleum eliciunt quod *ollu de stincu* appellant et ad usum oeconomicum adhibent, luce hoc admodum vivida flagrat et promptius dissipatur ac oleum olivarum, nisi autem fuerit depuratum, odorem aromaticum praebet, sic autem depurari consuevit: ebullitioni committitur, vapores foetidi emanant, eidem vero ebullienti adduntur Malva aliaeque herbae, praeterea panis qui quidem quum flavum omnino colorem nactus est, oleum depuratum habetur et condimentis aptum: quod superest fructuum post olei expressionem pullis aliisque animantibus praebetur. Caprae fructum Lentisci maturum nonnumquam comedunt, boves folia atque virgulta, caeterum ab hac planta abstinere solent animalia.

+ JUGLANS

Juglans Nutt. Kunth. Tereb. gen. in Ann. sc. nat. 2. p. 344. Juglandis sp. Linn.

Flores monoici. *Masc.* amentum juliforme; calix singulae bracteae interne adnatus, inaequaliter 5-6-partitus; corolla nulla; stamina 12-36, antheris subsessilibus. *Foem.* in ramulis terminales sessilesque, solitarii, bini quaternive; calix superus 4-fidus; corolla 4-partita, marcescens; ovarium 1-loculare; styli 1-2, stigmatibus clavatis, apice papilloso-laceris. Drupa magna, nuce ossea, bivalvi, extus sulcato-rugosa, intus semiquadriloculari, monosperma. Semen semiquadrilobum. — Arbores.

+ JUGLANS REGIA

J. foliis subquadrijugis, foliolis ovali-oblongis, glabris, subserratis, subaequalibus.

Juglans regia Linn. Sp. p. 1415. Willd. Sp. 4. p. 455.

Ic. — Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 5. tab. 250. Lmck. Ill. tab. 781. ic. 1.

Juglans Fuchs. Hist. p. 379. ic.

Nux Juglans Math. Valgr. p. 276. ic. Lob. Obs. p. 545. ic. ✦ et Icon. 2. tab. 108. ic. 1. ✦ Dod. Pempt. p. 816. ic. 1. ✦ J. Bauh. Hist. 1. (lib. 3.) p. 241. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 17. ic. 1. ⁂

Colitur in Sardinia praesertim centrali et septentrionali.

Ital. *Noce. Noce comune.*

Vern. *Nuxi.*

Juglans regia insignis arbor, Persiae indigena (ex Plinio Hist. nat. lib. 15. cap. 22.), exploratissimas praestat utilitates: ejus semina demulcentia, copiam olei *siccativi* continent: seminum pellicula recens amaraque febrifuga dicitur: fructus putamen exterius et radices colorem luteo-fuscum impertiuntur: emetica habentur fructus putamen, cortex arboris interior et amentum; praeterea putamen graveolens et acerbum cum amaritie, virtute antisyphilitica, praecipue vero anthelminthica et stomachica donari, cortex arboris interior aceto infusus, vesicantis vices explere, traduntur. E lympha *Juglandis* saccharum educi potest (*Journ. de méd. par* Leroux *etc.* 25. *p.* 56.). Folia graveolentia, praesertim si atterantur acredine haud carent: planta autem vegetans emanationes dimittit ex quibus sub ejus umbra diutius morantibus capitis dolores nonnumquam producti ab auctoribus memorantur. Lignum *Juglandis* durum, suas refert notissimas utilitates.

Schinus molle Linn. Sp. p. 1467. arbor Americae aequinoctialis, balsamifera, piperita; foliis impari-pinnatis, foliolis serratis, terminali longissimo. Ital. *Albero del pepe falso. Lentisco del Perù. Molle indiano. Pepe molle. Schino. Terebinto della foglia stretta.* prospere vegetat culta in Sardinia praesertim meridionali.

ORDO XXIV.

LEGUMINOSAE

Leguminosae Juss. Gen. p. 345. DC. Prod. 2. p. 93.

Calix 5-divisus, dentibus laciniisve subaequalibus, seu in labium alterum superius, inferius alterum plus minusve connatis. Torus expansus in laminam parvam calicis fundum obtegentem et annulo perigyno limitatam. Corolla annulo perigyno inserta, *papilionacea* (apud nos), rarissime nulla. Stamina cum corolla inserta, 5-10, raro libera, saepe filamentis novem coalitis, decimo solitario (*diadelpha*), aut omnibus connatis (*monadelpha*). Ovarium liberum, sessile aut stipitatum. Stylus 1, terminalis, stigmate simplici. Carpellum saepe bivalve, membranaceum coriaceumve, vel juxta longitudinem dehiscens, uniloculare aut sutura altera introflexa, bi- aut semibiloculare (*legumen*); vel isthmis interceptum et dissepimentis transversis in loculos plures, monospermos divisum (*lomentum*); raro indehiscens. Semina solitaria, bina aut plura alternatim affixa placentis nerviformibus utrique margini unius lateralis suturae. Albumen nullum. Cotyledones modo foliaceae, planae, per germinationem e tellure exsertae (*epigeae*) atque conversae in folia viridia, stomatibus donata; modo carnosae (carne farinacea aut oleosa) per germinationem immutatae atque vel sub terra latentes (*hypogeae*) vel demum *epigeae*. — Herbae, suffrutices, frutices aut arbores. Folia raro simplicia, saepe trifoliolata, digitata aut pinnata, plerumque stipulata.

GENERA LEGUMINOSARUM

SECTIO I.

SOPHOREAE

Stamina libera. Legumen continuum, uniloculare. Cotyledones planae, foliaceae.

LXXXVII. Anagyris. Calix campanulatus, inaequaliter 5-dentatus. Alae et carina

dipetala vexillo multo longiores. Stamina 10, libera. Legumen stipitatum, compressum, bivalve, polyspermum. — Frutices. Folia palmatim trifoliolata. Stipula bifida, oppositifolia.

SECTIO II.

LOTEAE

Stamina mono-diadelpha. Legumen uni- aut biloculare, continuum, raro (in Anthyllidibus quibusdam) transverse bi-pluriloculare. Cotyledones foliaceae, epigeae.

LXXXVIII. SPARTIUM. Calix urceolatus, scariosus, apice 5-denticulatus, assurgente corolla dorso fissus. Carina falcata. Stamina monadelpha. Legumen lineare, plano-compressum, polyspermum. — Frutex ramis virgatis, teretibus, striatis. Folia simplicia, oblongo-lanceolata.

LXXXIX. CALYCOTOME. Calix urceolatus, scariosus, apice 5-denticulatus, assurgente corolla medio circumscissus. Carina incurva falcatave. Stamina monadelpha. Legumen lineare, altera aut utraque sutura bilamellatum, polyspermum. — Frutices spinosi. Folia palmatim trifoliolata. Stipulae nullae. Bractea ampla, calicis basi adpressa.

XC. GENISTA. Calix tubuloso-campanulatus, bilabiatus, labio superiore bifido, inferiore tridentato. Carina oblonga, rectiuscula, mox deflexa, et a vexillo nec non saepissime a tubo staminifero remota. Stamina monadelpha. Legumen lineare ovatumve, compressum, oligo-polyspermum. — Frutices. Folia simplicia vel palmatim trifoliolata, petiolata, aut subsessilia, petiolo scilicet brevissimo, cauli appresso adnatove.

XCI. CYTISUS. Calix tubuloso-campanulatus, bilabiatus, labio superiore bidentato bipartitove, inferiore tridentato. Carina obtusa, incurva subfalcatave, genitalia includens. Stamina monadelpha. Legumen lineare, compressum, polyspermum. — Frutices suffruticulive. Folia petiolata, palmatim trifoliolata.

XCII. ONONIS. Calix campanulatus, profunde 5 fidus, laciniis linearibus. Vexillum magnum, striatum. Stamina monadelpha. Legumen rhombeum, oblongum aut lineare, oligo-polyspermum, pubescens, saepe turgidum. — Herbae aut suffrutices. Folia vel unifoliolata, vel pinnatim, rarissime palmatim trifoliolata. Pedunculi uni-biflori, brevissimi aut longiusculi: hi saepe aristati.

XCIII. ANTHYLLIS. Calix tubulosus, inaequaliter 5-dentatus, post anthesim auctus seu inflato-vesicarius. Stamina mono-diadelpha. Legumen calice tectum aut

semitectum, semiovale aut lineari-oblongum, plerumque stipitatum, uniloculare seu transverse bi-pluriloculare, mono-polyspermum. — Herbae aut frutices humiles. Folia vel pinnata, vel uni- aut palmatim trifoliolata. Stipulae saepe nullae. Flores in capitulum pedunculatum, vel ad foliorum axillas fere sessiles.

XCIV. Medicago. Calix tubuloso-campanulatus, 5-dentatus aut semi-5-fidus. Stamina diadelpha. Legumen calice valde majus, cochleatum aut spirali-reniforme falcatumve. — Herbae, rarissime frutices. Folia pinnatim trifoliolata, raro imparipinnata.

XCV. Trigonella. Calix tubuloso-campanulatus, 5-dentatus 5-fidusve. Stamina diadelpha. Legumen lineare vel oblongo-acuminatum, subfalcatum, compressum, polyspermum, calicem longe superans. — Herbae (siccae odorae). Folia pinnatim trifoliolata.

XCVI. Melilotus. Calix tubulosus, 5-dentatus. Stamina diadelpha. Legumen coriaceum, ovale, globulosum, ovatum obovatumve, parvum, lacunoso-rugosum arcuatimve nervoso-striatum, mono-dispermum, vix dehiscens, calicem superans. — Herbae. Folia pinnatim trifoliolata. Flores longe racemoso-spicati.

XCVII. Trifolium. Calix tubulosus, 5-dentatus 5-fidusve. Corolla marcescens siccescensve, saepissime persistens. Stamina diadelpha. Legumen parvum, vix dehiscens, mono-oligospermum, calice tectum aut semitectum. — Herbae. Folia palmatim, raro pinnatim trifoliolata. Flores capitati aut dense capitato-spicati, raro solitarii.

XCVIII. Lotus. Calix tubuloso-campanulatus, 5-dentatus 5-fidusve. Alae sursum conniventes anticeve cohaerentes. Stamina diadelpha, quorum longiora 5 apice incrassata truncataque antheris basi fixis, perpendicularibus. Legumen ovali-oblongum aut lineare, oligo-polyspermum. — Suffrutices aut herbae. Folia palmatim trifoliolata. Stipulae magnae foliola aemulantia subindeve foliorum sessilium foliola aequantia foliumque digitatim 5-foliolatum exhibentia. Pedunculi apice uni-multiflori.

XCIX. Psoralea. Calix tubulosus, 5-fidus, lacinia infima longiore. Carina obtusa, inferne bipartita. Stamina (apud nos) monadelpha. Legumen compressum, monospermum, rostro lanceolato exsertum. — Suffrutices aut herbae tuberculis glandulosis notatae. Folia (apud nos) pinnatim trifoliolata. Flores in summis pedunculis capitati.

C. Glycyrrhiza. Calix tubulosus, subbilabiato-5-fidus, laciniis duabus superioribus ultra alias concretis. Vexillum ovato-lanceolatum, rectum. Carina dipetala,

recta, acuta. Stamina diadelpha. Legumen ovatum aut lineari-oblongum, compressum, acutum, oligospermum. — Herbae perennes. Radices dulces. Folia impari-pinnata. Racemi axillares.

CI. Colutea. Calix campanulatus, breviter 5-dentatus. Vexillum basi bicallosum. Carina falcata, obtusa truncatave. Stamina diadelpha. Stylus superne subtus barbatus, stigmate reflexo. Legumen stipitatum, magnum, scarioso-pellucidum, inflatum, polyspermum. — Frutices. Folia impari-pinnata. Racemi axillares, pauciflori.

CII. Astragalus. Calix tubulosus, 5-dentatus. Carina obtusa, mutica. Stamina diadelpha. Legumen biloculare aut semibiloculare, sutura vel inferiore introflexa, vel dissepimento longitudinali valvis parallelo, completo aut incompleto. — Suffrutices aut herbae. Folia pinnata. Florum racemi vel capitula pedunculata aut subsessilia.

CIII. Biserrula. Calix tubuloso-campanulatus, semi-5-fidus. Stamina diadelpha. Legumen lineare, longum, depresso-planum, polyspermum, biloculare, valvis carinato-compressis, dorso sinuato-dentatis, dissepimento longitudinali valvis contrario. — Herba diffusa. Folia impari-pinnata. Flores in summis pedunculis racemoso-capitati.

SECTIO III.

HEDYSAREAE

Stamina diadelpha. Fructus dissepimentis transversis in articulos monospermos divisus. Cotyledones foliaceae, epigeae.

CIV. Scorpiurus. Calix campanulatus, semi-5-fidus, laciniis superioribus duabus minus divisis. Carina falcata, rostrata. Lomentum teretiusculum, longum, circinato-revolutum, scabrum juxtaque longitudinem striatum, inter semina contractum articulatumque. — Herbae annuae. Folia simplicia, in petiolum attenuata.

CV. Coronilla. Calix campanulatus, brevis breviterque 5-dentatus, dentibus duobus superioribus ultra medium connatis. Carina falcata, rostrata. Lomentum longum, rectum falcatumve, articulis tereti-angulatis oblongisve. — Frutices aut herbae. Folia impari-pinnata, glauca (apud nos) glabrave.

CVI. Ornithopus. Calix tubulosus, 5-dentatus, dentibus duobus superioribus basi connatis. Carina rectiuscula, apice rotundata. Lomentum longum, teretiusculum compressumve, arcuatum, articulis ruguloso-nervosis. — Herbae annuae. Folia impari-pinnata.

CVII. HIPPOCREPIS. Calix campanulatus, semi-5-fidus, laciniis duabus superioribus semiconnatis. Carina incurva. Lomentum longum, plano-compressum, rectum arcuatumve, articulis flexuoso-curvatis, aut in orbiculum hinc excisis. Semina incurva arcuatave. — Herbae aut suffruticuli. Folia impari-pinnata.

CVIII. HEDYSARUM. Calix 5-fidus, laciniis subaequalibus. Carina alis major, apice abrupte angulata. Staminum filamenta omnia subulata. Lomentum compressum, articulis suborbiculatis, aculeato-muricatis (apud nos). — Herbae. Folia impari-pinnata.

SECTIO IV.

VICIEAE

Stamina diadelpha. Legumen continuum, uniloculare. Cotyledones crassae, hypogeae. — Folia raro impari- plerumque abrupte pinnata, petiolo communi apice in setulam cirrhumve abeunte, primordialia alterna.

+ CICER. Calix 5-partitus, partitionibus quatuor superioribus vexillo incumbentibus, quinta carinae parvae subjecta. Staminum filamenta apice incrassata. Legumen rhombeum, turgidum, dispermum. Semina globoso-gibberosa. — Folia (apud nos) impari-pinnata, foliolis serratis.

CIX. VICIA. Calix tubulosus, 5-fidus aut 5-dentatus. Stylus filiformis. Legumen lineare aut lineari-oblongum, polyspermum. — Folia raro bi-trijuga, saepe multijuga.

CX. ERVUM. Calix 5-fidus aut 5-partitus, laciniis corolla paullo brevioribus eidemve aequalibus. Stylus filiformis. Legumen rhombeum, mono-dispermum. — Folia multijuga.

CXI. PISUM. Calix campanulatus, 5-fidus, laciniis foliaceis. Vexillum maximum. Stylus complicato-carinatus. Legumen lineare, polyspermum. — Folia bi-trijuga. Stipulae maximae, foliolis majores.

CXII. LATHYRUS. Calix campanulatus, 5-fidus aut 5-dentatus. Vexillum magnum. Stylus linearis vel sursum dilatatus, latere superiore planus. Legumen lineare aut lineari-oblongum, polyspermum. — Folia uni-bijuga, raro tri-quadrijuga, subindeve petioli foliiformes aut cirrhiformes aphylli.

SECTIO V.

PHASEOLEAE

Stamina mono-diadelpha. Legumen continuum, uniloculare. Cotyledones crassae, demum epigeae. Folia digitata aut pinnatim trifoliolata, primordialia opposita.

+ PHASEOLUS Calix campanulatus, bilabiatus, labio superiore emarginato, infe-

riore tridentato. Carina cum staminibus diadelphis in spiram contorta vel falcata uncinatave. Appendices lineares e toro exsertae, crassae, connatae, ovarii stipitem, instar annuli, circumambientes. Legumen lineare aut oblongum, polyspermum. — Suffrutices aut herbae, saepe volubiles. Folia pinnatim trifoliolata, foliolis basi stipellatis.

+ Dolichos. Calix campanulatus, bilabiatus, labio superiore emarginato, inferiore tridentato. Vexillum intus basim versus bicallosum. Appendices lineares, crassae, connatae, e toro exsertae, ovarii stipitem, instar annuli, circumambientes. Stamina diadelpha. Legumen lineare, polyspermum. — Suffrutices aut herbae, saepe volubiles. Folia pinnatim trifoliolata, foliolis basi stipellatis.

cxiii. Lupinus. Calix bilabiatus. Vexillum lateribus reflexis. Stamina monadelpha; antheris 5 exiguis, subrotundis, praecocioribus; 5 oblongis, serioribus. Legumen coriaceum, lineari-oblongum, compressum, oblique torulosum. — Herbae (apud nos). Folia digitata.

SECTIO VI.

CASSIEAE

Corolla (apud nos) nulla. Stamina libera. Legumen indehiscens, transverse multiloculare, isthmis pulpa farctis.

cxiv. Ceratonia. Calix minimus, 5-partitus. Corolla nulla. Stamina 5, calicem longe superantia. Legumen magnum, lineare, compressum, coriaceum, polyspermum, transverse multiloculare, isthmis pulpa farctis. — Arbor. Folia abrupte pinnata, sempervirentia. Flores polygami aut dioici.

SECTIO I.

SOPHOREAE

Stamina libera. Legumen continuum, uniloculare. Cotyledones planae, foliaceae.

LXXXVII. ANAGYRIS

Anagyris Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 695. Juss. Gen. p. 352. DC. Prod. 2. p. 99. Tourn. Inst. tab. 415. Lmck. Ill. tab. 328.

Calix campanulatus, inaequaliter quinquedentatus. Corollae vexillum alis et carina dipetala valde brevius. Stamina decem, libera. Legumen lineare, breviter stipitatum, compressum, polyspermum, bivalve.

250. ANAGYRIS FOETIDA

A. foliolis ovali-lanceolatis oblongisve, subtus piloso-sericeis; vexillo maculato; leguminibus di-octospermis; seminibus rufis.

Anagyris foetida Linn. Sp. p. 534. Willd. Sp. 2. p. 507. DC. Prod. 2. p. 99. Desf. Fl. atl. 1. p. 335. Viv. Fl. lyb. Spec. p. 22. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 1. p. 270. et Fl. graec. 4. p. 59. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 201. Guss. Fl. sic. Prod. 1. p. 477. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 198. Savi Tratt. alb. tosc. 1. p. 65. et Bot. etr. 1. p. 135. All.! Fl. ped. 1. p. 140. DC. Fl. fr. 4. p. 491. Lois. Fl. gall. 1. p. 290. Cambess. En. pl. balear. p. 59.

Ic. — Sibth. Fl. graec. tab. 366. Lodd. Bot. gab. tab. 740. Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 1. tab. 22. Iconogr. taurin. 29. tab. 87.

Anagyris Duh. Arb. (ed. 1755.) 1. p. 52. tab. 18.

Anagyris Clus. Hist. 1. p. 93. ic. ✝ Dod. Pempt. p. 785. ic. 1. ✝ Lob. Obs. p. 505. ic. 2. ✝ et Icon. 2. tab. 50. ic. ✝ J. Bauh. Hist. 1. (lib. xi.) p. 364. ic. ✝ Chabr. Sciagr. p. 78. ic. 2. ✝

Frutex orgyalis et ultra, ramulis junioribus adpresse piloso-sericeis. Folia alterna, petiolata, decidua, palmatim trifoliolata, foliolis oblongis, obtusis, pallide virentibus, mucronulatis, subtus adpresse piloso-sericeis, facie glabris, summis angustioribus, oblongo-lanceolatis, acutiusculis. Petioli piloso-sericei, superne canaliculati. Stipula petiolo opposita, amplexicaulis, lanceolata, pilosa, decidua. Flores in racemos multifloros, foliatos dispositi, pedicellis basi bracteatis, bractea lanceolata. Calix corolla triplo circiter brevior, campanulatus, coloratus, adpresse sericeus, subbilabiatus, quinquedentatus, dentibus triangularibus, inaequalibus. Corollae luteae vexillum obcordatum, alis carinaque fere duplo brevius, versus apicem fusco-maculatum, carina dipetala, alis vix longior alaeque oblongo-lanceolatae, obtusae. Stamina alarum longitudine, glabra. Stylus staminibus vix longior. Legumen stipitatum, compressum, crassiusculum, glabrum, pendulum, di-octospermum. Semina subreniformia, laevia, fusco-rufa.

Ad sepes frequens.

Fl. hyeme. ♄

Ital. *Anagiri. Anagiride. Fagiuolo della Madonna. Fava inversa. Fava lupina. Laburno fetido. Olivo della Madonna.*

Vern. m. *Siliqua cràbina.* — Vern. s. *Fava giolva.*

Planta foetida: ejus semina potissimum atque legumina recentia virtute emetica insigni pollere veteres tradiderunt: lac caprarum quae Anagyridem manducaverint et caseum postmodum confectum emetica et alviduca esse scripserunt Rayus et Linnaeus (Amoen. Acad. 5. p. 162.). Folia a ʒiij ad ʒvj decocta leniter alvum movere observavit clariss. Loiseleur (Man. des pl. us. indig. (2. part.) p. 57.).

SECTIO II.

LOTEAE

Stamina mono-diadelpha. Legumen continuum, uni-biloculare. Cotyledones foliaceae, epigeae.

LXXXVIII. SPARTIUM

Spartium DC. Mem. Legum. p. 203. et Prod. 2. p. 145. Spartianthus Link. En. pl. H. Berol. p. 223. Genistae sp. Lmck. Spartii sp. Linn.

Calix urceolatus, scariosus, apice 5-denticulatus, assurgente corolla dorso fissus. Corollae carina falcata, antice pilosa. Stamina monadelpha. Legumen lineare, plano-compressum, uniloculare, polyspermum, eglandulosum, valvis margine incrassatis.

251. SPARTIUM JUNCEUM

Spartium junceum Linn. Sp. p. 995. Willd. Sp. 3. p. 926. DC. Prod. 2. p. 145. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 53. et Fl. graec. 7. p. 67. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 362. et Suppl. p. 220. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 341. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 234. Savi Bot. etr. 2. p. 241. et Tratt. alb. tosc. 1. p. 205. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 169. All.! Fl. ped. 1. p. 339. Lois. Fl. gall. 2. p. 104.

Genista juncea Desf. Fl. atl. 2. p. 137. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 202. Savi Fl. pis. 2. p. 138. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 28. DC. Fl. fr. 4. p. 495.

Spartianthus junceus Link. En. pl. H. Berol. 2. p. 223.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 671. Duh. Arb. (ed. 1755.) 1. p. 260. tab. 103.

Genista hispanica Riv. Tetr. irr. tab. 65.

Spartium Renealm Spec. Hist. pl. tab. 33.

Frutex quadri-decempedalis, ramis alternis, oppositis et subverti-

cillatis, teretibus, junciformibus, striatis, virgatis, viridibus, medulla copiosa farctis valdeque flexilibus, glabris, junioribus versus apicem adpresse pilosis. Folia alterna et opposita, pauca, brevissime petiolata, facie plerumque glabra, subtus adpresse pilosa, inferiora oblonga aut oblongo-linearia, obtusa, superiora angustiora, oblongo-lanceolata acutaque: petioli ramis adpressi et stipularum loco utrinque ad basim alati. Flores versus summos ramulos racemosi, magni, odori: pedunculi flore multo breviores, bracteolis exiguis, subulatis, cito deciduis stipati. Calix ovatus, scariosus, glaber, dorso fissus, apice quinquedenticulatus. Corollae luteae vexillum glabrum, suborbiculatum, obtusum, cum tenui acumine intermedio, intus ad basim macula notatum ex lineis rubellis conflata; alae oblongae, obtusae, convexae, hinc pubescentes, carina breviores; carina falciformis, acuta, dorso versus apicem pubescens. Staminum filamenta glabra: antherae pilosae. Stylus glaber. Legumina villosa, compressa, longiuscula, linearia cum acumine, valvis margine incrassatis. Semina ovata, compressa, laevia, demum rufa, ad hilum emarginata.

Ad margines agrorum et in sylvestribus Iglesias, Sardiniae centralis et septentrionalis.

Fl. aprili, junio. ♄

Ital. *Ginestra scornabecco. Ginestra scopereccia. Ginestra di Spagna. Linoginestra.*

Vern. *Ginestra.*

Flores *Spartii juncei* tincturae idonei apes delectant. Rami ligaminum vices optime explent: iisque instar Cannabis maceratis filum educitur satis validum quo telae ad multiplicem usum accommodatae in nonnullis Galliae provinciis et panni sic dicti *ginestrini* in Hetruria parantur. Lignum fusco-maculatum nostratibus praestantioribus accensetur quibus supellectilia conficiantur.

LXXXIX. CALYCOTOME

Calycotome Link. in Schrad. Journ. b. 2. (st. 2.) p. 50. Spartii sp. Linn.

Calix urceolatus, scariosus, apice 5-denticulatus, assurgente corolla medio circumscissus. Corollae carina incurva falcatave, antice pilosa. Stamina monadelpha. Legumen lineare, altera aut utraque sutura bilamellatum, polyspermum.

252. CALYCOTOME SPINOSA

C. foliolis subtus pubescentibus; bracteis calici adpressis tripartitis trifidisve; leguminibus glaberrimis, dorsali sutura bilamellatis.

Calycotome spinosa LINK. En. pl. Hort. berol. 2. p. 225.

Cytisus spinosus TOURN. Inst. 1. p. 648. LMCK. Dict. enc. 2. p. 247. DC.! Prod. 2. p. 154. GUSS. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 222. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 342. DC. Fl. fr. 4. p. 503. LOIS. Fl. gall. 2. p. 110. CAMBESS. En. pl. balear. p. 61.

Spartium spinosum LINN. Sp. p. 997. WILLD. Sp. 3. p. 935. DESF. Fl. atl. 2. p. 135. VIV. Fl. lyb. Sp. p. 40. SAVI Bot. etr. 2. p. 242. BERTOL. Pl. genuens. in Amoen. p. 169. ALL.! Fl. ped. 1. p. 339.

PH. THOMAS! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Acacia altera MATH. Valgr. p. 194. ic. LOB. Obs. p. 536. ic. 2.✦ et Icon. 2. tab. 95. ic. 2.✦ DOD. Pempt. p. 753. ic. 1.✦ (*rami fructiferi; flores nulli*).

Aspalathus secunda trifolia quae Acacia secunda Math. trifolia J. BAUH. Hist. 1. (lib. IX.) p. 375. 376. ic.✦ CHABR. Sciagr. p. 81. ic. 2.✦

Frutex quadri-quinquepedalis, ramis divergentibus, glabris, striatis, spinosis, ramulis adpresse pubescentibus. Folia petiolata, trifoliolata, foliolis brevissime petiolulatis, obovatis aut oblongo-obovatis, obtusis, plerisque mucronulatis, basi plus minusve cuneatis, facie glabris, subtus adpresse pubescentibus. Petioli adpresse pubescentes, superne sulcati, folio subaequales. Stipulae nullae. Flores solitarii vel bini, terni quaternive, pedunculati, axillares et extra-axillares, juxta ramulos e spinis originem ducentibus dispositi. Calix urceolatus, adpresse puberulus, membranaceus, obsolete quinquedentatus, subbilabiatus, urgente autem atque emergente inclusa corolla medio circumscissus truncatusve, basi folio florali trifido subindeve tripartito, sessili, adpresse stipatus. Corolla lutea, glabra; vexillo obovato, integro aut emarginato; carina vexillo demum vix longiore; alis vexillum subaequantibus. Ovarium pistillum et stamina glabra. Legumina linearia, nigrescentia, glaberrima, compressa, 14-18 lineas longa, hexa-decasperma, seminibus plerisque abortientibus, sutura superiore in lamellulam utrinque abeunte. Semina suborbiculata, leviter compressa, laevia, helvola.

In sylvestribus circa la Tanca Regia et Abbasanta, et in collinis circa Alghero. Fl. aprili, majo. ♄

253. CALYCOTOME VILLOSA

C. foliolis subtus sericeo-pubescentibus; bracteis calici adpressis obsolete lobatis indivisisve; leguminibus villoso-lanatis, sutura utraque bilamellatis.

Calycotome villosa Link. in Schrad. Journ. b. 2. (st. 2.) p. 50. et En. pl. Hort. berol. 2. p. 225.

Cytisus lanigerus DC.! Fl. fr. 4. p. 504. et Prod. 2. p. 154. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 373. et Suppl. p. 222. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 342. Lois. Fl. gall. 2. p. 110. Cambess. En. pl. balear. p. 61.

Spartium villosum Vahl Symb. 2. p. 80. Willd. Sp. 3. p. 935. Poir. It. 2. p. 207. Urv. En. pl. Archip. p. 84. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 54. et Fl. graec. 7. p. 69. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 234. Savi Bot. etr. 2. p. 242.

S. lanigerum Desf. Fl. atl. 2. p. 135. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 201.

Ph. Thomas! Salzm.! Requien.! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

S. rigidum Viv. Fl. lyb. Sp. p. 40.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 673. Viv. Fl. lyb. Sp. tab. 17. ic. 1.

Frutex praecedenti similis, differt pube in pagina inferiore foliorum, calice, spinis ramulisque densiore et canescente; floribus numero pluribus ad spinarum gemmas aggregatis, rarius solitariis alternisque; bractea calicem adpresse stipante indivisa aut obsolete lobata, nec trifida aut tripartita; leguminibus lanatis, juxta utramque suturam bilamellatis, longitudine uncialibus, hexa-octospermis, nec sesquiuncialibus.

In aridis maritimis Sardiniae et insulae Tavolara: frequens.

Fl. aprili, majo. ♄

Vern. m. *Tirìa.*

XC. GENISTA

Genista DC. Mem. Legum. p. 204. et Prod. 2. p. 145. Genistae sp. Lmck. Enc. 2. p. 616. Ill. tab. 619. Genistae et Spartii sp. Linn.

Calix tubuloso-campanulatus, bilabiatus, labio superiore bifido,

inferiore tridentato. Corollae vexillum a carina remotum; carina oblonga, rectiuscula, deflexa. Stamina monadelpha, e carina saepe emergentia. Legumen compressum, oligo-polyspermum, eglandulosum.

254. GENISTA CORSICA

G. foliis subsessilibus, lineari-oblongis obovatisve, simplicibus; stipulis conicis, perexiguis, spinescentibus; ramis striatis, spinosissimis, spinis simplicibus ramosisque; ramulis floriferis (pedunculisve) e basi spinarum axillaribusque, uni-paucifloris; floribus glabris, subracemosis; carina vexillum subaequante; leguminibus linearibus, glabris, di-octospermis.

Genista corsica DC.! Fl. fr. Suppl. p. 548. et Prod. 2. p. 148. Lois. Fl. gall. (ed. 2.) 2. p. 107.

Spartium corsicum Lois. Fl. gall. (ed. 1.) p. 440.

Ic. — Tab. xxxi.

Frutex semipedalis, bipedalis, rigidus, ramosus, spinosissimus; ramis striatis, erectis aut ascendentibus; spinis alternis, simplicibus ramosisque, striatis, plerumque nudis. Folia e basi spinarum originem ducentia, solitaria aut pauca, simplicia, vix petiolata, forma, in eodem etiam stipite, admodum varia, obovata, orbiculata, spathulata, lineari-oblonga, in ramis junioribus lineari-lanceolata. Stipula utrinque ad basim foliorum praesertim juniorum conica, spinescens, exigua. Ramuli floriferi, aut, si lubet, pedunculi in ramulos mox abeuntes, ex axillis foliorum originem ducentes, angulati, plerumque bi-triflori, raro uniflori, interdum quadri-sexflori, spinis breviores aut longiores, pedicellis solitariis, alternis, lutescentibus, calice longioribus. Calix campanulatus, bilabiatus, labii superioris laciniis binis, triangulo-lanceolatis, inferioris dentibus trinis, lineari-lanceolatis. Bracteolae duae, basi calicis adpressae, lanceolatae, breves, exiguae. Corolla lutea, nitens, calice triplo et ultra longior, glabra: carina alis et vexillo subaequalibus. Stamina glabra, filamentis inaequalibus, antheris quinque longioribus, quinque brevioribus. Stylus staminibus longior, glaber, stigmate laterali. Ovarium

glabrum. Legumina quinque-decem lineas longa, linearia, di-octosperma, compressa, glabra. Semina orbiculato-reniformia, subcompressa, laevia, matura nigra. — Planta modo glaberrima lucidaque, modo ramulis, spinis, foliis junioribus calicibusque adpresse pubescentibus atque canescentibus.

In asperis maritimis Sardiniae et insularum adjacentium nec non in montanis Limbara, Genargentu: usque ad 1800 metr. circiter supra maris superficiem.
Fl. in maritimis a februario ad majum: in montanis majo, junio. ♄
Vern. *Zorighina. Ciorisina.*

255. GENISTA MORISII

G. foliis subsessilibus, summis simplicibus, caeteris trifoliolatis; foliolis anguste lineari-oblongis, mucronulatis, complicatis, supra glabriusculis, subtus ramisque villosis; spinis simplicibus; stipulis subulatis, spinescentibus; floribus secus ramulos inermes solitariis, alternis, racemosis; corolla glabra; leguminibus linearibus, tetra-octospermis, villosis.

Genista Morisii Colla Herb. ped. 2. p. 65.
G. microphylla Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 13. non Cavan.

Ic. — Tab. XXXII.

Frutex pedalis, bipedalis, ramosus, villosus, inferne glabratus, cortice fulvo-cineraceo, ramis erectis aut ascendentibus, spinis alternis, simplicibus, ramulis floriferis inermibus. Folia alterna, trifoliolata, foliolis lineari-spathulatis aut lineari-oblongis, duas tertias lineae partes aut vix lineam latis, tres-quinque lineas longis, complicatis, supra glabris aut raro pilosiusculis, subtus villosis, in foliis superioribus sensim angustioribus acutioribusque; floralia summa lineari-lanceolata, simplicia, interdum colorata bracteaeformiaque. Petioli adpressi, brevissimi, persistentes, in stipulam subulatam, spinescentem, unam-duas lineas longam, utrinque abeuntes. Flores juxta ramulos solitarii, quatuor-octo, alterni, axillares et terminales. Pedunculi calice paullo breviores. Calix tubuloso-campanulatus, bilabiatus, labio superiore bifido, laciniis lanceolatis, acutis, inferiore tridentato, dentibus lineari-lanceolatis. Bracteolae duae, utrinque e summo

pedunculo originem ducentes, calici adpressae, lineares, acutae. Corolla glabra, lutea, calice subduplo longior; vexillo subemarginato, basi lineis purpurascentibus picto, carinam subaequante; alis vexillo et carina brevioribus. Ovarium adpresse villosum. Stylus et stamina glabra. Legumen lineam aut sesquilineam latum, octo-duodecim longum, villosum moxque interdum glabratum. Semina quatuor-octo, subglobosa, fuscescentia, laevia.

In pascuis aridis, Sulcis, S. Antioco, Siliqua, Samassi.
Fl. majo, junio. ♄

256. GENISTA ASPALATHOIDES

G. foliis subsessilibus, lineari-oblongis, sericeo-pubescentibus, solitariis ternisque; stipulis perexiguis, conico-subulatis obsoletisve; ramis striatis, spinescentibus; floribus axillaribus, solitariis, ternis quaternisve, lateralibus terminalibusve; vexillo carinaque sericeo-pubescentibus; leguminibus linearibus, pubescentibus, di-pentaspermis.

Genista aspalathoides Lmck. Dict. enc. 2. p. 620. DC.! Prod. 2. p. 147. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 366. et Suppl. p. 221.

G. Salzmanni DC.! Mem. Legum. p. 211. et Prod. 1. p. 147. Lois. Fl. gall. (ed. 2.) p. 107.

G. umbellata Salzm.! Pl. siccat. e Corsica: non Poir.

Spartium aspalathoides Desf.! Fl. atl. 2. p. 136.

Ic. — Tab. xxix.

* *confertior*, humilior, ramis confertioribus.

Genista Lobelii DC.! Fl. fr. 4. p. 499. et Prod. 2. p. 147. Lois. Fl. gall. (ed. 2.) 2. p. 106.

Spartium erinaceoides Lois. Fl. gall. (ed. 1.) p. 441.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Tab. xxx.

Spartium aphyllon, fruticosum, junceis aculeis, lanatis capitulis Lob. Adv. p. 409. ic. (*valde rudis, aphylla monstruosaque*).

Genista sive Spartium purgans J. Bauh. Hist. 1. p. 404. ic.? ☆ Chabr. Sciagr. p. 85. ic. 1.? ☆

Frutex semipedalis, bipedalis, ramosissimus, trunci cortice cinereo-rufescente, ramis alternis, profunde striatis, flavicantibus aut cinereo-flavescentibus, ramulis plus minusve confertis, virentibus, leviter

striatis, apice spinescentibus. Foliola lineari-oblonga, exigua, adpresse sericeo-pubescentia, superiora juxta ramulos sparsa, solitaria, inferiora ramos adultos eorumve basim occupantia, ternata. Petioli ramis adnati, brevissimi, bisulcati, persistentes moxque indurati, tubercula aemulantes. Spinula stipularis, conica (nisi oculo armato non conspicua), ex petiolorum apice utrinque assurgens subindeve obsoleta. Flores axillares breviter pedunculati, solitarii, bini ternive, raro quaterni, laterales aut terminales. Bracteolae lineari-lanceolatae, exiguae, ad basim vel ad medietatem pedunculi oppositae, subindeve altera ad basim alterave versus medietatem pedunculi. Calix adpresse sericeo-pubescens, corolla subduplo brevior, labio superiore bilobo, lobis ovato-triangularibus, acutis, inferiore longiore tridentato, dentibus lanceolatis, acutis. Corollae carina obtusa vexillum modo emarginatum, modo integrum, subaequans aut plerumque vix superans; alae glabrae, obtusae, carina paullo breviores. Legumen adpresse sericeo-pubescens, sesquilineam circiter latum, lineas quinque-septem longum, apice breviter acuminatum, calicem duplo triplove superans. Semina subcompressa, laevia (perfecte autem matura non vidi).

In campestribus, collinis montanisque monte Linas, Fonni, Limbara: usque ad 1300 metr. circiter supra maris superficiem: var. *confertior* in sterilibus aridioribus.

Fl. majo, junio. ♄

Obs. Genista aspalathoides prout floribus solitariis vel aggregatis se prodit, varias species exhibere videtur: caeterum in eodem saepe stipite alii ramuli flores solitarios et subracemosos praebent, alii flores aggregatos, laterales aut terminales: quamobrem fallax est character quem florum dispositio prima fronte praebere videtur; alius autem non adest qui alteram ex allatis varietatibus ab altera specifice valeat discriminare. Rami confertiores aut laxiores, crassiores aut graciliores atque flexiliores e locis procedunt in quibus planta vegetat.

257. GENISTA EPHEDROIDES

G. foliis subsessilibus, exstipulatis, trifoliolatis, rameis superioribus simplicibus; foliolis anguste linearibus, adpresse pubescentibus; ramis teretibus, striatis; ramulis gracilibus, confertis, virgatis, ri-

gidis, spinescentibus; floribus secus ramulos racemoso-spicatis, alternis, solitariis; leguminibus ovato-acuminatis, sericeo-pubescentibus, mono-dispermis.

Genista ephedroides DC.! Mem. Legum. p. 210. et Prod. 2. p. 147. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 364. et Suppl. p. 220.

Spartium gymnopterum Viv.! Fl. cors. App. 1. p. 6.

S. Gasparrini Guss.! Ind. sem. H. R. in Boccad. ann. 1825.

S. triphyllon Cup. H. cath. p. 208. ex clar. Guss.

Genista gymnoptera Duby Bot. gall. 2. Append. p. 1008.

Ic. — DC. Mem. Legum. tab. 36.

Frutex ramosissimus, semipedalis, bipedalis, ramis erectis vel ascendentibus, striatis, ramulis floriferis gracilibus, rigidis, spinescentibus, junioribus pubescentibus. Folia vix petiolata, ramulorum simplicia, caetera trifoliolata; petiolis latiusculis, adpressis; foliolis adpresse pubescentibus, linearibus nonnullisque lineari-subspathulatis, obtusiusculis acutisve, angustissimis, $\frac{1}{3}$ aut fere dimidiam lineam latis, duas-quatuor lineas nec ultra longis. Flores lutei, alterni, racemoso-spicati, pedunculis adpresse sericeo-pubescentibus, $\frac{1}{2}$ $1\frac{1}{2}$ lineam longis, ex axillis foliorum floralium sensim minorum originem ducentibus. Calix campanulatus, bracteola lineari-lanceolata, exigua, adpressa, basi stipatus, labii inferioris longioris dentibus tribus, subulatis, superioris lobis acuminatis. Corollae vexillum ovatum, integrum, extus adpresse sericeo-pubescens, carina paullo brevius; alae glaberrimae, obtusae, vexillum subaequantes; carina extus sericeo-pubescens. Legumen ovatum, rostratum, sericeo-pubescens, seminibus maturis 1-2, globulosis, laevibus, 1-2 abortientibus.

In campis et in collibus maritimis aridis: frequens.

Fl. aprili, majo. ♄

258. GENISTA AETNENSIS

G. foliis simplicibus, paucis, lineari-oblongis, sericeis; ramis striatis, propendentibus; ramulis confertis, gracillimis, flexilibus; floribus secus ramulos alternis, solitariis, longeque racemoso-spicatis; leguminibus semi-ovalibus, acutis, compressis, puberulis, tri-heptaspermis.

Genista aetnensis DC.! Prod. 2. p. 150. Spr. Syst. veg. 3. p. 219. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 363.

Spartium aetnense Biv. Stirp. rar. Sicil. manip. 2.

S. trispermum Sm. in Rees. Cycl. 32. n.º 5. ex DC. Prod

S. nudum Spr. Syst. 4. (part. 2. cur. post.) p. 266. non Willd.

Ic. — Tab. xxviii.

Frutex quadri-decempedalis, erectus, ramosissimus, ramis propendentibus, teretibus, virgatis, striatis; ramulis floriferis confertis, longis, flexilibus, basi (oculo armato) sericeo-pubescentibus. Folia pauca, lineari-oblonga, sparsa, simplicia, sericea, cito decidua, basi in brevissimum petiolum attenuata. Flores lutei, odori, solitarii, juxta ramulos sparsi longeque racemosi. Pedunculi lineam fere longi, sericei, basi articulati. Calix puberulus aut glaber, sesquilineam circiter longus, campanulatus, bilabiatus, obtusus, labio superiore obsolete bilobo, inferiore obsolete tridenticulato. Verrucula bracteaeformis una alterave calicis basim stipans. Corollae vexillum deorsum flexum, emarginatum, extus versus apicem adpresse puberulum; carina dorso et apice adpresse pubescens, vexillum subaequans; alae glaberrimae, carina vix breviores. Filamenta staminum glabra, serius e carina aut non emergentia. Stigma subcapitatum, oculo armato, hinc brevissime pubescens. Legumina semiovalia aut semiobovata, acuta styloque mucronata, sesquilineam vel fere duas lineas lata, tres-quatuor lineas longa nec ultra, adpresse pubescentia, mox glabrata et nigricantia, tri-heptasperma, seminibus nonnullis saepe abortientibus. Semina matura subreniformia, nigra, laevia, paullulum compressa.

In collinis sylvestribus Barbargia-Sèui, Oliastra, S. Teodoro.

Fl. junio. ♄

259. GENISTA CANDICANS

G. inermis; foliis petiolatis, trifoliolatis; foliolis obovato-cuneatis, facie glabriusculis, subtus adpresse pubescentibus; ramis sulcatis; racemis terminalibus subcapitatis, basi foliatis; leguminibus linearibus, villosis, tri-hexaspermis.

Genista candicans Linn. Amoen. 4. p. 284. et Sp. p. 997. Willd. Sp. 3. p. 937. DC.! Prod. 2. p. 145. Viv. Fl. cors. Diagn. p. 12. Sibth. et Sm. Fl. graec.

Prod. 2. p. 54. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 365. et Suppl. p. 220. Tenor. Fl. nap. 2. p. 125. et Syll. p. 344. Savi Tratt. alb. tosc. 1. p. 120. All.! Fl. ped. 2. p. 322.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Cytisus candicans Linn. Sp. (ed. 1.) p. 740. Savi Bot. etr. 2. p. 245. DC. Fl. fr. 4. p. 504. Lois. Fl. gall. 2. p. 109.

Ic. — Iconogr. taurin. 12. tab. 29.

Frutex orgyalis et ultra (habitu *Cytisi*, corolla *Genistae*), ramis erectis, sulcato-angulatis, junioribus pubescentibus. Folia breviter petiolata, foliolis obovatis aut oblongo-obovatis, basi cuneatis, apice mucronulatis, obtusis, raro acutiusculis, facie glabris aut vix puberulis, subtus pubescentibus, pube adpressa. Stipulae exiguae, lanceolatae, acutae. Flores in summitate ramulorum lateralium et terminalium, 2-9, racemoso-capitati, pedicellis pubescentibus, calice brevioribus. Bracteolae subulatae circa calicem utrinque una, tertia ad basim pedicelli vel juxta pedicellum. Calix campanulatus, pubescens, bilabiatus, labio inferiore tridentato superius bifidum vix superante. Genitalia glabra. Stylus petalis subaequalibus, glabris, luteis paullo longior. Legumina compressa, villosa, recta aut vix incurva, duas lineas lata, sex-decem longa. Semina suborbiculata, nigra, laevia, compressa.

Ad sepes et in sylvestribus Iglesias et Sardiniae centralis.

Fl. martio, aprili. ♄

Ital. *Ginestra biancastra. Citiso biancastro.*

Vern. m. *Martigùsa.*

XCI. CYTISUS

Cytisus DC. Fl. fr. 4. p. 501. Mem. Legum. p. 213. et Prod. 2. p. 153. (*excl. sect.* 3.ª) Cytisi sp. Linn.

Calix tubuloso-campanulatus, bilabiatus, labio superiore bidentato, bipartitove, inferiore tridentato. Corollae carina obtusa, incurva falcatave, genitalia includens. Stamina monadelpha. Legumen lineare, compressum, polyspermum, eglandulosum.

260. CYTISUS TRIFLORUS

C. ramis erectis; foliis exstipulatis, foliolis obovatis ovalibusve, mucronulatis, utrinque ramulisque pubescentibus; pedunculis axillaribus, unifloris, solitariis ternisque; calicis campanulati, brevis, labio utroque obsolete dentato; leguminibus 6-10-spermis, villosissimis.

Cytisus triflorus Her. Stirp. p. 184. Willd. Sp. 3. p. 1125. DC.! Prod. 2. p. 154. Desf. Fl. atl. 2. p. 139. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 76. Tenor. Fl. nap. 2. p. 149. et Syll. p. 342. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 235. Savi! Fl. pis. 2. p. 143. et Bot. etr. 2. p. 245. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 174. DC. Fl. fr. 4. p. 505. Lois. Fl. gall. 2. p. 110.
Salzm.! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Ic. — Cytisus tertius Clus. Hist. lib. 1. p. 94. ic. 3. ✦
C. quartus hispanicus Clusii Lob. Obs. p. 504. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 48. ic. 2. ✦

Frutex 4-6-pedalis, erectus, ramosus, ramulis striato-angulatis, teretibus, inferne glabratus, superne pubescens. Folia petiolata, exstipulata, trifoliolata: petioli tres-quinque lineas longi: foliola obovata aut elliptica, utrinque adpresse pubescentia, facie demum glabrata, obtusa nonnullave acutiuscula, singula breviter mucronulata, intermedio lateralibus majore. Pedunculi axillares, filiformes, quatuor-sex lineas longi, solitarii, bini aut terni, pubescentes, bracteola una alterave, lineari, exigua superne stipati. Calix campanulatus, pubescens, bilabiatus, labio superiore bi- inferiore tridenticulato. Corolla lutea, glabra, calice quadruplo aut quintuplo longior; vexillo obovato, retroflexo, basi macula lineisque rufescentibus notato; carina vexillum paullo superante; alis vexillo vix brevioribus. Ovarium adpresse et confertim pubescens. Stylus et stamina glabra. Legumen lineare, rectum vel arcuatum, lineas duas, duas et semis latum, quindecim, decem et octo longum, compressum, nigrescens, hexadecaspermum, villosissimum, tractu temporis glabratum. Semina matura non vidi.

In sylvis et ad sepes, in montanis.
Fl. januario, martio. ♄

261. CYTISUS ARGENTEUS

C. caulibus gracilibus, suffruticosis, decumbentibus; stipulis oppositifoliis; foliolis oblongis, acutiusculis, subtus, ramis leguminibusque adpresse sericeo-villosis, canescentibus; floribus solitariis ternisve; calicis labio superiore bipartito; corolla vix calicem superante.

Cytisus argenteus LINN. Sp. p. 1043. WILLD. Sp. 3. p. 1128. DC. Prod. 2. p. 156. DESF. Fl. atl. 2. p. 139. TENOR. Fl. nap. 2. p. 150. et Syll. p. 344. ALL.! Fl. ped. 1. p. 320. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 2. p. 28. DC. Fl. fr. 4. p. 506. LOIS. Fl. gall. 2. p. 110. CAMBESS. En. pl. balear. p. 61.
Cajanus argenteus SPR. Syst. 3. p. 248.

Ic. — Iconogr. taurin. 17. tab. 69. ic. 1.
Lotus asperior, fruticosa sive narbonensis, incana LOB. Obs. p. 500. ic. 2.✦ et Icon. 2. tab. 41. ic. 2.✦
Trifolium argentatum, floribus luteis J. BAUH. Hist. 1. p. 359. ic. 3. ⩓ CHABR. Sciagr. p. 159. ic. 6. ⩓

Caules ex eadem radice plures, decumbentes vel ascendentes, suffruticosi, ramosi, graciles. Folia petiolata, trifoliolata, foliolis sessilibus, oblongis, acutiusculis, mucronulatis. Petioli plerique folio longiores. Stipula bipartita, lanceolata, oppositifolia, amplexicaulis, persistens. Flores axillares, fere sessiles, solitarii, bini ternive, terminales, raro aliquis lateralis. Calix bilabiatus, labio superiore bipartito, partitionibus lanceolatis, inferiore trifido-dentato, dentibus lineari-lanceolatis. Bracteae tres, lineari-lanceolatae, exiguae, e pedunculo pedicellove brevissimo originem ducentes, calicis basim stipantes. Corolla lutea, calice paullo longior; vexillo extus adpresse sericeo, alis glabris longiore; carina glabra, alis breviore. Legumen lineare, acuminatum, compressum, villoso-sericeum, decem-decem et septem lineas longum, tri-heptaspermum. Semina orbiculata, compressa, laevia, helvola. — Planta sesquiuncialis, dodrantalis, adpresse sericeo-villosa et canescens, inferne glabrata, pagina foliorum superiore glabra aut versus marginem vix pilosa.

In pascuis aridis, maritimis Orosei.

Fl. aprili. ♄

XCII. ONONIS

Ononis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1173. Juss. Gen. p. 354. DC. Prod. 2. p. 158. Lmck. Ill. tab. 616. Gaertn. Fr. tab. 154. Anonis Tourn. Inst. tab. 229.

Calix campanulatus, profunde 5-fidus, laciniis linearibus. Corollae vexillum magnum, striatum. Stamina monadelpha. Legumen oligo-polyspermum, saepe turgidum, rhombeum, oblongum aut lineare, uniloculare.

SPECIES

a. *Floribus flavis aut ochroleucis, longius pedunculatis; pedunculis aristatis.*

O. ramosissima. O. viscosa.
O. biflora. O. ornithopodioides.

b. *Floribus flavis, subsessilibus aut brevius pedunculatis; pedunculis muticis.*

O. Columnae. O. variegata.
O. minutissima.

c. *Floribus albis aut purpurascentibus.*

O. alba. O. serrata.
O reclinata. O. antiquorum.

a. *Floribus flavis aut ochroleucis, longius pedunculatis; pedunculis aristatis.*

262. ONONIS RAMOSISSIMA

O. suffruticosa, viscoso-pubescens; foliis trifoliolatis, foliolis obovatis, oblongo-linearibus oblongisve, serrato-dentatis; stipulis lanceolato-acuminatis; pedunculis aristatis, unifloris, folio sublongioribus, persistentibus; corollis calicem subduplo superantibus; leguminibus teretibus.

Ononis ramosissima Desf. Fl. atl. 2. p. 142. Willd. Sp. 3. p. 1006. DC.! Prod. 2. p. 159.

De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 505. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 56. Biv. sic. Cent. 2. p. 38. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 390. DC. Fl. fr. 4. p. 513. Lois. Fl. gall. 2. p. 115.

Salzm.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC. Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Desf. Fl. atl. tab. 186.

β. *minor*, floribus minoribus, concoloribus; pedunculorum arista breviore. Ononis arenaria DC.! Cat. Hort. monsp. p. 128. Fl. fr. Suppl. p. 551. et Prod. 2. p. 159. Lois. Fl. gall. 2. p. 115.

Caulis caespitosus, basi fruticosus, cortice subfusco. Rami plurimi, alterni. Folia petiolata, alterna, pinnatim trifoliolata et in junioribus praesertim ramis aliquot nonnumquam quinquefoliolata, summa subinde unifoliolata; foliola obovata, oblonga aut oblongo-linearia, obtusa, leniter recurva, serrato-denticulata, versus basim integerrima. Petioli superne canaliculati. Stipulae amplexicaules petioloque adnatae, lanceolato-acuminatae, nervosae, integrae aut vix serratae, inferiores petiolo breviores, superiores petiolum subaequantes. Pedunculi axillares, solitarii, erecti, uniflori, raro biflori, persistentes, folio plerumque longiores, aristati; arista saepe filiformi, raro apice dilatata foliaceave, rarissime bifida: pedicellus ex pedunculo et ad basim aristae originem ducens patulus nutansve. Calix obconicus, corolla duplo circiter brevior, quinquepartitus, partitionibus lanceolato-linearibus, patulis integris aut apice, raro, uni-bi-tridentatis. Corolla flava, minor ac in *Ononide Natrice*; vexillo ovato, reflexo, saepe emarginato; alis vexillo brevioribus, carina paullo longioribus, obtusis; carina a basi ad medietatem usque fissa, pallide flava, acuminata fereque rostrata. Stamina decem, monadelpha, aequalia, apice pilosiuscula; antheris oblongis, flavis. Stylus filiformis, incurvus, stigmate simplici. Ovarium teres, pubescens. Legumen teretiusculum, rectum, lineam circiter unam crassum, quinque-septem longum, polyspermum, pendulum. Semina subreniformia, helvola, oculo armato, tenuissime tuberculata. — Planta semipedalis, bipedalis variat pube glandulifera, brevissima, nec oculo nisi armato conspicua, et villis glanduliferis longis: floribus majoribus minoribusve concoloribus aut vexillo venis longitudinalibus purpurascentibus picto; arista pedunculorum lineam unam-quinque longa; pedunculis folio paullo brevioribus aut longioribus; in nostra var. β triplo quadruplove folio longioribus. Folia utriusque varietatis contrita odorem balsamicum spirant.

In pascuis et in rupestribus maritimis: circa Caralim frequens: et in insula Tavolara. Fl. a martio ad junium. ♄

263. ONONIS BIFLORA

O. viscoso-pubescens; foliis trifoliolatis, foliolis oblongo-obovatis oblongisve, obtusis truncatisve; stipulis late ovatis oblongisve, acutis, petiolum subaequantibus; pedunculis aristatis, uni-bifloris, petiolo longioribus; corollis calicem duplo superantibus; leguminibus teretibus, stipitatis.

Ononis biflora Desf.! Fl. atl. 2. p. 143. Willd. Sp. 3. p. 1005. DC. Prod. 2. p. 160.

O. geminiflora Lag.! Gen. et Sp. p. 22. DC. Prod. 2. p. 161.

O. bicolor Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 3. p. 7.

Ic. — Tab. xxxiii.

Radix fusiformis, fibras laterales emittens. Caulis ramosus, saepe solitarius, erectus, pedalis et ultra. Folia pinnatim trifoliolata, ex inferioribus nonnulla interdum unifoliolata: foliola oblonga aut oblongo-obovata, duas-septem lineas lata, quinque-decem longa, truncata aut obtusa, serrato-dentata, versus basim integra. Stipulae late ovatae aut lineari-oblongae, acutae, integrae aut parce serratae, petiolo subaequales. Pedunculi axillares, saepe uniflori nonnullique biflori, aristati, folium aequantes aut eo plerumque paullo breviores. Arista tres-quatuor lineas longa. Calix duplo circiter corolla brevior, laciniis lanceolato-linearibus linearibusve, acuminatis. Corolla ochroleuca, septem circiter lineas longa; vexillo carinam paullo superante, subemarginato, mucronulato, dorso et interdum ad latera lineolis rubentibus picto; carina alis longiore, versus apicem constanter et pulchre purpurea. Stylus et filamenta albido-virentia, glabra: antherae flavae: stigma capitatum. Legumen teretiusculum, inflatum, nutans, breviter stipitatum, duas et semis, tres lineas crassum, unciam circiter longum, calicem triplo quadruplove superans. Semina 12-14, globoso-reniformia, tenuiter (oculo armato) tuberculata. — Planta pubescens, pube brevi, patente, apice glandulifera, glandulis rubentibus.

In arvis et ad vias Campidano di Cagliari.

Fl. martio, aprili. ①

264. ONONIS VISCOSA

O. villoso-viscosa; foliis unifoliolatis nonnullisve trifoliolatis, foliolis puberulis, elliptico-obovatis oblongisve; stipulis petiolum, pedunculis folium subaequantibus, unifloris, aristatis; corollis calice sesquilongioribus brevioribusve; leguminibus teretibus.

Ononis viscosa Linn. Sp. p. 1009. Willd. Sp. 3. p. 1005. DC.! Prod. 2. p. 160. Tenor. Fl. nap. 2. p. 137. et Syll. p. 346. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 236. Savi Bot. etr. 4. p. 9. et due Cent. Fl. etr. p. 136. DC. Fl. fr. 4. p. 513. Lois. Fl. gall. 2. p. 115.

Ic. — Anonis lutea, non viscosa, latifolia minor, flore pellucido Barr. Icon. tab. 1239. (*etsi pedunculi longe aristati*).

β. *breviflora*, corollis calice brevioribus; aristis calicem aequantibus longeve superantibus.

Ononis breviflora DC.! Prod. 2. p. 160. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 388. et Suppl. p. 223.

O. viscosa β. Linn. Sp. p. 1009. Willd. Sp. 3. p. 1005. DC. Fl. fr. 4. p. 615.

O. viscosa Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 57. et Fl. graec. 7. p. 73. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 204. All.! Fl. ped. 1. p. 318.

O. pedunculis unifloris, filo terminatis, foliis simplicibus All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. p. 98.

O. longearistata Presl Fl. sic. 1. p. xix. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 389.

Ic. — Sibth. Fl. graec. tab. 678. Iconogr. taurin. 9. tab. 13.

Radix fusiformis, flexuosa, inferne fibroso-ramosa. Caulis erectus, ramosus, palmaris, pedalis et ultra. Folia in α apud nos omnia unifoliolata; in β raro omnia unifoliolata, saepe intermedia duntaxat trifoliolata subindeve inferiora unifoliolata, caetera trifoliolata: foliola serrulato-denticulata, versus basim integra, ovalia, obovata, lineari-oblonga oblongave, intermedio majore, magnitudine vario, inter duas et novem lineas lato. Stipulae lanceolatae, nervosae, modo integrae, modo denticulatae, petiolo aequales vel paullo longiores brevioresve. Pedunculi longitudine etiam varii in eadem planta, folio paullo longiores aut breviores. Calix quatuor-septem lineas longus, partitionibus anguste lanceolato-linearibus. Corolla lutescens, in α calice sesquilongior, vexilli venis subinde pal-

lide rubentibus; in β calicem raro aequans, plerumque plus minusve brevior. Legumina oblongo-linearia, inflata, calice vix longiora aut sesquilongiora, polysperma. Semina globoso-reniformia, oculo armato, tuberculata.

Planta piloso-viscosa; pili in utraque foliorum pagina breves, apice glanduliferi; in caule pedunculis et calicibus villi articulati, longiusculi, pilis apice glanduliferis brevioribus intermixti. In varietate nostra α pedunculi nonnulli aristati, arista sesquilineam longa, caeteri omnino mutici: in varietate β omnibus, praeter corollam, partibus majore, pedunculorum aristae longiores, sed in eadem etiam planta interdum variae, aliae quatuor lineas longae, aliae unciales.

In arvis et in pascuis maritimis collinisque: var. β frequens; var. α rara. Fl. aprili, majo. ①

265. ONONIS ORNITHOPODIOIDES

O. viscoso-pubescens; foliis trifoliolatis, foliolis obovatis oblongisve; stipulis petiolo valde brevioribus; pedunculis uni-bifloris, aristatis, folio subbrevioribus; corolla calicem subaequante; leguminibus linearibus, compressis, torulosis.

Ononis ornithopodioides Linn. Sp. p. 1009. Willd. Sp. 3. p. 1005. DC.! Prod. 2. p. 160.

Desf. Fl. atl. 2. p. 148. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 58. et Fl. graec. 7. p. 73. Guss. Pl. rar. p. 293. Fl. sic. Prod. 2. p. 386. et Suppl. p. 223. Tenor. Fl. nap. 2. p. 138. et Syll. p. 347. Savi Bot. etr. 2. p. 174. Lois. Fl. gall. 2. p. 116. Duby Bot. gall. 1. p. 120. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 74. Cambess. En. pl. balear. p. 62.

Salzm.! Lag.! Pl. siccat. ex Hispan. in Herbar. DC.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 679. Cavan. Ic. 2. tab. 192.

Anonis lutea, pusilla, viscosa, Ornithopodii siliquis singularibus Bon. tab. 20.

Radix tereti-fusiformis. Caulis solitarius aut plures, palmares, dodrantales, erecti vel ascendentes, plerumque ramosi. Folia petiolata, trifoliolata, foliolis parallele conspicueque nervosis, obovatis, oblongo-cuneatis nonnullisve ex inferioribus suborbiculatis, omnibus serrulato-denticulatis, et basim versus integris, intermedio lateralibus majore. Stipulae ovato-lanceolatae, petiolo duplo triplove breviores. Pedun-

culi axillares, folio breviores, raro ei aequales, uni-biflori, aristati, arista sesquilineam, tres lineas longa. Calix corollam aequans aut vix superans, laciniis lineari-filiformibus. Corolla flava, carina vexillum fere aequante. Legumen lineare, pendulum, compressum, inter semina contractum, lineam circiter latum, sex-decem longum, 5-9-spermum. Semina ovato-reniformia, rufescentia, tuberculato-scabra. — Herba pallide virens, caulibus, pedunculis calicibusque villoso-pubescentibus, foliis pubescentibus, pube apice glandulifera.

In collibus apricis Sardiniae et insulae Tavolara.

Fl. aprili, majo. ①

b. *Floribus flavis, subsessilibus aut brevius pedunculatis; pedunculis muticis.*

266. ONONIS COLUMNAE

O. piloso-glandulosa; foliis trifoliolatis, superioribus subunifoliolatis, foliolis oblongo-obovatis obovatisve; stipulis lanceolatis, serratis, petiolo longiusculo brevioribus aequalibusve; floribus subsessilibus; calicibus corollam subaequantibus; leguminibus subrhombeis.

Ononis Columnae All.! Fl. ped. 1. p. 318. Willd. Sp. 3. p. 993. DC.! Prod. 2. p. 164. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 56. et Fl. graec. 7. p. 71. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 377. Tenor. Fl. nap. 2. p. 135. et Syll. p. 349. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 236. Savi Due Cent. Fl. etr. p. 138. et Bot. etr. 4. p. 7. Lois. Fl. gall. 2. p. 113.

O. Cherleri Herbar. Linn. non Auctor.

O. parviflora Lmck. Enc. 1. p. 510. non Thunb. Desf. Fl. atl. 2. p. 140. DC. Fl. fr. 4. p. 510.

O. subocculta Vill. Hist. pl. Delph. 3. p. 429.

O. minutissima Jacq. Fl. austr. 3. p. 23. non Linn.

O. apula Tenor. ad calc. App. sem. H. R. neap. ann. 1827. ex ejusd. Syll. l. c.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 676. Jacq. Fl. austr. tab. 240. (*etsi stipulae integrae*). All. Fl. ped. tab. 20. ic. 3. Iconogr. taurin. 14. tab. 84. ic. 2.

Ononis lutea, sylvestris, minima Column. Ecphr. tab. 301. ic. 4.

Radix crassiuscula, lignosa. Caules ex eodem caespite plures, palmares, dodrantales, simplices aut parce ramosi, basi fruticulosi, erecti vel decumbentes, foliati, inferne demum stipulis, nec foliis,

persistentibus obducti. Folia petiolata, superiora unifoliolata, caetera trifoliolata subindeve omnia trifoliolata: foliola obovata aut oblongo-obovata, eximie nervosa et argute serrata, basim versus integra. Stipulae lanceolatae, serratae, petiolum aequantes aut eo saepe plus minusve breviores. Flores fere sessiles, axillares, solitarii, dense plerumque ad ramorum summitatem spicati, rarissime remotiusculi. Calix corollam saepe aequans vel paullo superans, raro corolla vix brevior, laciniis lanceolato-acuminatis, nervosis, in fructu basi paullo latioribus et albido-scariosis. Corolla lutea, alis et carina subaequalibus, vexillo paullo brevioribus. Legumen subrhombeum, pilosum, demum glabratum nigrumque, duas lineas et semis, tres et semis longum, sesquilineam, duas lineas crassum, calicem modo aequans, modo eo vix longius aut vix brevius, tri-tetraspermum. Semina sphaerico-reniformia, helvola, oculo armato, vix punctato-tuberculata. — Planta pubescens pilis plerisque apice glanduliferis.

In pascuis collinis: rarior ac sequens.

Fl. aprili, julio. ♃

Obs. Ononis parviflora Cavan. Ic. 2. tab. 154. ic. 1. stipulis superioribus ovatis nec lanceolatis, floribus remotis nec dense spicatis, ab *Ononide Columnae* prima fronte differre videtur; sed enim in speciminibus quibusdam pedemontanis *Ononidis Columnae* All. flores remoti se praebent, in aliis stipulae praesertim superiores fere ut in icone Cavan. deprehenduntur.

267. ONONIS MINUTISSIMA

O. piloso-glandulosa glabrave; foliis palmatim trifoliolatis, superioribus subunifoliolatis, foliolis oblongo-obovatove-cuneatis; stipulis lanceolato-subulatis, integris, petiolo brevi longioribus; floribus subsessilibus; calicibus corollam subaequantibus; leguminibus subrhombeis.

Ononis minutissima Linn. Sp. p. 1007. (*excl. syn.* Columm.). Willd. Sp. 3. p. 992. DC.! Prod. 2. p. 164. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 378. et Suppl. p. 223. Savi Due Cent. Fl. etr. p. 139. et Bot. etr. 4. p. 7. (*excl. syn. et ic.* Jacq.) Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 172. All.! Fl. ped. 1. p. 317. (*excl. syn.* Jacq.) Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 1. p. 28. DC. Fl. fr. 4. p. 510. Lois. Fl. gall. 2. p. 112. Cambess. En pl. balear. p. 62.

O saxatilis Lmck. Enc. 1. p. 509.
O. barbata Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 43.

Ic. — Cavan. Ic. 2. tab. 153. Iconogr. taurin. 17. tab. 70. ic. 2.
Trifoliis affinis Anonis pusilla, glabra, fruticans Cherleri J. Bauh. Hist. 2. p. 394. ic. 1.
(Anonis lutea, montana, non spinosa, minima Barr. Ic. tab. 1107. (*etsi petioli, ratione plantae, longiusculi*).

Facies praecedentis a qua differt petiolis omnibus e stipulis vix lineae aut sesquilineae longitudinem exsertis, nullis unquam tres-quinque lineas ut in *Ononide Columnae;* foliis palmatim nec pinnatim trifoliolatis, foliolis angustioribus basique egregie cuneatis; stipulis integris et apice subulatis, petiolo longioribus, numquam multo brevioribus; calicinis laciniis longe magis superne attenuatis et productis, legumine semper longioribus; florum spica saepe brevi et subcapitata. — Planta caulibus ramulisque inferne fruticulosis, variat, apud nos, modo glaberrima, modo pilosa, pilis apice glanduliferis, brevioribus quam in *Ononide Columnae;* foliis superioribus unifoliolatis subindeve omnibus trifoliolatis; floribus plerumque fere sessilibus denseque spicatis, raro laxis et pedunculis sesquilineam longis; corollis modo calicem aequantibus, modo vix brevioribus aut vix longioribus. *Ononis minutissima* pedemontana modo glaberrima, modo piloso-glandulosa, perinde ac sardoa se praebet.
In saxosis collinis: frequens.
Fl. aprili, junio. ♃ ♄

268. ONONIS VARIEGATA

O. foliis unifoliolatis, foliolo obovato-cuneato inter stipulas ovatas, serratas subsessili; pedunculis stipulas subaequantibus; corollis calice longioribus; leguminibus ovali-oblongis.

Ononis variegata Linn. Sp. p. 1008. Willd. Sp. 3. p. 996. (*excl. syn.* Tourn.). DC.! Prod. 2. p. 164. Desf. Fl. atl. 2. p. 142. Urv. En. pl. Archip. p. 85. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 203. Biv. sic. Cent. 2. p. 38. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 376. Tenor. Fl. nap. 2. p. 135. et Syll. p. 349. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 236. Savi Bot. etr. 4. p. 8. DC. Fl. fr. 4. p. 511. Lois. Fl. gall. 2. p. 113.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.
O. aphylla Lmck. Enc. 1. p. 509. et Suppl. 1. p. 742.

Ic. — Desf. Fl. atl. 2. tab. 185. Iconogr. taurin. 30. tab. 97.
Anonis mitis marit., folio lucido, serrato Bocc. Ic. rar. plant. Sic. tab. 38. ic. 3.
A. lutea Trixaginis folio, maritima Barr. Ic. tab. 776.

Radix tereti-fusiformis, longa, inferne fibroso-ramosa. Caules ex eadem radice plures, biunciales, dodrantales, juniores saepe ascendentes, mox procumbentes, centrales interdum erecti, ramosi, villosi, villis articulatis, inferne demum glabrati. Folia unifoliolata, foliolis obovatis, crassiusculis, nitidis, nervoso-plicatis, argute serratis, basi cuneatis integrisque, inter stipulas subsessilibus, facie glabriusculis, subtus, ad nervos praecipue, pilosis, adultis glabratis. Stipulae ovatae, latiusculae, nervoso-striatae, serratae, juniores subtus puberulae, supremae interdum aphyllae. Flores axillares, solitarii, invicem saepe remotiusculi; pedunculis stipulas subaequantibus, sesquilineam, tres lineas longis. Calix pubescens, corolla paullo brevior, laciniis lanceolatis, nervosis. Corolla flava; alis et carina vexillo extus puberulo vix brevioribus. Legumen calice paullo longius, erectum, oblongum aut ellipticum, inflatum, puberulum. Semina octo-quatuordecim, globoso-reniformia, helvola aut lutescentia, laevissima nec oculo armato tenuiter punctato-tuberculata ut in plerisque congeneribus. Folia infima nonnumquam trifoliolata ex Desf. l. c. non vidi.

In arenosis maritimis: frequens.
Fl. aprili, majo. ①

c. *Floribus albis aut purpurascentibus.*

269. ONONIS ALBA

O. piloso-glandulosa; foliis unifoliolatis, foliolo oblongo, tenuiter serrato; stipulis petiolum aequantibus; floribus brevissime pedunculatis, laxiuscule racemoso-spicatis; corollis calicem paullo superantibus; leguminibus rhombeo-ovalibus.

Ononis alba Poir. Voy. en. Barb. 2. p. 210. et Enc. 1. p. 739. Willd. Sp. 3. p. 996. DC.! Prod 2. p. 163. Desf. Fl. atl. 2. p. 145.

Ic. — Tab. XXXIII. *bis*

Radix gracilis. Caules ex eadem radice unicus erectus aut plures ascendentes, palmares, pedales, simplices ramosive, patenter pilosi, pilis plerisque apice glanduliferis. Rami alterni, breves. Folia unifoliolata, foliolo oblongo, obtuso vel acutiusculo, inter stipulas sessili, tenuius serrulato quam in *Ononide monophylla* Desf. *Fl. atl. tab.* 188., quinque-septem lineas, ad maximum apud nos, lato, duodecim-sexdecim etiam longo, utrinque pilis articulatis, apice glanduliferis, piloso. Stipulae pilosae, petiolo ad apicem usque adnatae ipsumque aequantes aut paullo superantes, margine serrulatae, inferiores apice truncatae, superiores subinde acutiusculae, singulae duplo circiter minores ac in *Ononide monophylla* l. c. Flores versus caulis ramorumve summitates, duo-octo, axillares, solitarii, alterni, brevissime pedunculati, laxiuscule racemoso-spicati. Calix villosus, laciniis corolla paullo brevioribus, raro ei aequalibus, nervosis, lanceolato-linearibus moxque in calice fructifero latioribus et fere triangulo-lanceolatis. Corolla rosea (apud nos), vexillo quinque-septem lineas longo, extus puberulo: alis et carina subaequalibus, vexillo paullo brevioribus, glabris. Legumina pubescentia, rhombeo-ovalia, sesquilineam circiter lata, duas-tres longa, calice breviora, subtetrasperma. Semina rufa, ovato-subrotunda, tenuiter (oculo armato) tuberculata.

In pascuis maritimis, aridis Sardiniae orientalis circa S. Teodoro.
Fl. majo. ①

270. ONONIS RECLINATA

O. villoso-viscosa; foliis trifoliolatis, foliolis obovato-cuneatis, subtruncatis; stipulis ovatis; pedunculis muticis, unifloris, folio subaequalibus; calicibus corollam aequantibus paullove superantibus; leguminibus teretibus.

Ononis reclinata Linn. Sp. p. 1011. Willd. Sp. 3. p. 1007. DC.! Prod. 2. p. 162. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 57. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 384. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 347. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 236. DC. Fl. fr. 4. p. 512. Lois. Fl. gall. 2. p. 114. Cambess. En. pl. balear. p. 62.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Anonis trifolia, pallidis, nutantibus flosculis, maritima Barr. Ic. tab. 761.

β. *minor*, foliis angustioribus, superioribus cuneato-linearibus; floribus exiguioribus.

Ononis Cherleri Desf.! Fl. atl. 2. p. 148. non Linn. DC.! Prod. 2. p. 162. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 57. et Fl. graec. 7. p. 72. Tenor. Fl. nap. 2. in add. et em. p. 395. et Syll. p. 347. All.! Fl. ped. 1. p. 318. (*exclus. icon. Iconogr. taurin.*). DC. Fl. fr. 4. p. 512. Lois. Fl. gall. 2. p. 114.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

O. mollis Savi ! Mem. soc. ital. 9. p. 351. et Bot. etr. 4. p. 9. Lag.! Gen. et Sp. p. 22. DC.! Prod. 2. p. 162. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 385. et Suppl. p. 223.

O. trifolia, viscosa, hirsuta, pedunculis congestis, floribus pendulis All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 97.

Ic. — Sibth. Fl. graec. tab. 677. Savi l. c. tab. 8. (*etsi flores in descript. flavi*).

Radix gracilis. Caulis solitarius erectus aut plures ascendentes diffusive, ramosi. Folia trifoliolata, petiolata, superiora nonnulla interdum unifoliolata: foliola nervosa, versus apicem argute serrato-dentata, inferiora obovato-orbiculata, caetera obovata truncataque, basi cuneata, superiora sensim angustiora, in β lineari-cuneata. Stipulae ovatae, plus minusve serrato-dentatae, nervosae, petiolo valde breviores. Pedunculi axillares, uniflori, folium aequantes eodemve paullo breviores, mutici, aut raro, in var. α, bracteola lineari, perexigua, versus apicem praediti. Calicis laciniae lineari-lanceolatae, trinerviae, corollam aequantes aut paullo superantes, nonnullae apice interdum in α dilatatae atque dentatae. Corollae vexillum plus minusve purpurascens, carina vix longius; alae et carina aequales, albidae. Genitalia glabra. Stigma capitatum. Legumina polysperma, reclinata, teretia, tres-quinque lineas longa, calice paullo longiora, raro ei fere aequalia. Semina ovato-reniformia, tuberculata, helvola aut fuscescentia. — Herba biuncialis, dodrantalis, patenter villosa, pilis inaequalibus, plerisque apice glanduliferis; foliis adultis fere glabratis.

In apricis frequens: var. β in aridis sterilibusve.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Ononidem Cherleri Auct. non Linn. ab *Ononide reclinata* Linn. specifice haud discriminare videntur neque foliola angustiora, neque flores exiguiores aut racemus densior aliique characteres: singuli enim admodum variant atque specimina occurrunt quae ad alterutram aequo jure spectare queunt.

271. ONONIS SERRATA

O. viscoso-pubescens; foliis trifoliolatis, floralibus supremis unifoliolatis; foliolis oblongo-obovatis obovatisve, superioribus lineari-cuneatis; floribus subsessilibus, racemoso-spicatis; corollis calice longioribus; leguminibus rhombeo-ovalibus.

Ononis serrata Forsk. Fl. aegypt. p. LXX. et Descript. p. 130. Vahl Symb. 1. p. 52. Willd. Sp. 3. p. 991. DC.! Prod. 2. p. 163. Delil.! Fl. aegypt. Ill. p. 98. Urv.! En. pl. archip. p. 85.

Salzm.! Pl. siccat. e Marocco. Ph. Thomas! Requien! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

O. diffusa Tenor.! Fl. neap. Prod. p. 41. et Syll. p. 348. DC.! Prod. 2. p. 163. Spr. Syst. veg. 3. p. 178. Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 15. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 381. et Suppl. p. 223. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 18.

O. Denhartii Tenor. Adnot. ad Ind. sem. H. R. neap. (1825.) in notis et Fl. neap. Syll. p. 348.

O. litoralis Spr. Syst. veg. 4. (cur. post.) p. 346.

Ic. — Tenor. Fl. neap. tab. 169.

Radix longiuscula, inferne fibroso-ramosa. Caulis vel unicus, e basi ramosus, vel plures, erectiusculi aut diffusi seu medio interdum erecto, lateralibus ascendentibus aut decumbentibus. Folia petiolata, trifoliolata, floralia superiora unifoliolata: foliola argute serrulata, versus basim integerrima, obovata aut oblongo-obovata, inferiora interdum fere orbiculata, superiora angustiora et lineari-cuneata. Stipulae nervosae, subintegrae aut serrato-dentatae, petiolo duplo triplove breviores, inferiores lanceolatae, superiores ovato-lanceolatae aut ovato-acutae. Flores versus caulis ramorumque summitatem axillares, alterni, brevissime pedunculati subindeve supremi sessiles, racemo demum producto, modo laxo, modo densiusculo. Calix pedunculis multo longior, corolla brevior, laciniis lanceolato-acuminatis, in fructu latioribus et fere oblongo- aut triangulo-lanceolatis. Corolla rosea aut purpurascens, alis et carina vexillo paullo brevioribus. Legumina breviter puberula, rhombeo-elliptica, tres-quatuor lineas longa, duas circiter lata, tri-heptasperma, erecta, calicem aequantia aut eo paullo longiora. Semina subrotunda, fusca, tenuiter (oculo

armato) tuberculata. — Planta semipedalis, sesquipedalis, viscoso-pubescens, pilis plerisque apice glanduliferis, caule ramisque unifariam subinde villosis, foliis plus minusve pubescentibus, aetate demum glabratis.

In litoreis maritimis Cagliari, Carbonara, Porto-scuso, insulae S. Pietro. Fl. majo, junio. ①

272. ONONIS ANTIQUORUM

O. puberulo-glandulosa; caulibus ascendentibus erectisve ramisque spinosis unifariam alterneque villoso-pubescentibus; foliis uni-trifoliolatis, foliolis oblongo-cuneatis; floribus solitariis, breviter pedunculatis, foliolo longioribus; leguminibus rhombeo-ellipticis.

Ononis antiquorum Linn. Sp. p. 1006. Willd. Sp. 3. p. 988. Savi Bot. etr. 4. p. 6. DC. Fl. fr. 4. p. 509. Lois. Fl. gall. 2. p. 111.

O. spinosa Wallr. Sched. crit. p. 379. DC.! Prod. 2. p. 163. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 382.? All.! Fl. ped. 1. p. 316.

Ic. — Ononis arvensis Engl. bot. 10. tab. 682. O. spinosa Iconogr. taurin. 30. tab. 8.

O. aut Anonis, Aegipytos Cratevae Lob. Obs. p. 492. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 28. ic. 1. ✦

Anonis Dod. Pempt. p. 743. ic. ✦

Ononis 1. Tabern. Kraut (ed. 1664.) 2. p. 913. ic. 1.

Radix lignosa, longa. Caules teretiusculi, erecti aut ascendentes ramique spinosi, pube brevissima, apice glandulifera puberuli atque linea villoso-pubescente notati, postice a spina quaque superiore ad proxime inferioris cujusque axillam decurrente. Ramuli aut spinae, pleraeque geminae, juxta caulem ramosque alternae, foliatae floriferaeque. Folia ad basim ramulorum spinarumve, inferiora saltem trifoliolata, caetera unifoliolata. Petioli e stipulis breviter aut neutiquam exserti. Foliola oblongo-cuneata, brevissime glanduloso-puberula, virentia, nervosa, acutiuscula aut obtusa, serrata, basi integra, adulta glabrata. Flores rosei aut purpurascentes, modo unus, modo duo aut plures, ad latera ramulorum spinarumve subindeque terminales, omnes axillares, alterni, solitarii, breviter pedunculati foliumque plus minusve superantes. Calix glanduloso-puberulus,

laciniis lineari-lanceolatis, nervosis, corolla brevioribus. Corollae vexillum extus puberulo-glandulosum, carina glabra longius. Alae glabrae, carina paullo breviores. Legumen rhombeo-ellipticum, pubescens, di-trispermum, calicem aequans aut vix superans. Semina tuberculata.

Ad margines agrorum et in pascuis aridis.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Bulimacola. Arresta bue.*

Vern. m. *Ajùcca.*

Ononis Antiquorum perinde ac *Ononis arvensis*, diuretica habetur: radicis cortex caeteris plantae partibus efficacior est.

XCIII. ANTHYLLIS

Anthyllis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1174. Juss. Gen. p. 355. DC. Mem. Legum. p. 226. et Prod. 2. p. 168. Lmck. Ill. tab. 615. Gaertn. Fr. tab. 145. Erinacea, Anthyllis et Barba Jovis Tourn. Inst. tab. 211. et 419.

Calix tubulosus, inaequaliter 5-dentatus, post anthesim auctus aut inflato-vesicarius. Stamina mono-diadelpha. Legumen calice tectum aut semitectum, semiovale aut lineari-oblongum, uniloculare seu transverse bi-pluriloculare, mono-polyspermum.

273. ANTHYLLIS HERMANNIAE

A. fruticosa, ramosissima; ramis spinescentibus, junioribus pubescentibus; foliis subsessilibus, uni-trifoliolatis, foliolis lineari-oblongis, basi attenuatis, subtus adpresse pubescentibus; floribus axillaribus, fasciculato-capitatis solitariisve; legumine monospermo, semielliptico, utrinque attenuato, calicem paullo superante.

Anthyllis Hermanniae Linn. Sp. p. 1014. Willd. Sp. 3. p. 1020. DC.! Prod. 2. p. 169. Viv. Fl. cors. Diagn. p. 13. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 5. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 60. et Fl. graec. 7. p. 76. Urv. En. pl. archip. p. 86. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 393. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 349. DC. Fl. fr. 4. p. 518. Lois. Fl. gall. 2. p. 117.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Cytisus graecus Linn. Sp. p. 1043. Willd. Sp. 3. p. 1128.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 683. Iconogr. taurin. 39. tab. 12.

Fruticulus dodrantalis, bipedalis, ramosissimus, cortice fusco, ramis alternis, erectis aut ascendentibus, apice spinescentibus, ramulis junioribus adpresse pubescentibus, canescentibus. Folia juxta ramulos disposita, unifoliolata nonnullaque trifoliolata, solitaria et in junioribus ramulis fere fasciculata; petiolis brevissimis, dilatatis, persistentibus: foliola lineari-oblonga lineam unam aut unam cum dimidio lata, pallide virentia, plerumque obtusa, facie puberula aut glabra, subtus adpresse pubescentia et interdum canescentia, inferiora aliquot nonnumquam oblongo-obovata, superiora sensim angustiora, omnia versus basim attenuata. Flores juxta ramulos juniores, axillares, solitarii et duo-sex fasciculato-capitati, pedicellis calice brevioribus. Calix membranaceus, adpresse pubescens, quinquedentatus. Corolla lutea, calice fere duplo longior; vexillo alis obtusis paullo longiore; carina alis vix breviore. Legumen semiellipticum et utrinque attenuatum, glabrum, lineam circiter latum, duas et semis, tres longum, calicem paullo superans. Semen solitarium, ellipticum, laeve, helvolum aut olivaceum.

Inter rupium fissuras Dorgali.

Fl. majo. ♄

274. ANTHYLLIS GERARDI

A. herbacea, diffusa; foliis pinnatis, foliolis lineari-spathulatis, mucronulatis; capitulis pedunculatis, nudis; calicibus legumen semiovatum, monospermum subaequantibus.

Anthyllis Gerardi Linn. Mant. p. 100. Willd. Sp. 3. p. 1016. DC.! Prod. 2. p. 169. Viv. Fl. cors. Diagn. p. 13. DC. Fl. fr. 4. p. 517. Lois. Fl. gall. 2. p. 116.

Ph. Thomas! Clarion! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Dorycnium procumbens Lapeyr. Hist. pl. Pyren. p. 441. Spr. Syst. veg. 3. p. 205.

Ic. — Anthyllis herbacea; foliis pinnatis, inaequalibus; pedunculis axillaribus folio longioribus; capitulis nudis Gerard Fl. gallo-prov. p. 490. tab. 18.

Radix lignosa, ramosa. Cauliculi e communi caespite lignoso, brevi, interdum ramoso, plurimi, dodrantales, bipedales et ultra, herbacei, graciles, virgati, simplices aut plerumque ramosi, ascendentes aut

decumbentes, glabri subindeve versus apicem adpresse pubescentes. Folia alterna, impari-pinnata, sessilia aut fere sessilia, foliolis breviter petiolulatis, alternis oppositisque, dimidiam lineam aut lineam latis, lineari-spathulatis, obtusis truncatisve aut acutiusculis, mucronulatis, facie glabris aut glabriusculis, subtus adpresse pubescentibus, in inferioribus foliis numero quinque-novem, in superioribus tribus-quinque. Stipulae e foliorum rachidis basi utrinque originem ducentes, filiformes, lineam circiter longae, cito deciduae, Pedunculi axillares et terminales, capitulum gerentes 10-25-florum, nudum, hemisphaericum. Flores exigui, rosei, breviter pedicellati. Calix adpresse pubescens, tubuloso-campanulatus, subbilabiatus, quinquedentatus. Corollae vexillum alis et carina paullo longius. Staminum filamenta (nulla apice incrassata) novem in fasciculum fere ad apicem usque connata, decimum basi caeteris coalitum, mox liberum. Stigma capitatum. Legumen semiovatum aut semiorbiculatum, coriaceum, glabrum, subreticulatum, monospermum, sessile, lineam circiter longum calicemque subaequans.

In pascuis submaritimis Uras et Perdas de Fogu, nec non in montanis Barbargie et Sette fratelli: usque ad 900 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, junio. ♃

Obs. Ad *Anthyllidem Gerardi* recte animadvertente clarissimo VIVIANIO l. c., spectare videtur *Anthyllis onobrychioides* CAVAN. Ic. 2. p. 40. tab. 150. quae quidem ab illa non differt nisi staminibus quae in icone citata ad apicem usque in fasciculum unicum coalita picta sunt, praeterea corolla quae a CAVAN. lutea dicitur: corolla autem apud nos rosea, postmodum lutea in planta siccata apparet. Capituli multiflori aut pauciflori characterem certe haud praebent quo *Anthyllis Gerardi* ab *Anthyllide onobrychioide* sejungatur.

275. ANTHYLLIS VULNERARIA

A. herbacea, decumbens erectave; foliis radicalibus subsimplicibus, caeteris pinnatis, foliolis inaequalibus; capitulis geminatis, bracteatis; calicibus oblique bilabiatis; leguminibus semiorbiculatis, monospermis, stipitatis, calice vesicario inclusis.

Anthyllis Vulneraria LINN. Sp. p. 1012. WILLD. Sp. 3: p. 1013. DC. Prod. 2. p. 170. ZERAPH. Fl. melit. Thes. 1. p. 5. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2.

p. 59. Tenor. Fl. nap. 2. p. 139. et Syll. p. 349. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 237. Savi Fl. pis. 2. p. 204. et Bot. etr. 3. p. 155. All.! Fl. ped. 1. p. 312. DC. Fl. fr. 4. p. 516. Lois. Fl. gall. 2. p. 116.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Vulneraria rustica Lmck. Fl. fr. 2. p. 649.

V. heterophylla Moench. Meth. p. 146. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 394. et Suppl. p. 224.

Ic. — Engl. bot. 2. tab. 104. Fl. dan. tab. 988.

Anthyllis Riv. Tetr. irr. tab. 18. ic. 1.

A. leguminosa belgarum Lob. Obs. p. 530. ic. 1. ✦ (*mala*).

A. lenti similis Dod. Pempt. p. 552. ic. 1. ✦

A. leguminosa, lutea, italica Barr. Ic. tab.* 575.

Vulneraria rustica J. Bauh. Hist. 2. p. 362. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 167. ic. 4. ⁂

Loto affinis Anthyllis leguminosa belgarum Moris. Hist. sect. 2. tab. 17. ic. 1. 2. 3. ⁂

* *rubriflora*.

Anthyllis Vulneraria *rubriflora* Cambess. En. pl. balear. p. 62. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 42. Desf. Fl. atl. 2. p. 51.

Ic. — Vulneraria supina flore coccineo Dill. Hort. Elth. 2. p. 413. tab. 320.

** *albiflora*, flore albido, carina apice rubella.

Radix lignosa, saepe caespitosa. Caules palmares, sesquipedales, herbacei, simplices aut parce ramosi, decumbentes erective pilis adpressis aut patulis pubescentes. Folia radicalia subindeve caulina inferiora longe petiolata, subsimplicia, caetera pinnata sensimque minora, foliolis utrinque tribus-septem, pallide virentibus, lineari-lanceolatis oblongisve, integris, inaequalibus, remotiusculis, facie glabris, subtus adpresse pubescentibus, terminali majore. Capitula densiflora ad caulium summitatem subindeque ad latera, brevissime pedunculata aut sessilia, geminata, utrumque basi bracteatum, bractea sessili, adpressa, palmatim divisa in lacinias quinque-septem divergentes, lineari-lanceolatas. Flores subsessiles. Calix oblique truncatus, bilabiatus, labio superiore majore et longiore bidentato, inferiore tridentato, dentibus exiguis. Corolla calice paullo longior, colore varia, alis et carina subaequalibus, vexillo paullo brevioribus, omnibus anguste longeque unguiculatis, limbo brevi. Stamina monadelpha. Legumen calice vesicario inclusum, glabrum, compressum, vix reticulatum, semiorbiculatum, duas circiter lineas longum,

sesquilineam fere latum, basi pedicellatum, pedicello filiformi, apice in brevissimum acumen abiens. Semen solitarium, elliptico-reniforme, vix compressum, laeve. — Tota planta pubescentia majore minoreve varians.

Ad vias et in pascuis maritimis montanisque; var. β vulgatior.
Fl. aprili, junio. ♃

276. ANTHYLLIS TETRAPHYLLA

A. herbacea, procumbens; foliis pinnatis, foliolo terminali maximo; capitulis axillaribus, paucifloris, subsessilibus; staminibus diadelphis; leguminibus transverse bilocularibus, dispermis, stipitatis, calice vesicario inclusis.

Anthyllis tetraphylla Linn. Sp. p. 1012. Willd. Sp. 3. p. 1013. DC. Prod. 2. p. 171. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 58. et Fl. graec. 7. p. 75. Tenor. Fl. nap. 2. p. 139. et Syll. p. 350. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 337. Savi Fl. pis. 2. p. 203. et Bot. etr. 3. p. 154. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 391. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 28. All.! Fl. ped. 1. p. 312. DC. Fl. fr. 4. p. 515. Lois. Fl. gall. 2. p. 116. Cambess. En. pl. balear. p. 62.

Brouss. Pl. siccat. e Teneriffa in Herbar. DC.

Anthyllis herbacea, foliis quaterno-pinnatis; floribus lateralibus Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 205.

Vulneraria vesicaria Lmck. Fl. fr. 2. p. 650.

V. tetraphylla Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 395. et Suppl. p. 224.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 681. Iconogr. taurin. 14. tab. 76. et 101. Gaertn. Fr. 2. tab. 145. (*calicinis dentibus quatuor*).

Anthyllis hispanica Riv. Tetr. irr. tab. 18. ic. 2.

A. leguminosa, vesicaria, lutea Barr. Ic. tab. 554.

Radix longa, inferne fibroso-ramosa. Caulis ex eadem radice plures, palmares, pedales et ultra, parce ramosi, plerumque vero simplices, teretes, striati, procumbentes aut decumbentes. Folia pinnata, foliolis obovatis subindeve ovalibus, inaequalibus, basi saepe cuneatis, lateralibus duobus-quatuor, juxta rachidem decurrentibus, plerumque alternis, terminali valde majore. Stipulae nullae. Florum capitula axillaria, sessilia aut brevissime pedunculata, bi-septemflora. Calix inflatus, brevissime pedicellatus, apice quinquedentatus, den-

tibus anguste lanceolato-linearibus, aequalibus, fructifer vesiculosus. Corolla calicem paullo superans; vexillo alis et carina longiore, albido, emarginato, extus pubescente, striis longitudinalibus roseis picto; carina apice purpurea, alis luteolis vix breviore. Stamina diadelpha. Legumen calice vesicario inclusum, pedicellatum, oblongum, cum brevi acumine, lineam circiter crassum, tres longum, pubescens, medio coarctatum dissepimentoque transverso biloculare. Pedicellum leguminis filiforme. Semina in quoque loculo solitaria, ovato-orbiculata, paullulum compressa, rubro-fusca, tuberculis exiguis dense notata. — Tota planta pubescens.

In collibus et in campis.

Fl. aprili, majo. ①

XCIV. MEDICAGO

Medicago Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1214. Juss. Gen. p. 356. DC. Prod. 2. p. 171. Lmck. Ill. tab. 612. Gaertn. Fr. tab. 155. Medica et Medicago Tourn. Inst. tab. 231. Medicago et Hymenocarpus Savi Fl. pis. 2. p. 173. et 205.

Calix tubuloso-campanulatus, 5-dentatus 5-fidusve. Stamina diadelpha. Legumen spirali-reniforme, falcatum aut cochleatum, calice longe majus. Semina saepissime reniformia.

SPECIES

a. *Leguminibus spirali-reniformibus, crassiusculis, exiguis, monospermis.*

Medicago lupulina.

b. *Leguminibus spirali-reniformibus, membranaceis, amplis.*

M. circinnata.

c. *Leguminibus cochleatis, majusculis; spiris membranaceis, planis aut concavo-concentricis, margine integerrimis.*

M. arborea. M. scutellata.
M. orbicularis.

d. *Leguminibus laxe cochleatis, compressis vel utrinque planis; spiris crassiusculis, margine attenuatis, integris, rugulosis vel obsolete spinulosis.*

M. sativa. M. Helix.
M. elegans.

e. *Leguminibus arcte cochleatis, cylindricis, ovalibus globosisve; spiris crassis, neutiquam aut minus valide reticulatis, demum appressis aut subconcretis, margine incrassatis, inermibus, tuberculosis aculeatisve.*

* *Leguminibus utrinque planis.*

M. litoralis. M. tribuloides.

** *Leguminibus utrinque aut apice convexis.*

M. Gerardi. M. turbinata.
M. marina. M. sphaerocarpa.
M. tuberculata.

f. *Leguminibus laxe cochleatis, cylindraceis, ovalibus globosisve; spiris membranaceis, valide reticulatis, margine arcte tuberculatis spinosisve; spinis tenuiter subulatis tuberculisque utrinque saepe canaliculatis.*

* *Leguminibus utrinque planis.*

M. denticulata. M. maculata.
M. praecox.

** *Leguminibus ovalibus globosisve.*

M. minima. M. Echinus.
M. ciliaris.

a. *Leguminibus spirali-reniformibus, crassiusculis, exiguis, monospermis.*

277. MEDICAGO LUPULINA

M. pubescens; foliis trifoliolatis; stipulis integris basive dentatis; racemis densis, spicaeformibus; leguminibus reniformibus, arcuatim reticulatis, pilosis, monospermis.

Medicago lupulina Linn. Sp. p. 1097. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 110. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 226. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 552. et Suppl. p. 237. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 381. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 259. Savi Bot. etr. 4. p. 62. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. All.! Fl. ped. 1. p. 314. DC. Fl. fr. 4. p. 541. Lois. Fl. gall. 2. p. 130. Cambess. En. pl. balear. p. 63.

Trifolium lupulinum Savi Fl. pis. 2. p. 171.

Ic. — Engl. bot. 14. tab. 971. Fl. dan. tab. 992. Iconogr. taurin. 6. tab. 59.

Melilotus minima Riv. Tetr. irr. tab. 8.

M. minor Trag. Hist. p. 593. ic. ✦

M. lutea, minima, hirsuta, procumbens; spica breviore; semine renali, nigro, densissime disposito MORIS. Hist. sect. 2. tab. 16. ic. 8. ✦

Trifolium pratense, luteum FUCHS. Hist. tab. 819. ic. ✦

T. pratense, luteum, mas; flore minore; semine multo J. BAUH. Hist. 2. p. 380. ic. 4. ✦ CHABR. Sciagr. p. 164. ic. 1. ✦

T. agrarium DOD. Pempt. p. 576. ic. 2. ✦

β. *canescens.*

Medicago Willdenowii MÉRAT! Fl. paris. (ed. 1.) p. 296. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 553.?

Melilotus Willdenowii MÉRAT Fl. paris. (ed. 2.) 2. p. 456.

Radix longiuscula, simplex vel ramosa caespitosave, inferne fibrosa. Caules semipedales, sesquipedales, ex eadem radice plures, simplices aut plerumque ramosi, angulati, pubescentes, procumbentes vel ascendentes. Folia trifoliolata, superiora sensim brevius petiolata: foliola obovato-cuneata, antice denticulata, mucronulata, et subinde emarginata, glabriuscula aut pubescentia, in β canescentia. Stipulae lanceolatae, variant in eadem etiam planta integrae et dentatae. Pedunculi filiformes, folio multo longiores, racemo spicaeformi, denso, multifloro, ovato, mox oblongo terminati. Flores exigui, flavi, brevissime pedicellati, pedicellis bracteola perexigua, lineari-acuta basi stipatis. Calix pubescens, laciniis subulatis alas et carinam vexillo breviores subaequantibus. Legumina exigua, compressa, lineam longa, reniformia, pilosa, pilis apice glanduliferis, nervis concentricis reticulata, monosperma. Semina reniformia, laevia.

In pascuis et secus vias Cagliari, Sassari. Var. β in apricis collinis circa Cuglieri. Fl. aprili, majo. ②

Obs. Medicaginem Willdenowii GUSS. dubitanter citavi, quia in nostra calycinae laciniae alas et carinam aequant subindeve vix superant, nec iis duplo breviores sunt ut in planta clarissimi GUSSONE.

b. *Leguminibus spirali-reniformibus, membranaceis, amplis.*

278. MEDICAGO CIRCINNATA

M. villosa; foliis exstipulatis, pinnatis, foliolis integris, terminali magno; pedunculis tri-quadrifloris; leguminibus membranaceis, reniformibus, dispermis, utrinque planiusculis, pilosis, margine dentatis.

Medicago circinnata Linn. Sp. p. 1096. Willd. Sp. 3. p. 1404. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 171. Desf. Fl. atl. 2. p. 209. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 52. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 101. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 110. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 226. Urv. En. pl. archip. p. 97. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 554. et Suppl. p. 237. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 381. Savi Bot. etr. 4. p. 61. All.! Auct. ad Fl. ped. p. 21. DC. Fl. fr. 4. p. 542. Lois. Fl. gall. 2. p. 129.

Medicago leguminibus reniformibus, margine dentatis; foliis pinnatis Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 213.

Hymenocarpos circinnata Savi Fl. pis. 2. p. 205.

Ic. — Tab. xxxiv. Iconogr. taurin. 16. tab. 72. ic. 3.

Falcata folio Anthyllidis Riv. Tetr. irr. tab. 87.

Anthyllis lunaria, flore luteo ital. Barr. Ic. tab. 576.

Auricula muris J. Bauh. Hist. 2. p. 387. ic. 1. ✦ Chabr. Sciagr. p. 167. ic. 3. ✦

Loto affinis Anthyllis leguminosa marina, boetica Moris. Hist. 2. sect. 2. tab. 17. ic. 6. (*foliis plerisque longe petiolatis , mala*).

Caules ex eadem radice plures, semipedales, bipedales, decumbentes aut procumbentes, simplices ramosive. Folia sessilia, bi-quadrijuga, foliolis crassiusculis, integerrimis, mucronulatis, lateralibus ovalibus oblongisve minoribus (extimis tamen paullo majoribus ac internis), terminali in foliis praecipue inferioribus longe majore, ovali, oblongo aut oblongo-obovato. Stipulae nullae. Pedunculi folium aequantes aut plerumque longiores. Flores ad apicem pedunculorum tres-quatuor, brevissime pedicellati; foliolum solitarium, ovale aut oblongum, ubi pedunculi apice in pedicellos abeunt. Calix quinquefidus, laciniis lanceolato-linearibus. Corolla glabra, flava, vexillo alis et carina paullo longiore. Legumen reniforme, membranaceum, utrinque planiusculum, vix nervoso-reticulatum, pubescens, margine dentatum, dentibus bifidis ramosisque, biloculare, loculis monospermis. Semina reniformia, laevia, helvola. — Tota planta molliter villosa.

Ad. margines agrorum et in arvis Campidano di Cagliari.

Fl. aprili, majo. ①

c. *Leguminibus cochleatis, majusculis; spiris membranaceis, planis aut concavo-concentricis, margine integerrimis.*

+ MEDICAGO ARBOREA

M. caule fruticoso; foliolis apice denticulatis integrisve, subtus ramulisque sericeo-pubescentibus; stipulis lanceolatis, subintegris; pedunculis multifloris; leguminibus membranaceis, utrinque planis, reticulatis, puberulis, in spiram unicam convolutis.

Medicago arborea Linn. Sp. p. 1096. Willd. Sp. *3. p. 1403. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 173.

Ic. — Tab. xxxv.

Cytisus Math. Valgr. p. 1164. ic.

C. Maranthae et Math. Lob. Obs. p. 503. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 46. ic. 2. ✦ Dod. Pempt. p. 569. ic. ✦

C. siliqua incurva; folio candicante J. Bauh. Hist. 1. (lib. xi.) p. 367. 368. ic. ✦ Chabr. Sciagr. p. 78. ic. 3. ✦ (*legumina, ut in praecedentibus iconibus, falcata qualia se praebent juniora, nec in spiram convoluta uti sunt adulta*).

Colitur: praesertim circa Orri. ♄

Medicago arborea frutex speciosissimus, *Cytisus* Virgilii Varronis et Columellae fuisse traditur: ejus folia ramique teneri optimum pabulum praebent. E Sicilia in Sardiniam intulere viri de re agraria sardoa optime meriti quibus grati animi testimonium debeo, Marchio Stephanus Manca a Tiesi Villahermosa et S. Cruce et Efisius Muscas Canonicus atque Protonotarius apostolicus.

279. MEDICAGO ORBICULARIS

M. glabriuscula; stipulis pectinatim fimbriatis; pedunculis unibifloris; leguminibus laxe cochleatis, utrinque convexiusculis planisve, spiris 2-5, membranaceis, radiatim nervuloso-reticulatis; seminibus subovatis, verruculosis.

Medicago orbicularis All.! Fl. ped. 1. p. 314. Willd. Sp. 3. p. 1407. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 174. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 101. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 52. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 111. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 558. et Suppl. p. 237. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 374. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 260. DC. Fl. fr. 4. p. 342. Lois. Fl. gall. 2. p. 130. Cambess. En. pl. balear. p. 63.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

M. polymorpha α. orbicularis LINN. Sp. p. 1097. DESF. Fl. atl. 2. p. 210. SAVI Fl. pis. 2. p. 173.
Ic. — Tab. XXXVII.
Medicago orbiculata GAERTN. Fr. 2. tab. 155. ⁂ LMCK. Ill. tab. 612. ic. 6. ⁂
Cochleata fructu orbiculato RIV. Tetr. irr. tab. 87. ic. 1.
Medica cochleata altera, major, dicarpos; capsula compressa, orbiculata, nigra, laevi, sine oris crispis MORIS. Hist. 2. sect. 2. p. 152. tab. 15. ic. 2.
M. orbiculata J. BAUH. Hist. 2. p. 384. ic. 2. ✦ CHABR. Sciagr. p. 366. ic. 1. ✦
* *marginata*, leguminum margine latiore, subundulato.
Medicago marginata WILLD. En. pl. H. Berol. 2. p. 802. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 174. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 381.
Ic. — Iconogr. taurin. 35. tab. 35.
Medica major, dicarpos; capsula compressa, orbiculata, nigra, plana, oris crispis MORIS. Hist. l. c. ic. 1.

Caules diffusi, glabri, versus apicem pilosiusculi. Foliola obovata vel obcordata, versus apicem denticulata, basi cuneata, variant utrinque glabra aut paginae inferioris nervo medio, vel altera parte, dextera sinistrave adpresse pilosa. Pedunculi aristati, folio paullo breviores. Legumina cochleata, orbiculata, glabra, diametro quinque-septem linearum, margine tenui. Semina ovata aut triangulo-ovata, flavescentia aut helvola, demum rufescentia, (oculo armato) verruculosa.

In arvis.

Fl. aprili, majo. ①

280. MEDICAGO SCUTELLATA

M. pubescens; stipulis dentatis; pedunculis uni-trifloris; leguminibus globoso-depressis; spiris 5-6, membranaceis, concavo-concentricis, oblique nervoso-reticulatis.

Medicago scutellata ALL.! Fl. ped. 1. p. 315. WILLD. Sp. 3. p. 1408. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 175. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 111. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 555. et Suppl. p. 237. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 381. DC. Fl. fr. 4. p. 543. LOIS. Fl. gall. 2. p. 131. CAMBESS. En. pl. balear. p. 63.
M. polymorpha β. *scutellata* LINN. Sp. p. 1097. DESF. Fl. atl. 2. p. 211.

Ic. — Tab. XXXVI. GAERTN. Fr. 2. tab. 155. ic. ⁂ LMCK. Ill. tab. 612. ic. 7. ⁂ Iconogr. taurin. 14. tab. 78. et 35. tab. 38.

Cochleata fructu scutellato Riv. Tetr. irr. tab. 87. ic. 2. et Cochleata tab. 88. ic. 2.
Trifolium cochleatum primum Dod. Pempt. p. 575. ic. 1.
Medica scutellata J. Bauh. Hist. 2. p. 384. ic. 1. ✢ Chabr. Sciagr. p. 165. ic. 6. ✢ (*leguminibus ut in sequente icone haud satis depressis*).
M. cochleata major, dicarpos; capsula rotunda, globosa, scutellata Moris. Hist. 2. p. 152. sect. 2. tab. 15. ic. 3.

Caules erectiusculi, ascendentes diffusive, pubescentes. Foliola serrato-dentata, inferiora obovata, superiora ovalia aut oblongo-obovata, facie glabra, subtus adpresse pubescentia, pilis plerisque, ut in caule, apice glanduliferis. Stipulae ovato-lanceolatae, dentatae vel inciso-dentatae, praesertim superiores. Pedunculi folio breviores, aristati. Legumina quinque-septem lineas crassa, spiris oblique reticulatis margineque pilis brevissimis, apice glanduliferis plus minusve ciliolatis. Semina reniformia, altera extremitate magis incurva, sesquilineam circiter crassa, lineas duas et paullo ultra longa, laevia, demum purpurea.

In arvis et in pascuis.
Fl. aprili, majo. ①

d. *Leguminibus laxe cochleatis, compressis vel utrinque planis; spiris crassiusculis, margine attenuatis, integris, rugulosis vel obsolete spinulosis.*

✢ MEDICAGO SATIVA

M. erecta ascendensve; foliolis oblongo-cuneatis, apice serrulato-dentatis, obtusis truncatisve; stipulis lanceolato-acuminatis, subintegerrimis; floribus racemosis; leguminibus laxe cochleatis; spiris 1-4, adpresse puberulis, utrinque planiusculis.

Medicago sativa Linn. Sp. p. 1096. Willd. Sp. 3. p. 1404. Sering. in DC. Prod. 2. p. 173.

Ic. — Engl. bot. 25. tab. 1749. Iconogr. taurin. 6. tab. 76.
Medica major, erectior, floribus purpurascentibus J. Bauh. Hist. 2. p. 382. 383. ic. 1. ⁂
Medica Chabr. Sciagr. p. 165. ic. 3. ⁂
(*Huc allatae ab Auctoribus icones* Medica legitima Clus. Hist. 2. p. 142. ic. 2. ✢

Medica Dod. Pempt. p. 576. ic. 1. ✦ Foenum burgundiacum Lob. Obs. p. 498. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 36. ic. 2. ✦ Medica falcata sativa etc., flore violacco Moris. Hist. sect. 2. tab. 16. ic. 2. *ob foliola ovato-acuta nec basi cuneata a nostra planta differunt.*)

Radix fusiformis, caespitosa. Caules pedales, tripedales, erecti vel ascendentes, simplices ramosive, glabri aut puberuli. Foliola oblonga, basi cuneata, facie glabra, subtus plus minusve puberula, apice obtusa aut truncata, mucronulata, serrulato-dentata. Stipulae lanceolato-acuminatae, integerrimae subindeve basi dentatae. Pedunculi axillares, folio longiores, apice racemiferi. Flores coerulei aut coeruleo-lutescentes, breviter pedicellati, pedicellis bractea lineari-subulata, basi stipatis. Calix puberulus, laciniis lanceolato-subulatis. Legumina laxe cochleata, utrinque plana spiris demum crassiusculis, 1, 2, 3, raro 4, leviter reticulatis, margine glabris aut glabriusculis, utraque facie puberulis, pilis neque articulatis, neque glanduliferis, ut in affini *Medicagine glutinosa* M. B., *Medicagine glomerata* Balb. Semina laevia, reniformia nonnullave irregulariter reniformia.

In incultis et in arvis, spontanea etsi rara: num indigena?

Fl. majo, julio. ♃

Ital. *Erba medica. Medica. Fieno d'Ungheria. Cedrangola. Erba Spagna.*

Species ex Veteribus originis exoticae. In Graeciam, ait Plinius, a Medis advecta per bella Persarum quae Darius attulit: pratis conficiendis admodum idonea est et armentis grata: caeterum utpote valde flatulenta graminaceis, recens saepe conjungenda.

281. MEDICAGO ELEGANS

M. puberula; stipulis dentatis; pedunculis uni-quadrifloris; leguminibus puberulo-glandulosis, utrinque compressis; spiris 2-4, radiatim reticulato-nervosis, nervis ad marginem crassioribus.

Medicago elegans Jacq. Willd. Sp. 3. p. 1408. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 559. et Suppl. p. 237. Lois. Fl. gall. 2. p. 131.

M. rugosa Desr. in Lmck. Enc. 3. p. 632. non Urv. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 175. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 382. DC. Fl. fr. Suppl. p. 566.

Ic. — Tab. xxxviii. A.

Cochleata fructu rugoso Riv. Tetr. irr. tab. 87. ic. 5.

Medica cochleata, major, dicarpos; capsula compressa, orbiculata, rugosa, alba Moris. Hist. 2. p. 152. sect. 2. tab. 15. ic. 4.

β. incisa, foliis plerisque incisis.
Ic. — Tab. XXXVIII. B.

Caules ascendentes diffusive, puberuli, pilis plerisque apice glanduliferis. Foliola obovato-cuneata, versus apicem serrulato-dentata, superiora subinde rhombeo- aut oblongo-cuneata, omnia facie glabra, subtus adpresse pubescentia. Stipulae ovato-lanceolatae, dentatae. Pedunculi aristati, folio breviores. Legumina compressa, lineas 2 $\frac{1}{2}$ 3 $\frac{1}{2}$ lata atque idcirco paullo minus ac in icone citata Morisonii, pilis brevissimis, sparsis, apice glanduliferis praedita, aetate albescentia aut helvola. Semina laevia, reniformia, flavescentia, demum rufescentia, atra uti ex clariss. Sering. l. c. non vidi.
In arvis. Var. β circa Porto-Torres.
Fl. aprili, majo. ①

282. MEDICAGO HELIX

M. puberula; stipulis laciniato-dentatis; pedunculis quadri-octofloris; leguminibus glabris, utrinque planis, 3-5-spermis; spiris 2-4, radiatim nervoso-reticulatis, nervis cum circulo, infra marginem, nervoso margineque valde attenuato, inermi spinulosove anastomoticis.
Medicago Helix Willd. Sp. 3. p. 1409. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 557.
Ic. — Tab. XXXIX. A.

β. spinulosa, leguminibus margine spinulosis.
Ic. — Tab. XXXIX. B.

Caules semipedales, bipedales, angulosi, superne puberuli, inferne glabrati, simplices ramosive, decumbentes aut prostrati. Foliola obovata aut rhombeo-obovata, facie glabra, subtus pubescentia. Stipulae dentato-multifidae. Pedunculi quadri-octoflori, aristati, folium subaequantes, raro superantes. Flores breviter pedicellati, pedicellis bractea anguste lanceolato-lineari basi stipatis. Legumina diametro inter tres et quatuor lineas, matura nigrescentia. Spirae radiatim nervoso-reticulatae, nervis anastomoticis cum circulo infra marginem nervoso, ex quo radii nervosi, pauci rectique ad marginem pertingunt ibidemque modo ipsi margini conjuncti statim evanescunt, modo ultra marginem in tuberculum acutum seu in

spinulam rectam aut apice uncinatam producuntur. Semina reniformia, laevia, antice hinc truncata, matura lutescentia.

In pascuis et arenosis maritimis.

Fl. aprili, majo. (1)

Obs. Medicago Helix faciem offert *Medicaginis obscurae* Retz. Obs. 1. p. 24. leguminibus autem bi-quadricyclis nec monocyclis, tri-pentaspermis nec dispermis differt; ejusdem *Medicaginis Helicis* var. nostra α accedit ad *Medicaginem Soleirolii* Duby! Bot. gall. 1. p. 124., sed in hac legumina reticulum nervosum offerunt in orbiculum directum, nec nervi radiatim confluunt in circulum nervosum infra spirarum marginem ex quo radii nervosi ad marginem pertingant ut in *Medicagine Helice*.

c. *Leguminibus arcte cochleatis, cylindricis, ovalibus globosisve; spiris crassis, neutiquam aut minus valide reticulatis, demum appressis aut subconcretis, margine incrassatis, inermibus, tuberculosis aculeatisve.*

* *Leguminibus utrinque planis.*

283. MEDICAGO LITORALIS

M. villosa; stipulis inciso-dentatis; pedunculis uni-quinquefloris; leguminibus cylindricis, glabris, utrinque planis; spiris 3-6, demum appressis, margine crasso, obsolete bisulcato, mox plano, inermi anticeve tuberculato aculeatove, aculeis uncinatis rectisve, patulis.

Medicago litoralis Rhode in Lois.! not. p. 118. Bertol.! Pl. genuens. in Amoen. p. 180. Cambess. En. pl. balear. p. 64.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

M. litoralis *breviseta* DC.! Fl. fr. Suppl. p. 568.

M. cylindracea DC.! Cat. H. monsp. p. 123. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 178.

M. tornata b. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 571. et Suppl. p. 238.

Ic. — Tab. xl. A.

β. *inermis*, leguminum spiris margine laeviusculis aut obsolete tuberculatis.

Medicago striata Bast. Journ. bot. (1814.) p. 19. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 175. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 570. DC. Fl. fr. Suppl. p. 567. Lois. Fl. gall. 2. p. 131.

M. tricycla DC. Cat. H. monsp. p. 125.

M. tornata a. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 570. non Willd.

Ic. — Tab. xl. B.

γ. *longeaculeata*, leguminum aculeis longiusculis.
Medicago litoralis α. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 177. GUSS.! Fl. sic. Prod. 2. p. 576. MAUR. Rom. pl. Cent. 13. p. 37. DC. Fl. fr. Suppl. p. 568.
PH. THOMAS! Pl. siccat. e Corsica. DELIL.! Pl. siccat. ex Aegypto.
Ic. — Tab. XL. C.

Caules pubescentes, ascendentes aut saepe procumbentes. Foliola obovato-cuneata, adpresse villosa, virentia aut canescentia, versus apicem denticulata. Stipulae dentatae vel dentato-laciniatae. Leguminum spirae leviter in disco nervoso-reticulatae, margine juniores obsolete bisulcatae, adultae planae aut planiusculae, linea tamen una alterave in medio superstite. Semina reniformia, helvola, antice utrinque vel hinc dumtaxat truncata.

Planta in aridis vix semipedalis foliolis parvis; in pinguibus pedalis, sesquipedalis foliolis paullo majoribus; leguminibus modo margine laeviusculis aut tuberculorum vestigia, potius quam tubercula referentibus, modo tuberculatis subindeve tuberculato-aculeatis, modo tuberculis in aculeos plus minusve longos productos sic variat, ut planum faciat alteram ex propositis varietatibus per gradus intermedios in alteram abire. Var. γ *longeaculeata* valde accedit ad *Medicaginem tribuloidem*, spirarum autem margine in fructibus maturis plano aut planiusculo nec utrinque sulcato praesertim differt. *Medicago tornata* WILLD. et CARMIGN. *Mem. sulle Med.* ic. 1. leguminum spiris laxiusculis nec concretis, margine carinatis non planis nec unquam tuberculatis prorsus discrepat a *litorali* nostra *inermi* atque accedit ad *Medicaginem Helicem*, *laevem* ad eamdemque divisionem spectat.

In arvis et in arenosis maritimis.
Fl. aprili, majo. (1)

284. MEDICAGO TRIBULOIDES

M. villosa; stipulis dentatis; pedunculis bi-quinquefloris; leguminibus cylindricis, pilosiusculis glabrisve, utrinque planis; spiris 3-6, demum appressis, margine utrinque sulcato aculeatoque, aculeis incurvis appressisve.

Medicago tribuloides DESR. in LMCK. Enc. 3. p. 635. WILLD. Sp. 3. p. 1416.

Sering.! in DC. Prod. 2. p. 178. Benth. Cat. pl. Pyren. p. 102. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 577. Tenor.! Fl. neap. Syll. p. 383. DC. Fl. fr. Suppl. p. 568. Lois. Fl. gall. 2. p. 132.
M. Murex Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 577. et Suppl. p. 239.
Ic. — Tab. XLI.
Cochleata durius echinata Riv. Tetr. irr. tab. 87. ic. 10.

β. *breviaculeata*, leguminum aculeis brevibus, conicis, arctissime adpressis.
Medicago truncatula Gaertn. Fr. 2. p. 350. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 101.
M. truncatulata Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 578. et Suppl. p. 239.
M. tentaculata Willd. Sp. 3. p. 1413. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 177.
Ic. — Tab. XLII. Gaertn. Fr. tab. 155. ic. ^ Lmck. Ill. tab. 612. ic. 12. ^

Caules ut in praecedente. Foliola obovato-cuneata, versus apicem denticulata, nonnulla ex superioribus interdum rhombea, omnia utrinque plus minusve adpresse pubescentia et subtus subinde canescentia. Stipulae dentatae vel inciso-dentatae. Pedunculi bi-quinqueflori, aristati. Legumina modo glaberrima, modo pilis paucis praedita; spiris vix nervoso-reticulatis, margine in ipsis leguminibus maturis bisulcato, aculeis distichis, crassis, plus minusve longis. Semina helvola aut flavescentia, laevia, reniformia, antice utrinque vel hinc dumtaxat truncata.
In pascuis et in arvis.
Fl. aprili, majo.
Obs. Errore fortasse typographico in Sp. pl. Willd. 3. p. 1413., loco *Medicaginis truncatulae, Medicago tentaculata* Gaertn. Sem. 2. p. 350. tab. 155. inscripta fuit. Apud Gaertnerum l. c. *Medicago truncatula* non *tentaculata* legitur.

*** Leguminibus utrinque aut apice convexis.*

285. MEDICAGO GERARDI

M. pubescens; stipulis dentatis; pedunculis uni-bifloris; leguminibus utrinque convexiusculis, pilis articulatis glanduliferisque dense breviterque tomentoso-pubescentibus; spiris 4-6, margine enervio, convexo, aculeato, aculeis paucis, patulis, uncinatis.
Medicago Gerardi Waldst. et Kit. ex Willd. Sp. 3. p. 1415. Sering.! in DC

Prod. 2. p. 179. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 227. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 574. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 260. LOIS. Fl. gall. 2. p. 134.
DONATI! Pl. siccat. ex Aegypto. SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.
M. muricata ALL. Herbar. (*ex parte*).
M. villosa DC. Fl. fr. 4. p. 545.

Ic. — Tab. XLIII.
Medica cochleata minor, polycarpos, annua; capsula nigra, hispidiore MORIS. Hist. 2. p. 154. sect. 2. tab. 15. ic. 18.

Caules procumbentes aut ascendentes, pubescentes. Foliola obovato- vel obcordato-cuneata, superiora interdum rhombea, utrinque adpresse pubescentia, subtus praesertim ibidemque nonnumquam canescentia. Stipulae dentatae aut parce ciliato-dentatae, lanceolatae. Pedunculi uniflori, raro aliquot biflori, aristati, in varietate gracili folium vix aequantes, in luxuriante folium breviter petiolatum superantes. Legumina lineas duas, quatuor et semis longa, duas et semis vel tres aut fere tres et semis crassa, utrinque convexiuscula, demum nigricantia: spirae disco et margine breviter, oculo armato, denseque tomentoso-pubescentes, crassiusculae, appressae, margine numquam plano, semper convexo, raro obsolete canaliculato, aculeis, aliis solitariis, aliis oppositis, plerisque apice uncinatis. — Planta in sterilibus aridis gracilis, palmaris-semipedalis foliolis parvis; in pinguibus pedalis et ultra. Legumina aculeorum longitudine variant.
In pascuis et inter segetes.
Fl. aprili, majo. ①

286. MEDICAGO MARINA

M. cano-tomentosa; stipulis subintegris; pedunculis quinque-duodecimfloris; leguminum spiris subternis, laxiuscule appressis, margine planiusculo, utrinque remote aculeato, aculeis incurvis.

Medicago marina LINN. Sp. p. 1097. WILLD. Sp. 3. p. 1415. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 176. DESF. Fl. atl. 2. p. 210. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 101. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 112. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 227. URV. En. pl. Archip. p. 98. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 567. et Suppl. p. 238. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 382. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 260. SAVI Bot. etr. 4. p. 63. BERTOL.! Pl. genuens. in Amoen. p. 179. ALL.! Fl. ped.

I. p. 316. DC. Fl. fr. 4. p. 546. Lois. Fl. gall. 2. p. 133. Cambess. En. pl. balear. p. 64. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hisp. 2. p. 26.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica. Olivier! Pl. siccat. ex insula Chio in Herbar. DC.

M. pedunculis racemosis; leguminibus cochleatis, spinosis; caule procumbente, tomentoso Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 213.

Ic. — Cavan. l. c. tab. 130. Gaertn. Fr. 2. tab. 155. Lmck. Ill. tab. 612. ic. 13. (*eadem ac apud* Gaertn.). Iconogr. taurin. 16. tab. 72. ic. 2.

Cochleata fructu echinato, incano Riv. Tetr. irr. tab. 87. ic. 15. et Cochleata, incana tab. 90. ic. 2.

Medica marina Clus. Hist. 2. p. 243. ic. 2. (*bona*). Lob. Adv. p. 383. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 38. ic. 1. ✦ (*malae*). Zannich. Ist. tab. 62.

Trifolium cochleatum marinum sive Medica marina J. Bauh. Hist. 2. p. 383. ic. 3. ⚠ Chabr. Sciagr. p. 165. ic. 5. ⚠ (*mediocres*).

Radix teres, longissima. Caules prostrati subindeve juniores praesertim erectiusculi. Folia breviter petiolata, foliolis obovato-cuneiformibus aut cuneatis, versus apicem crenulato-dentatis. Stipulae ovato-lanceolatae, integrae aut vix dentatae. Pedunculi folium aequantes aut vix superantes. Legumina diametro duarum circiter linearum tereti-globulosa, basi planiuscula, apice convexa, spiris duabus et semis, tribus et semis, oblique reticulatis, margine utrinque aculeato sulcatoque, sulcis tomento-occultatis, aculeis remotis, incurvis. Semina reniformia, laevia, lutescentia. — Tota planta cano-tomentosa.

In arenosis litoreis Sardiniae et insularum adjacentium.

Fl. aprili, junio. ♃

287. MEDICAGO TUBERCULATA

M. pubescens; stipulis dentatis; pedunculis bi-octofloris; leguminibus glabris, adultis ovali-cylindraceis, apice convexis, spiris 4-6, margine uninervio, juniore tenui acutoque utrinque lacunoso-tuberculoso, mox incrassato, subconcreto, tuberculis, gemino ordine, arcte caelato.

Medicago tuberculata Willd. Sp. 3. p. 1410. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 175. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 53. Urv.! En. pl. Archip. p. 97. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 569. DC. Fl. fr. 4. p. 544. Cambess. En. pl. balear. p. 63.

M. catalonica SCHRANK Hort. mon. tab. 28. ex SERING.! in DC. Prod. 2. p. 176.

M. spinulosa DC.! Fl. fr. Suppl. p. 569. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 176.

M. pubescens DC.! Cat. Hort. monsp. p. 124. non HORN. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 176.

M. turbinata CARMIGN. Mem. sulle Med. p. 13. non WILLD.

Ic. — Tab. XLIV. CARMIGN. Mem. Med. ic. 3. (*fructus paullo majores ac apud nos*).

Cochleata fructu verrucoso RIV. Tetr. irr. tab. 87. ic. 6.

Caules pubescentes, pube paullo breviore ac in sequente. Foliola denticulata, obovata, superiora rhombeo-obovata, omnia basi cuneata, utrinque adpresse pubescentia. Stipulae ovato-lanceolatae, ciliato-dentatae. Pedunculi folium vel subaequantes, vel eo paullo longiores, aristati, inferiores pauciflori, superiores quinque-octoflori. Legumina basi planiuscula, apice convexa, juniora tuberculis brevibus, conicis, utrinque infra spirarum marginem acutum obsita: adulta spirarum marginibus incrassatis adpressisque planiusculis et utrinque ad latera nervi medii arcte tuberculoso-leprosis. — Differt a sequente pedunculis superioribus multifloris nec uni-bifloris; leguminibus constanter glabris, spirarum juniorum margine acutiore, adulto arctius tuberculoso, tuberculis numquam in aculeos abeuntibus.

In arvis maritimis circa Porto-torres.

Fl. aprili, majo. ①

288. MEDICAGO TURBINATA

M. villosa; stipulis dentatis; pedunculis uni-bifloris; leguminibus puberulis, utrinque convexis, cylindraceo-ovalibus globosisve; spiris subsenis, margine crasso, subconcreto, uninervio, gemino ordine obsolete verruculoso breviterve tuberculato aculeatove.

Medicago turbinata WILLD. Sp. 3. p. 1409. (*excl. syn.* BAUH. *Hist.*). SERING.! in DC. Prod. 2. p. 175. GUSS.! Fl. sic. Prod. 2. p. 571. DC. Fl. fr. 4. p. 544. LOIS. Fl. gall. 2. p. 131.

M. doliata CARMIGN. Mem. sulle Med. p. 12.

M. olivaeformis GUSS.! Pl. rar. p. 390. et Fl. sic. Prod. 2. p. 572. MORIS Stirp. sard. Elench. 2. p. 3. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 573.

M. polymorpha *turbinata* LINN. Sp. p. 1098.

Ic. — Tab. XLV. A.

Medicago doliata CARMIGN. l. c. tab. 2. (*etsi spirarum margo laevissimus*).

Cochleata fructu turbinato RIV. Tetr. irr. tab. 87. ic. 3.

Medica cochleata major, dicarpos; fructus capsula turbinata, plana MORIS. Hist. 2. p. 153. sect. 2. tab. 15. ic. 5.

β. *aculeata*, spirarum margine breviter aculeato.

M. neglecta GUSS.! Fl. sic. Prod. 2. p. 575.

Ic. — Tab. XLV. B.

Cochleata fructu turbinato et echinato RIV. Tetr. irr. tab. 87. ic. 7.

Caules pubescentes aut villosi, villis patulis. Foliola obovato- aut rhombeo-cuneata, utrinque plus minusve molliter adpresseque pubescentia, versus apicem denticulata. Stipulae ovato-lanceolatae, dentatae aut ciliato-dentatae. Pedunculi uni-biflori, filiformes, folium superantes, superiores subaequantes, pedicellis bractea exigua, lineari-subulata, basi ovata membranaceaque stipatis. Legumina cylindraceo-ovalia, raro subglobosa, duas lineas et semis, quatuor crassa, tres-quinque longa, basi interdum planiuscula, plerumque vero utrinque convexa, oculo armato pubescentia, praesertim juniora, adulta nonnumquam fere glabrata: spirae subsenae, disco fere semper nervuloso-reticulatae, margine valde incrassato, uninervio, demum plano aut fere plano, ad latera nervi medii plus minusve prominuli, numquam (apud nos) omnino laevi, sed modo obsolete verrucoso, modo tuberculato aut aculeato, tuberculis aculeisve brevibus, conicis, patulis aut subadpressis, nonnullis interdum apice uncinatis. Semina reniformia, laevia, ferrugineo-flavescentia, antice hinc aut utrinque truncata.

Inter segetes Sardiniae et insulae Tavolara.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Synonimon *Medica dicarpos; fructus capsula turbinata, rugosa* MORIS. Hist. 2. p. 153. a LINNAEO adductum ad *Medicaginem polymorpham turbinatam*, pariter refertur a WILLDENOWIO ad *Medicaginem turbinatam* et *tuberculatam*, ita tamen ut priori non alteri accommodet iconem 5. MORIS. sect. 2. tab. 15. quae spectat ad *Medicam cochleatam majorem*, *dicarpos; fructus capsula turbinata*, *plana* MORIS. Hist. 2. p. 153. Ex iconibus autem

5. et 6. Moris. sect. et tab. cit. prior ad *Medicaginem turbinatam* spectare potest, etsi spirarum margo omnino laevissimus, aequiori autem jure altera (seu icon. 6. l. c.) ad *Medicaginem turbinatam* cum Linnaeo, quam cum Willdenowio ad *Medicaginem tuberculatam* referri posse videtur : etenim praeterquamquod legumen a Morisonio ejus magnitudinis pictum est, qualem in *Medicagine tuberculata* (mihi saltem) observasse numquam obtigit, accedit quod idem Morisonius in plantae ad quod legumen spectat descriptione vol. 2. p. 153., flores tradat *binatim pedunculo haerentes*, qui quidem binum numerum in *Medicagine turbinata* non superant; terni, seni, octoni, raro in nonnullis pedunculis bini observantur in *Medicagine tuberculata*.

289. MEDICAGO SPHAEROCARPA

M. glabriuscula; stipulis laciniatis; pedunculis uni-quadrifloris; leguminibus globosis ovalibusve; spiris 5-8, arctissime adpressis, margine crasso, planiusculo striatoque, laeviusculo anticeve tuberculato aculeatove, aculeis conico-subulatis, incurvis rectisve.

Medicago Sphaerocarpos Bertol.! Amoen. p. 91. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 180. Benth. Cat. pl. pyren. p. 102. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 52. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 384. Lois. Fl. gall. 2. p. 132. Duby Bot. gall. 1. p. 127.
Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.
Ic. — Tab. xlvi. A.

β. *macrocarpa*, leguminibus globosis, majoribus.
Medicago sphaerocarpa Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 262.
Ic. — Tab. xlvi. B. Sebast. et Maur. l. c. tab. 3. Iconogr. taurin. 23. tab. 109.

γ. *ovalis*, leguminibus omnibus ovalibus.
Medicago ovata Carmign.!
M. sphaerocarpos *macrocarpos* Benth. l. c. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 573. et Suppl. p. 238.
Ic. — Tab. xlvi. C.

Caules ascendentes vel procumbentes, inferne glabri, superne pilosiusculi. Foliola obovata aut rhombea, basi cuneata, versus apicem denticulata, utrinque glabra aut subtus plerumque pilosiuscula. Stipulae ovato-lanceolatae, tenuiter laciniatae. Pedunculi uni-quadriflori, aristati, folio longiores aut breviores. Legumen globosum, in-

terdum fere globoso-depressum, vel ovale, in eademque planta globosum et ovale, 2-4-lineas longum, totidemque crassum, glabrum, spiris quinque-octo arcte adpressis, margine crassis, ibidemque juxta longitudinem striatis, gemino ordine anticeque in singulis varietatibus modo obsolete aut neutiquam, modo valide tuberculatis aut aculeatis, aculeis basi plus minusve incrassatis, incurvis rectisve, nonnullis subinde apice uncinatis. Semina reniformia, laevia, antice utrinque vel hinc truncata, helvola aut flavescentia.

Inter segetes et in pascuis Sardiniae et insulae la Maddalena.

Fl. aprili, majo. (I)

f. *Leguminibus laxe cochleatis, cylindraceis, ovalibus globosisve; spiris membranaceis, valide reticulatis, margine arcte tuberculatis spinosisve; spinis tenuiter subulatis tuberculisque utrinque saepe canaliculatis.*

* *Leguminibus utrinque planis.*

290. MEDICAGO DENTICULATA

M. glabriuscula; stipulis laciniatis; pedunculis uni-quinquefloris; leguminibus laxe cochleatis, glabris, utrinque planis; spiris 2-4, membranaceis, oblique reticulatis, margine tenui utrinque sulcato, tuberculato, spinosove, tuberculis spinisve patulis, basi canaliculatis.

Medicago denticulata Willd. Sp. 3. p. 1414. Benth. Cat. pl. pyren. p. 103.

α. *tuberculata*, spiris margine tuberculatis, tuberculis conicis.

Medicago sardoa Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 15. Spr. Ant. Tent. Suppl. p. 20.

Ic. — Tab. xlvii.

Medicago coronata Gaertn. Fr. 2. tab. 155. ic. ♧ Lmck. Ill. tab. 612. ic. 11. ♧

Medica cochleata, dicarpos; capsula spinosa crassiore et spinulis brevibus et rarius dispositis armata Moris. Hist. 2. p. 154. sect. 2. tab. 15. ic. 13. 14.

Cochleata fructu echinato, minore Riv. Tetr. irr. tab. 87. ic. 14.

β. *lappacea*, spiris margine spinosis, spinis setaceis, longis, hamosis.

Medicago lappacea Desr. in Lmck. Enc. 3. p. 637. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 177. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 565. et Suppl. p. 237. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 382. DC. Fl. fr. Suppl. p. 569. Lois. Fl. gall. 2. p. 133. ♃.

M. muricata ALL. Herbar. (*ex parte*).

Ic. — Tab. XLVIII.

(*Icones* Medicago hispida GAERTN. Fr. 2. tab. 155. *et* Medica cochleata dicarpos, capsula spinosa, rotunda, minore, multis spinulis armata MORIS. Hist. 2. p. 153. sect. 2. tab. 15. ic. 11. *nostrae plantae legumina pariter repraesentant nec differunt nisi spinulis haud hamosis.*)

Caules glabri aut versus apicem pilosiusculi. Foliola obovato- vel obcordato-cuneata, superiora interdum subrombea, glabra aut subtus pilosiuscula, versus apicem denticulata. Stipulae tenuiter laciniatae. Legumina latiora quam longa, demum nigra, margine tenui, utrinque canaliculato, nervo marginali medio et lateralibus in aculeos conicos vel in spinas setaceas, basi canaliculata, disticha, utrinque abeuntibus. Semina laevia, reniformia, lutescentia, antice oblique utrinque truncata.

In pascuis et in arvis.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Spiris in quoque legumine tribus-quatuor nec quinque-sex, varietas nostra *denticulata* α differt a *Medicagine Terebello* WILLD. et Auct., var. β a *Medicagine pentacycla* DC.! Caeteris autem consentientibus, dubitare licet num spirarum numerus validum et constantem praebeat characterem quo nunc allatae *Medicagines* invicem et specifice sejungantur. Res plane varia spirarum numerus in *Medicaginibus* esse solet atque *Medicago Histrix* TENOR.! Fl. nap. Prod. p. 45. spiris in quoque legumine quatuor et semis vel quinque, intermedium offert gradum inter *Medicaginem lappaceam* W. et *Medicaginem pentacyclam* DC.

291. MEDICAGO PRAECOX

M. pilosiuscula; stipulis laciniatis; pedunculis uni-bifloris, folio brevioribus; leguminibus laxe cochleatis, utrinque planis; spiris 2-3, disco subpilosis, margine latiusculo, glabro, subtus utrinque canaliculato, spinis distichis, divergentibus, subulatis, longis, canaliculatis, hamosis.

Medicago praecox DC.! Cat. H. monsp. p. 123. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 178. DC. Fl. fr. Suppl. p. 570. LOIS. Fl. gall. 2. p. 134.

PH. THOMAS! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Tab. XLIX.

Caules graciles, procumbentes, pilosiusculi. Foliola exigua, obovato-

vel obcordato-cuneata, versus apicem denticulata, facie plerumque glabra, subtus plus minusve adpresse pilosa. Stipulae lanceolatae, laciniatae. Pedunculi uni-biflori, folio breviores, duas-sex lineas longi. Legumina lineam unam et semis, duas et semis longa, diametro lineae unius et semis aut fere duarum: spirae duae-tres, raro tres et semis, disco plus minusve reticulatae et pilosae, adultae interdum glabratae, margine latiusculo, laevi, subtus utrinque canaliculato: spinae lineam unam et semis circiter longae, apice subulatae, hamosae, basi crassiusculae, e latere marginis necnon e nervo infra marginem spirali originem ducentes, unde inter duplicem originem canaliculus intermedius. Semina helvola.

Planta semipedalis, pedalis, inter *Medicaginem Tenoreanam* Sering.! in DC. Prod. et *Medicaginem coronatam* Lmck. non Gaertn. intermedia: differt a prima leguminibus duplo triplove minoribus, numquam nec quadri- nec pentacyclis: ab altera differt pedunculis uni-bifloris, nec quinque-octofloris, folio non valde longioribus sed brevioribus, leguminibus duplo et ultra majoribus, spiris 2-3, non 1-2, margine glabris, non pubescentibus, spinis hamosis, non rectis.

In arvis et collibus maritimis.

Fl. martio, aprili. ①

292. MEDICAGO MACULATA

M. pilosiuscula; foliolis maculatis; stipulis dentatis; pedunculis uni-quinquefloris; leguminibus laxiuscule cochleatis, glabris, utrinque planis; spiris 3-5, margine antice bi-trisulcis, geminoque ordine spinosis, spinis canaliculatis, subulatis, arcuato-reflexis, subintertextis.

Medicago maculata Willd. Sp. 3. p. 1412. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 179. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 111. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 228. Urv. En. pl. Archip. p. 98. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 561. et Suppl. p. 237. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 384. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 261. DC. Fl. fr. 4. p. 547. Lois. Fl. gall. 2. p. 133. Cambess. En. pl. balear. p. 64.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

M. cordata Desr. in Lmck. Enc. 3. p. 608.

M. arabica All. Fl. ped. 1. p. 315.

M. polymorpha γ arabica Linn. Sp. p. 1098.

M. polymorpha E arabica Desf. Fl. atl. 2. p. 211.

Ic. — Tab. l.

Medicago polymorpha Engl. bot. 23. tab. 1616.

Medica cochleata minor, polycarpos, annua; capsula majore, alba; folio cordato, macula fusca notato Moris. Hist. 2. p. 154. sect. 2. tab. 15. ic. 17. (*etsi legumina exiguiora*).

Cochleata fructu longius echinato Riv. Tetr. irr. tab. 88. ic. 12.

Caules pedales, sesquipedales, procumbentes aut decumbentes, pilosiusculi. Foliola obcordato- aut obovato-cuneata truncataque, omnia macula fusca, aetate saepe evanida, in centro notata, facie glabra, subtus nervo praesertim medio plerumque parce pilosiuscula, versus apicem denticulata. Stipulae ovato-lanceolatae, acute dentatae. Pedunculi folio breviores. Legumina duas-quatuor lineas longa, diametro linearum duarum, trium et semis; spiris concentrice et obsolete reticulatis, margine crassiusculo, canaliculis duobus aut plerumque tribus nervisque spiralibus tribus-quatuor antice obsito; spinis bicruribus, duplici nimirum origine e nervis marginalibus originem ducentibus. Semina reniformia, helvola, laevia.

In arvis.

Fl. aprili, majo. (1)

** *Leguminibus ovalibus globosisve.*

293. MEDICAGO MINIMA

M. molliter pubescens canescensve; stipulis subintegris; pedunculis uni-sexfloris, brevibus; leguminibus laxe cochleato-globosis, subvillosulis; spiris 3-5, margine tenui, utrinque sulcato spinosoque, spinis setaceis, patentibus, canaliculatis, hamosis.

Medicago minima Willd. Sp. 3. p. 1418. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 178. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 113. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 227. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 383. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 260. DC. Fl. fr. 4. p. 545. Lois. Fl. gall. 2. p. 134. Cambess. En. pl. balear. p. 64.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

M. polymorpha μ minima Linn. Sp. p. 1099.

Medica pedunculis multifloris; leguminibus cochleatis; spinulis hamatis; stipulis integris VALL. et ALL. Florul. corsic. in Misc. soc. priv. taur. 2. p. 213.
Ic. — Fl. dan. tab. 211.
Cochleata echinata minima RIV. Tetr. irr. tab. 88.

β. *major*, caulibus longioribus, erectiusculis; foliis minus pubescentibus, rarius canescentibus.
Medicago recta SERING.! in DC. Prod. 2. p. 179. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 101. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 566. et Suppl. p. 238.
M. mollissima Roth. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 178.
M. graeca HORN. H. hafn. p. 24. et 728. SERING. in DC. Prod. 2. p. 178.
M. polymorpha H. recta DESF. Fl. atl. 2. p. 212.
M. hirsuta ALL.! Fl. ped. 1. p. 315.
M. polymorpha λ hirsuta LINN. Sp. p. 1099.
Ic. — Medicago echinata, hirsuta J. BAUH. Hist. 2. p. 386. ic. 1. ⩓ CHABR. Sciagr. p. 166. ic. 5. ⩓ (*malae*).

Caules prostrati aut erectiusculi, palmares, pedales et ultra, plus minusve pubescentes. Foliola obovata aut obovato-cuneata, inferiora interdum obovato-orbiculata, superiora in β praesertim sensim longiora angustioraque et saepe oblongo-cuneiformia, omnia utrinque plus minusve pubescentia, canescentia vel virentia, apice denticulata, denticulis tribus-quinque pluribusve. Stipulae ovato-lanceolatae, integrae aut vix serrato-dentatae. Pedunculi folio plerumque breviores, raro aequales. Legumina virentia; spiris tribus-quinque, tenuibus, pilosiusculis, margine spinosis; spinis plus minusve longis, plerumque villis aliquot praeditis, e nervo marginali suturali et e lateralibus infra marginem originem ducentibus, unde nonnullae basi interdum divisae habentur, omnes vero in unicam ex duplici origine coalescentes canaliculum in medio ex utraque parte praebent et subcompressae apparent. Semina pallide lutescentia, obsolete reniformia.

In campis et in ruderatis Sardiniae et insulae Tavolara.
Fl. aprili, majo. ①

294. MEDICAGO CILIARIS

M. glabriuscula; stipulis inciso-dentatis; pedunculis uni-trifloris; leguminibus laxe cochleato-subglobosis, villosis, utrinque convexis; spiris 6-8, margine crasso, planiusculo, utrinque spinoso, spinis canaliculatis, divergentibus, rectiusculis, subadpressis patulisve; seminibus nigris.

Medicago ciliaris Willd. Sp. 3. p. 1411. (*non* All. *nec* Savi). Sering.! in DC. Prod. 2. p. 180. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 560. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 385. Lois. Fl. gall. 2. p. 135.

M. polymorpha ϰ ciliaris Linn. Sp. p. 1099.

M. intertexta Sering.! in DC. Prod. 2. p. 180.

M. polymorpha D. intertexta Desf.! Fl. atl. 2. p. 211.

Ic. — Tab. li.

Medica cochleata, spinosa, major, dicarpos, seu capsula rotundiore, majore; spinis paucioribus et rigidioribus Moris. Hist. 2. p. 153. sect. 2. tab. 15. ic. 7. (*Ob marginem crassiorem, spinas rariores et breviores ad hanc speciem potiusquam ad sequentem referenda est, etsi legumen in icone neutiquam villosum sit, nec ulla de ejus villis mentio in descriptione.*)

Caules semipedales, sesquipedales, decumbentes aut procumbentes, glabri aut pilis vix aliquot praediti. Foliola glabra aut subtus pilosiuscula, inferiora obovato-cuneata, superiora saepe subrhombea. Stipulae ovato-lanceolatae, inciso-dentatae. Pedunculi uni-triflori, plerumque folio breviores. Legumina saepe globosa, spiris diametro quatuor-quinque linearum, disco eximie et oblique nervoso-reticulatis, margine crasso, planiusculo, villoso, ad latera ob nervos disci una cum marginali in spinas abeuntibus sulcato: spinae lineam circiter longae, villosae, rectae aut vix incurvae nonnullaeque interdum apice uncinatae, modo patulae, modo fere appressae, in eodemque legumine aliae alius ordinis subadpressae, aliae patulae, semper divergentes et subintertextae, rigidae et basi crassiusculae: villi spinarum et marginis articulati. Semina reniformia, majuscula, laevia, nigra, antice hinc truncata.

Inter segetes et in pascuis.

Fl. aprili, majo. ①

295. MEDICAGO ECHINUS

M. glabriuscula; stipulis dentatis; pedunculis uni-sexfloris; leguminibus laxe cochleato-ovalibus globosisve, glabris, utrinque convexis; spiris 6-9, margine planiusculo, utrinque confertim tuberculato spinosove, spinis incurvis, divaricatis, adpressissimis, intertextis, canaliculatis; seminibus nigris.

Medicago Echinus DC.! Fl. fr. 4. p. 546. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 181. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 227. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 563. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 385. Lois. Fl. gall. 2. p. 135.

Salzm. Pl. siccat. e Marocco in Herbar. DC.

Ic. — Tab. lii.

Medicago intertexta Gaertn. Fr. 2. p. 350. tab. 155. ic. ultim. ✦ Lmck. Ill. tab. 612. ic. 14. ✦

Cochleata fructu echinato, maximo Riv. Tetr. irr. tab. 88. ic. 9.

β. *tuberculata*, spiris margine tuberculatis.

Medicago polycycla Moris in Mem. Accad. R. Scienz. di Torino 38. p. xxxi.

Ic. — Tab. liii.

Caules foliola et stipulae ut in praecedente. Pedunculi uni-sexflori, folio plerumque breviores. Legumina diametro ut in praecedente, sed plerumque ovalia, rarius globosa, semper glaberrima; spiris margine paullo minus crassis; spinis (ubi adsint) omnibus incurvo-adpressis, basi latioribus et numero pluribus, sic ut iisdem longiusculis, spirarum margo occultetur. Semina ut in praecedente.

Inter segetes et in pascuis.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Spinae atque aculei minus fidum praebere videntur characterem ex quo vel Medicaginum universum genus in sectiones dividatur, vel species singulae discriminentur. Plantae nimirum caeteris perbelle consentientes characteribus, legumina in statu naturae offerunt spirarum margine modo tuberculato, modo laeviusculo, vel tuberculorum vestigia potiusquam tubercula praebente, modo tuberculis in aculeos vel spinas plus minusve longe productis: sic in *Medicagine circinnata*, *Helice*, *sphaerocarpa*, *litorali*, *turbinata etc.* varias extrinsecas leguminis formas assequi licet, quibus a margine laeviusculo ad tuberculatum, ad aculeatum gradus sensim fiat. Species margine tenui, ubi spirae vel aculei aut tubercula ex nervo suturali unice producuntur (*Medicago*

circinnata, Helix), vel ubi spirae crassae, margine ad latera nervi suturalis sic incrassantur ut planae ibidem fiant. (*Medicago litoralis, sphaerocarpa, turbinata*), prae caeteris tuberculorum aut aculeorum longitudine sic variant ut laeves nonnumquam oculo nudo appareant, caeterum si vel oculo leviter armato legumina spectentur, tuberculorum saltem vestigia deprehenduntur quae quidem longius producta aculeos praebuissent. Species ubi spirae ad latera nervi suturalis margine ita non incrassantur, ut canaliculus utrinque ad latera marginis non evanescat, sed in fructu maturo persistat (*Medicago denticulata , Echinus etc.*) variant quidem, in variis plantis, aculeorum vel spinarum longitudine, non ita tamen (prout ex iterata observatione mihi observasse datum est) ut oculo nudo laeves se praebeant uti praecedentes, sed constanter oculo ipso nudo tuberculatae vel plus minusve longe aculeatae spinosaeve sunt.

Ex allatis varietatibus *Medicago Helix spinulosa* et *Medicago denticulata tuberculata* culturae mihi exploratae perstare observatae sunt. Verum si in statu naturae specificus earum caeterarumque adductarum character ex tuberculis spinisve plus aut minus longis petatur, species recipiantur necesse est plurimae quas inter praeter inconstantem tuberculorum, aculeorum spinarumve longitudinem, aliud profecto nullum intercedit discrimen.

XCV. TRIGONELLA

Trigonella Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1213. Juss. Gen. p. 356. DC. Prod. 2. p. 181. Gaertn. Fr. 2. tab. 152. Lmck. Ill. tab. 611. Foenum-graecum Tourn. Inst. tab. 230.

Calix tubuloso-campanulatus, semi-5-fidus. Stamina diadelpha. Legumen lineare vel oblongo-acuminatum, rectum falcatumve, compressum, polyspermum.

296. TRIGONELLA FOENUM GRAECUM

T. puberula, erecta ascendensve; foliolis obovato-oblongovecuneatis; leguminibus longissimis, subsessilibus, solitariis geminisque, reticulatis, rectis falcatisve, 8-18-spermis, rostro longe subulato duplo triplove longioribus; seminibus utrinque subtruncatis.

Trigonella Foenum graecum Linn. Sp. p. 1095. Willd. Sp. 3. p. 1402. α. DC. Fl. fr. Suppl. p. 571. Sering. in DC. Prod. 2. p. 182. Desf. Fl. atl. 2. p. 208.

(*excl. syn.* J. Bauh.). Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 109. Savi Bot. etr. 4. p. 60. DC. Fl. fr. 4. p. 551. α. Lois. Fl. gall. 2. p. 139.
Buceras Foenum graecum α. All.! Fl. ped. 1. p. 313.

Ic. — Chaum. Chamb. et Poir. Fl. med. 3. tab. 164. Iconogr. taurin. 6. tab. 72.
Foenugraecum Riv. Tetr. irr. tab. 80.
Foenograecum Fuchs. Hist. p. 798. ic. ⅄ (*bona, etsi stipulae nullae*).
Foenum graecum Trag. Hist. p. 597. ic. ⅄
Foenum graecum sativum Moris. Hist. sect. 2. tab. 17. ic. 1.

In arvis Campidano di Cagliari et in valle infra Morgongiori.
Fl. martio, junio. ①
Ital. *Fieno greco.*
Vern. m. *Fenu grègu. Pisu molentinu.*
Foeni-graeci seminibus mucilaginosis decocta emollientia parantur, farina ad conficienda cataplasmata resolventia adhiberi consuevit.

297. TRIGONELLA PROSTRATA

T. villosa, diffusa; foliolis obovato-oblongove-cuneatis; leguminibus longis, subsessilibus, subsolitariis, reticulatis, rectis falcatisve, 3-8-spermis, rostro longe subulato vix longioribus; seminibus irregulariter ovato-reniformibus.

Trigonella prostrata DC.! Fl. fr. Suppl. p. 571. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 182. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 549. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 380. Lois. Fl. gall. 2. p. 139.
T. Foenum graecum β. Linn. Sp. p. 1095. DC. Fl. fr. 4. p. 551.
Buceras Foenum graecum β. All.! Fl. ped. 1. p. 313.

Ic. — Tab. liv.
Foenugraecum sylvestre Dalechampii Dalech. Hist. 1. p. 404. ic. 2. J. Bauh. Hist. 2. p. 365. ic. ⅄
Foenum graecum Chabr. Sciagr. p. 167. ic. 5. ⅄

Species praecedentis habitum referens sed diversa haud quidem foliolis magis et argutius dentatis eorumque forma, nec caule, ut fertur, in *Trigonella Foeno graeco* simplici erectoque, sed aliis characteribus. Planta *Trigonellae prostratae* villosa aut magis pubescens quam *Trigonella Foenum graecum.* Foliola inferiora utrique speciei obovato-cuneata, superiora sensim longiora angustioraque, oblonga,

omnia basi cuneata, versus apicem serrato-denticulata, obtusa vel truncata, sed in *Trigonella Foeno graeco* majora longioraque, glabra aut subtus nervo medio vix pilosiuscula, in *Trigonella prostrata* pubescentia aut villosa, saltem subtus et superiora praesertim. Caulis in illa modo solitarius, erectus, simplex, parceque ramosus, modo ex eadem radice plures quorum centrales erecti, laterales ascendentes, dodrantales, pedales vel paullo ultra: in hac caules ex eadem radice plures, laterales procumbentes, raro ascendentes, centrales erecti aut ascendentes, simplices aut parce ramosi, unciales, semipedales nec longiores. Stipulae in utraque specie lanceolatae, acuminatae, integrae. Flores pariter ochroleuci, axillares, subsessiles; in *Trigonella Foeno graeco* saepius solitarii et geminati; in *Trigonella prostrata* plerumque solitarii, rarissime geminati. Legumina *Trigonellae Foeni graeci* duas circiter lineas lata, glabra aut puberula, juxta longitudinem reticulata, linearia, leniter compressa pleraque divaricata arcuataque, nonnulla recta atque erecta, longitudine 3-5-uncialia. In *Trigonella prostrata* legumina duas circiter lineas lata, pubescentia, juxta longitudinem valide reticulata, lineari-oblonga aut lineari-lanceolata, potiusquam linearia, altera scilicet sutura apice incurvata, leniter compressa, pleraque divaricata et falcata, rarius nonnulla recta, longitudine uncialia-sesquiuncialia, raro ultra, nec unquam biuncialia. Semina *Trigonellae Foeni graeci* 8-18, ovalia aut oblonga, rufescentia, vix, oculo armato, tuberculosa, glabra, altera extremitate aut saepe utraque truncata, atque (linea ex hilo transverse recteque ducta) plerumque latiora quam longa. Semina *Trigonellae prostratae* numero tria-octo, irregulariter ovato-reniformia, raro ovata truncataque, rufescentia, oculo armato, tuberculosa, glabra atque (linea ex hilo transverse recteque ducta) paullo longiora quam lata.

In pascuis montanis Oliena.

Fl. aprili, majo. ①

298. TRIGONELLA MARITIMA

T. subdiffusa; foliolis crassiusculis, obovato-cuneiformibus; stipulis semisagittatis, dentatis; pedunculis umbelliferis folio subbre-

vioribus; carina vexillum subaequante; leguminibus linearibus, declinatis, subfalcatis, oblique reticulato-nervosis.

Trigonella maritima Delil.! in Poir. Dict. enc. Suppl. 5. p. 361. Sering. in DC. Prod. 2. p. 181. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 100.

T. litoralis Guss.! Cat. H. Reg. in Bocc. in adn. p. 83. et Fl. sic. Prod. 2. p. 551. Sering. in DC. Prod. 2. p. 182. Decaisn. Pl. Syr. et Palaestin. in Ann. sc. nat. (1835.) 4. p. 360. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 380. Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 2. p. 3.

Ic. — Tab. LV.

Caules ex eadem radice plures, palmares, dodrantales, quorum laterales procumbentes, centrales ascendentes erective, plerumque ramosi, inferne glabrati, superne puberuli. Foliola obovato-cuneiformia subindeve obcordata, crassiuscula, viridia, glabra aut raro pilosiuscula, versus apicem denticulata, denticulo intermedio triangulari. Stipulae semisagittatae, acutae, dentatae, superiores pubescentes. Pedunculi axillares, pubescentes, apice breviter producti, folio plerumque paullo breviores, raro aequales aut paullo longiores. Flores paullo infra pedunculi summitatem quinque-octo, breviter pedicellati, capitato-umbellati, horizontales aut nutantes. Calix pubescens. Corolla flava, duplo et ultra calicem superans; carina alis vix longiore, vexillum subaequante. Legumina lineam fere crassa, compressa, quinque-sex lineas longa, oblique reticulato-nervosa, glabra aut pilosiuscula. Semina rufescentia, glabra, leniter tenuiterque (oculo armato) tuberculata, ovata aut ovalia, utrinque saepe subtruncata et (linea ex hilo transverse ducta) longiora quam lata.

In pascuis litoreis maritimis Cagliari alla Scaffa, S. Elia.

Fl. martio, aprili. ①

Obs. Trigonellae maritimae Delil. legumina vel minus apte recta et basi turgida descripta sunt a cl. Poiret in Dict. enc. Suppl. l. c., vel specimen aegyptiacum Delil. in Herbar. Desf. unde Poiret descriptio deprompta fuit, minus curva fereque recta ob fortuitam anomaliam legumina obtulit. Recta nonnumquam se praebent Trigonellarum legumina inferiora, quae in sabulo jaceant non ita caetera; omnia autem curva aut subfalcata, non recta nec basi turgida sunt in *Trigonella maritima* Herbarii aegyptiaci Delil., ex clariss. Delil. in Litt.: ejusdemque *Trigonellae* specimina aegyptiaca cum

siculis *Trigonellae litoralis* et cum sardois speciminibus mihi collata omnino congruunt.

299. TRIGONELLA MONSPELIACA

T. pubescens, prostrata; foliolis obovato-rhombeove-cuneatis; stipulis lanceolatis, integris, dentatisve; racemis umbelliferis subsessilibus; leguminibus linearibus, arcuatis, divaricatis, transverse reticulato-nervosis, pubescentibus glabrisve.

Trigonella monspeliaca Linn. Sp. p. 1095. Willd. Sp. 3. p. 1401. Desf. Fl. atl. 2. p. 208. Urv. En. pl. Archip. p. 97. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 109. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 225. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 550. et Suppl. p. 236. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 380. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 31. DC. Fl. fr. 4. p. 552. Lois. Fl. gall. 2. p. 139. Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Buceras monspeliacum All.! Fl. ped. 1. p. 313.

Ic. — Waldst. et Kit. Hist. pl. Hung. 2. tab. 142. Iconogr. taurin. 16. tab. 23. ic 2.

Foenugraecum polyceraton Riv. Tetr. irr. tab. 82.

Hedysarum minimum Dalech. Hist. 1. p. 446. ic. 1. (*foliis nimium dentatis peccat*).

Securidacae genus triphyllon J. Bauh. Hist. 2. p. 373. ic. A Chabr. Sciagr. p. 160. ic. 6. A (*foliis omnibus truncatis et apice dumtaxat dentatis*).

Foenum graecum sylvestre, minimum, polyceraton Moris. Hist. sect. 2. tab. 17. ic. 4.

Caules ex eadem radice plures, biunciales, semipedales, ramosi, prostrati. Folia longiuscule petiolata: foliola obovato- vel rhombeo-cuneata, versus apicem aut apice dumtaxat denticulata, nervis lateralibus parallele ascendentibus. Stipulae lanceolatae vel lanceolato-acuminatae, modo integrae, modo dentatae. Flores 5-15, minimi, in racemum capitatum, axillarem, sessilem aut fere sessilem congesti, rachide apice vix producta. Corolla lutea, exigua. Calicis laciniae lineari-subulatae. Legumina linearia, subcompressa, arcuata, divergentia, glabra aut pubescentia, duas tertias lineae partes crassa, quinque-sex lineas longa. Semina rufescentia, oblonga, utrinque subtruncata, glabra, leviter (oculo armato) rugoso-tuberculata, hilo laterali. — Planta plus minusve pubescens, pallide virescens aut canescens.

In pascuis et in arvis.

Fl. aprili, majo. ⊙

XCVI. MELILOTUS

Melilotus Juss. Gen. p. 356. DC. Prod. 2. p. 186. Tourn. Inst. p. 406. tab. 229. Lmck. Ill. tab. 613. Gaertn. Fr. 2. tab. 153. Trifolii sp. Linn.

Calix tubulosus, quinquedentatus. Stamina diadelpha. Legumen coriaceum, ovale, globulosum, ovatum obovatumve, parvum, lacunoso-rugosum arcuatimve nervoso-striatum, mono-dispermum, vix dehiscens, calicem superans. — Flores longe racemoso-spicati.

300. MELILOTUS INDICA

M. foliolis oblongo-cuneatis, infimis obovatis; stipulis integris; racemis densifloris; leguminibus lacunoso-rugosis, ovatis obovatisve, obtusis, mono-dispermis floribusque minimis.

Melilotus indica All.! Fl. ped. 1. p. 308. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 249. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 216.

M. parviflora Desf. Fl. atl. 2. p. 192. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 187. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 483. et Suppl. p. 230. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 370. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 20. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 177. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 29. DC. Fl. fr. 4. p. 538. Lois. Fl. gall. 2. p. 128.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Trifolium Melilotus indica δ. Linn. Sp. p. 1077.

T. indicum δ. Willd. Sp. 3. p. 1353.

Ic. — Tab. lvi. Iconogr. taurin. 21. tab. 18.

Trifolium Melilotus indica Gaertn. Fr. 2. tab. 153.

Caulis solitarius, erectus aut plures quorum centrales erecti, laterales ascendentes, ramosi, semipedales, bipedales, versus apicem puberuli. Foliola inferiora obovata aut obovato-cuneata, utrinque glabra aut glabrata, media oblongo-cuneata superioraque sensim angustiora subindeque oblongo-linearia, subtus plus minusve pilosiuscula, omnia truncata vel obtusa, serrato-denticulata nonnullave ex infimis integra. Stipulae integrae, acuminatae, inferiores lanceolatae, superiores lineares. Racemi valde graciles, confertim floriferi, mox laxiusculi, rachide pilosiuscula, apice breviter aut neutiquam

producta. Flores lutei, minimi, lineam circiter longi; carina et alis vexillo paullo brevioribus. Legumina exigua, mono-disperma, lacunoso-rugosa glabraque. Semina rufescentia, tenuiter (oculo armato) tuberculata.

In pascuis et in arvis.

Fl. aprili, majo. ①

301. MELILOTUS NEAPOLITANA

M. foliolis obovato-cuneatis, summis lineari-cuneiformibus; stipulis integris; racemis laxifloris; leguminibus lacunoso-rugosis, globulosis, obtusis, mono-dispermis, pilosis, demum glabratis.

Melilotus neapolitana Tenor.! Fl. neap. Prod. Suppl. 1. p. LXII. et Syll. p. 370. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 482. et Suppl. p. 230.

M. gracilis DC.! Fl. fr. Suppl. p. 565. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 188. Lois. Fl. gall. 2. p. 128.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 176. ic. 1.

Caulis solitarius vel ex eadem radice plures, semipedales, pedales et paullo ultra, ramosi. Foliola obtusa, obovato-cuneata subindeve nonnulla rhombeo-cuneata, versus apicem denticulata, superiora sensim angustiora, summa lineari-cuneiformia. Stipulae inferiores lanceolato-lineares, superiores lineares, omnes acuminatae integraeque. Pedunculi uni-biunciales, folium superantes, apice breviter aut saepe non producti. Flores lutescentes, duas lineas circiter longi, alis et carina vexillo vix brevioribus. Legumina patula aut erectiuscula, globulosa, lacunoso-rugosa, obtusa styloque mucronata, mono-disperma, juniora pilosa, matura glabrata. Semina orbiculato-compressa, rufescentia, tenuissime (oculo armato) tuberculata. — Planta puberula, foliis facie glabris, adultis cauleque glabratis.

In pascuis montanis Sardiniae orientalis circa Galtellì et Orosei.

Fl. aprili, junio. ①

302. MELILOTUS ITALICA

M. foliolis obovato-orbiculatove-cuneatis, summis oblongo-cuneatis; stipulis inferioribus laciniato-dentatis, superioribus subintegris; legu-

minibus lacunoso-rugosis, subsuberosis, globoso-obovatis, obtusis, glabris, majusculis, mono-dispermis.

Melilotus italica CAMERAR. Hort. p. 99. LMCK. Dict. 4. p. 67. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 188. DESF. Fl. atl. 2. p. 192. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 53. URV. En. pl. Archip. p. 93. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 481. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 249. ALL.! Fl. ped. 1. p. 309. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 2. p. 29. DC. Fl. fr. 4. p. 438. LOIS. Fl. gall. 2. p. 129. CAMBESS. En. pl. balear. p. 65.

M. rotundifolia TENOR.! Fl. nap. Prod. p. 56. et Syll. p. 371.

Trifolium italicum WILLD. Sp. 3. p. 1356. SIBTH. et SM Fl. graec. Prod. 2. p. 94.

T. Melilotus *italica* LINN. Sp. p. 1078. SAVI Fl. pis. 2. p. 170.

Ic. — TENOR. Fl. nap. tab. 176. ic. 3. Iconogr. taurin. 6. tab. 60. et 13. tab. 51.

Melilotus italica CAMERAR. Hort. tab. 29.

Trifolium magno semine, rotundo, rugoso J. BAUH. Hist. 2. p. 371. ic. 2. ☆ CHABR. Sciagr. p. 159. ic. 1. ☆ (*malae*).

Melilotus siliculis pendentibus, curtis, lutea; magno seminis pericarpio rugoso MORIS. Hist. sect. 2. tab. 16. ic. 4. (*seriei secundae*) et tab. 15. ic. d.

Caules dodrantales, bipedales, erecti vel ascendentes, eximie angulati, fistulosi, ramosi. Foliola facie virentia, subtus glaucescentia, basi cuneata, apice pleraque rotundata, inferiora decem-sexdecim lineas lata, superiora sensim angustiora, summa oblongo-cuneata, omnia versus apicem dentata, dentibus latiusculis et remotiusculis, aliquot nonnumquam integra aut fere integra. Stipulae inferiores laciniato-dentatae, superiores angustiores integrae nonnullaeve interdum bifidae. Pedunculi longitudine 3-9-unciales foliumque multo superantes. Flores lutei, tres circiter lineas longi: carina vexillo brevior: alae carina paullo breviores. Legumina duas fere lineas crassa, mono-disperma. Semina rufescentia, orbiculato-compressa, tenuiter (oculo armato) tuberculosa. — Planta glabra, foliolis subtus interdum vix pilosis.

In pascuis collinis Barì, S. Rocco-Pula, Villamassargia, Bosa.

Fl. martio, aprili. ①

Ital. *Tribolo a foglio grande.*

303. MELILOTUS ELEGANS

M. foliolis inferioribus obovato-orbiculatove-cuneatis, superioribus oblongo-cuneatis; stipulis integris; leguminibus mono-dispermis, transversim curveque plicato-sulcatis, ovalibus, utrinque attenuatis, acutis, sutura seminifera gibba.

Melilotus elegans Salzm.! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 188. Duby Bot. gall. 2. (App.) p. 1026.

M. collina Guss.! Fl. sic. Prod. Suppl. p. 230.

Ic. — Tab. LVII.

Caulis semipedalis, bipedalis et ultra, striato-angulatus, fistulosus, ramosus, inferne glaber, superne pilosiusculus. Foliola glabra aut subtus pilosiuscula, versus apicem serrulata, inferiora fere ut in *Meliloto italica*, sed quatuor-novem lineas lata, summa oblonga aut oblongo-cuneata angustioraque. Stipulae integrae, lanceolato-acuminatae, superiores sensim tenuiores. Pedunculi sesqunciam-tresuncias longi, glabri aut vix pilosiusculi, folium superantes. Bracteolae subulatae, ad basim pedicellorum dispositae iisque breviores. Flores duas lineas circiter longi. Calix corolla duplo brevior, vix pilosiusculus, dentibus triangulo-lanceolatis, superioribus duobus longioribus, infimo breviore. Corolla flava: alis et carina subaequalibus, vexillo vix brevioribus. Legumina pendula, utrinque attenuata, lineam circiter crassa, duas circiter lineas longa, acuta aut fere acuminata, glabra styloque mucronata. Semina rufescentia, tenuiter (oculo armato) tuberculata.

In pascuis et in arvis.

Fl. aprili, majo. (1)

304. MELILOTUS MESSANENSIS

M. diffusa; foliolis obovato-cuneatis, superioribus oblongo-cuneatis; stipulis basi latis, integris dentatisve; racemis folio brevioribus; leguminibus mono-dispermis, majusculis, arcuatim dense nervuloso-sulcatis, inaequaliter ovalibus, apice attenuatis, acutis.

Melilotus messanensis All.! Fl. ped. 1. p. 309. Desf. Fl. atl. 2. p. 192. Delil.

Fl. aegypt. Ill. p. 100. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 53. Urv. En. pl. Archip. p. 93. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 216. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 487. et Suppl. p. 231. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 371. DC. Fl. fr. 4. p. 539. Lois. Fl. gall. 2. p. 128.

Trifolium messanense Willd. Sp. 3. p. 1353. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 93.

T. Melilotus *messanensis* Linn. Mant. p. 175.

Ic. — Tab. lviii. Iconogr. taurin. 6. tab. 63. et 24. tab. 19.

Trifolium fructu racemoso Bocc. Mus. tab. 124. (*satis bona, etsi stipulis careat*).

Melilotus minima, recta, lutea; siliquis crassis, curtis, in capitulum congestis, radiatis; semine Foenugraeci Moris. Hist. sect. 2. tab. 16. ic. 9.

Caulis vel solitarius erectus ramis diffusis, ascendentibus aut procumbentibus, vel plures decumbentes, seu centrales erecti, caeteri diffusi, longitudine palmares, bipedales. Foliola crassiuscula, versus apicem serrato-denticulata, rotundata truncatave, nonnulla interdum obcordato-cuneata. Stipulae lanceolato-acuminatae, saepius integrae, rarius dentatae, basi dilatatae praesertim inferiores. Pedunculi sex-quindecimflori, decem-duodecim lineas longi, in setulam aristamve abeuntes. Flores lutei, duas lineas longi: carina alas, vexillo carinam vix superante. Legumina glabra, duas-tres lineas longa, unam et paullo ultra aut fere duas crassa, apice attenuata acutaque, monosperma, rarissime disperma. Semina rufescentia, inaequaliter ovalia, vix (oculo armato) tuberculato-punctata. — Planta glabra racemis et foliis junioribus subtus interdum pilosiusculis.

In humidis vel uliginosis maritimis: frequens.

Fl. aprili, majo. ①

305. MELILOTUS SULCATA

M. foliolis infimis obovato-cuneatis, superioribus lineari-oblongove-cuneatis; stipulis dentatis, supremis integris; leguminibus obovato-orbiculatis, obtusis, arcuatim dense nervulosis sulcatisque, monospermis.

Melilotus sulcata Desf.! Fl. atl. 2. p. 193. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 100. Urv. En. pl. Archip. p. 93. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 484. et Suppl. p. 230. Tenor. Fl. neap. Syll. App. 3. p. 618. DC. Fl. fr. 4. p. 538. Lois. Fl. gall. 2. p. 128. Cambess. En. pl. balear. p. 65.

Trifolium mauritanicum Willd. Sp. 3. p. 1354. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 93.

T. sulcatum Viv. Fl. lyb. spec. p. 45.

Ic. — Tab. lix. A.

Meliloto vulgari nostrati affinis, folio minore et angustiore J. Bauh. Hist. 2. p. 371.? Chabr. Sciagr. p. 158. ic. 6.? (*stipulae nullae, foliola integra vel apice dumtaxat dentata*).

β. *compacta*, foliolis intense viridibus, racemis densis.

Melilotus compacta Salzm.! Pl. exsiccat. Herbar. ting. apud DC. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 485. et Suppl. p. 230.

M. sulcata β. *major* Cambess. l. c.

Ic. — Tab. lix. B.

Caulis vel solitarius erectus, ramis ascendentibus diffusisve, vel plures, interdum decumbentes, saepius autem centrales erecti, laterales ascendentes aut procumbentes, glabri aut versus apicem praesertim puberuli, longitudine palmares, sesquipedales. Foliola serrulato-denticulata, inferiora obovata, media modo obovata, modo oblonga, superiora sensim angustiora, oblonga aut in α potissimum lineari-oblonga, basi omnia, superioribus interdum aliquot exceptis, cuneata, facie glabra, subtus puberula, adulta, praecipue inferiora, glabrata. Stipulae acuminatae, inferiores basi latiusculae, dentatae, vel laciniato-dentatae, superiores lineari-subulatae, saepe integrae. Pedunculi aristati, unciam unam, duas et semis longi, folium superantes subindeve aequantes aut vix eo breviores. Flores flavi, duas fere lineas longi, paullo minores ac in praecedente. Legumina vix lineam aut fere lineam unam et semis crassa, lineam circiter unam aut unam et semis et paullo ultra longa, glabra. Semina suborbiculata, rufescentia, (oculo armato) tuberculata.

In ruderatis, in pascuis et in arvis frequens: var. β praesertim in maritimis. Fl. martio, majo. ①

Obs. Meliloti sulcatae var. nostra β differt ab α foliolis valde viridibus nec pallide virentibus, mediis et superioribus minus attenuatis, racemis plerumque compactis, leguminibus (apud nos) saepe exiguioribus; sed racemos in α compactos uti in β, legumina in utraque varietate ejusdem magnitudinis foliorumque faciem variam ex pluribus inter se collatis speciminibus animadverti.

XCVII. TRIFOLIUM

Trifolium Juss. Gen. p. 355. DC. Prod. 2. p. 169. Tourn. Inst. p. 404. tab. 228. Lmck. Ill. tab. 613. Gaertn. Fr. tab. 153. Paramesus, Amarenus, Lupinaster, Amoria, Micrantheum, Trifolium, Mistyllus, Galearia et Calycomorphum Presl Symb. bot. fasc. 2. p. 45-50.

Calix tubulosus, 5-dentatus 5-fidusve. Corolla marcescens siccescensve, saepissime persistens. Stamina diadelpha. Legumen parvum, vix dehiscens, mono-oligospermum, calice tectum aut semitectum. — Flores capitati aut dense spicati, raro solitarii.

SPECIES

a. *Floribus sessilibus aut subsessilibus, purpureis, albis aut ochroleucis (non flavis); calicibus demum haud inflatis; leguminibus monospermis, raro dispermis* (Lagopoda).

* *Spicis conicis, longis, terminalibus, solitariis, fructiferis basi nudis.*

Trifolium angustifolium. T. incarnatum.

** *Spicis conico-oblongis ovatisve, terminalibus, subgeminatis, fructiferarum altera vel brevius pedunculata foliove florali insidente, vel omnibus folio florali insidentibus.*

T. ligusticum. T. Bocconi.
T. arvense. T. striatum.
T. phleoides.

*** *Spicis capitulisve omnibus solitariis atque sessilibus in axillis foliorum lateralium et terminalium, alternorum.*

T. scabrum. T. glomeratum.
T. suffocatum.

**** *Capitulis fructiferis, basi stipulis superiorum foliorum binis, latis, bracteantibus involucratis.*

T. pratense. T. Cherleri.
T. diffusum.

***** *Capitulis fructiferis globosis ovatisve, raro oblongis, basi plerumque nudis; foliis supremis binis oppositis.*

T. lappaceum. T. squarrosum.
T. ochroleucum. T. leucanthum.
T. maritimum.

****** *Capitulis fructiferis globosis ovatisve, raro ovalibus, basi nudis; foliis omnibus alternis.*

T. stellatum. T. subterraneum.
T. strictum.

b. *Calicibus demum inflato-ventricosis* (vesicaria).

T. spumosum. T. resupinatum.
T. fragiferum. T. tomentosum.

c. *Capitulis subumbellaribus , nudis ; pedicellis demum pendulis ; corolla albida vel rosea (haud flava); leguminibus di-hexaspermis* (lotoidea).

T. repens. T. michelianum.
T. nigrescens.

d. *Corolla lutea, scariosa* (lupulina).

T. procumbens. T. filiforme.

a. *Floribus sessilibus aut subsessilibus, purpureis, albis aut ochroleucis (non flavis); calicibus demum haud inflatis; leguminibus monospermis, raro dispermis* (Lagopoda).

* *Spicis conicis, longis, terminalibus, solitariis, fructiferis basi nudis.*

306. TRIFOLIUM ANGUSTIFOLIUM

T. foliolis anguste linearibus, integerrimis, superioribus acutissimis; stipularum caudis acuminato--setaceis; spicis conicis, longis; calicinis laciniis setaceo-subulatis, rigentibus, calicis pilosissimi tubo subaequalibus, infima caeteris longiore corollam subaequante.

Trifolium angustifolium Linn. Sp. p. 1083. Willd. Sp. 3. p. 1372. Savi! Obs. Trif. p. 58. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 189.

Desf. Fl. atl. 2. p. 198. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 46. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 98. Urv. En. pl. Archip. p. 94. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 218. α. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 508. et Suppl. p. 233. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 371. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 253. Savi Fl. pis. 2. p. 152. et Bot. etr. 4. p. 29. All.! Fl. ped. 1. p. 305. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 529. Lois. Fl. gall. 2. p. 125. Cambess. En. pl. balear. p. 65.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

T. spicis villosis, conico-oblongis; dentibus calicinis setaceis subaequalibus; foliolis linearibus VALL. et ALL. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 218.

Ic. — STURM. Fl. germ. fasc. 16. Iconogr. taurin. 7. tab. 51.
Lagopus hispanicus RIV. Tetr. irr. tab. 16.
Trifolium lagopodoides angustifolium MORIS. Hist. sect. 2 tab. 13. ic. 1.
T. alopecurum, angustifolium, elatius BARR. Ic. tab. 698.

Caules modo solitarii, simplices aut e basi ramosi, modo plures, erecti aut ascendentes, palmares, pedales et ultra, superne praesertim adpresse pilosi, pilis basi glandulosae insidentibus. Foliola lineam unam-duas lata, variant, vel utrinque, vel subtus aut margine adpresse pilosa, radicalia et saepe caulina infima linearia vel lineari-oblonga, obtusa, caetera sensim longiora, acutioraque seu magis acuminata, suprema interdum longitudine plus quam biuncialia. Stipulae ciliatae, basi longe connatae, membranaceae, albidae, nervosae, nervis virentibus, caudis e basi triangula lineari-setaceis, glabris ciliatisve et pilo uno alterove saepe terminatis. Spicae conico-oblongae aut conico-teretes subindeve nonnullae conico-ovales, inter octo lineas et duas uncias longae, interdum triunciales. Calix 10-nervius, pilis obsitus rigidulis, basi callosae perinde ac in caule insidentibus, fructifer patulus, fauce calloso annulo coarctata: calicinae laciniae tubum calicis subaequantes, subulatae, apice nudae atque spinescentes, modo corolla breviores, infima longiore corollam subaequante, modo corollam aequantes infima superante. Corolla plus minusve purpurascens. Legumen monospermum, membranaceum, breviter rostratum. Semina ovata, flavo-rufescentia, laevia, matura non compressa.

In pascuis et in arvis Sardiniae et insulae Tavolara.
Fl. aprili, majo. ①
Ital. *Trifoglio striggine. Coda di volpe. Trafogliolo.*

307. TRIFOLIUM INCARNATUM MOLINERII

T. foliolis obovatis obcordatisve, denticulatis; stipularum caudis ovatis, brevibus, obtusiusculis; spicis conicis, longis; calicinis laciniis setaceis, subaequalibus, calicis villosi tubo paullo longioribus, corolla (albido-rosea) brevioribus.

Trifolium incarnatum β Molinerii Sering.! in DC. Prod. 2. p. 190. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 507. et Suppl. p. 233. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 371. B et C.
T. incarnatum Desf. Fl. atl. 2. p. 196. Biv. Sic. Cent. 2. p. 65.
Ph. Thomas ! Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.
T. stramineum Presl Fl. sic. 1. p. xx. ex ejus Symb. fasc. 3. p. 48.
T. Molinerii Balb.! Cat. H. taur. (1813.) App. 1. p. 17.

Ic. — Trifolium alopecurum, latifolium; spica longa Barr. Ic. tab. 697.
T. albo-incarnatum, spicatum, sive Lagopus maximus J. Bauh. Hist. 2. p. 376. ic. 4 ✧ Chabr. Sciagr. p. 161. ic. 6. ✧

Caules saepe plures, quorum centrales erecti, laterales ascendentes vel decumbentes, simplices aut e basi ramosi, adpresse molliterque pilosi, longitudine palmares, pedales et ultra. Foliola utrinque adpresse pilosa, versus apicem denticulata, obovata vel rarius obcordato-cuneata, interdum orbiculato-cuneata. Stipulae late vaginantes, membranaceae, albidae, glanduloso-pubescentes, nervosae, nervis viridibus, ramosis, caudis brevibus, ovatis, denticulatis, obtusis aut acutiusculis, subinde foliaceis aut purpurascentibus. Spicae ovato-oblongae seu cylindraceae, longitudine fere unciales, biunciales. Calix 10-nervius, valde pilosus, pilis glandulosa seu tuberculosa basi insidentibus, laciniis subulatis, pilosis, apice nudis, demum patulis, calicisque fructiferi, fauce vix pervii, tubum paullo superantibus. Corolla albida vel rosea, vexillo longo, versus apicem attenuato, obtusiusculo. Legumen membranaceum, oblongum, breviter rostratum, monospermum. Semina ovalia, flavo-rufescentia, laevissima, matura non compressa.

In pascuis collinis maritimis circa Carbonara, Flumini-major, in insula Tavolara et in montanis Sardiniae centralis, Barbargie, Fonni.

Fl. aprili, junio. ①

** *Spicis conico-oblongis ovatisve, terminalibus, subgeminatis, fructiferarum altera vel brevius pedunculata foliove florali insidente, vel omnibus folio florali insidentibus.*

508. TRIFOLIUM LIGUSTICUM

T. foliolis obovatis obcordatisve, obsolete denticulatis integrisve; spicis geminatis, conico-oblongis, mox cylindraceis, fructiferarum

altera brevius pedunculata aut sessili; calicinis laciniis setaceis, subaequalibus, calicis pilosi tubo corollaque longioribus.

Trifolium ligusticum Balb.! ex Savi Att. Accad. ital. 1. p. 192. et Obs. Trifol. p. 38. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 191. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 497. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 372. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 251. Savi Bot. etr. 4. p. 21. Bertol.! Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 394. Badar. Fl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. Lois. Fl. gall. 2. p. 121. Duby Bot. gall. 1. p. 130.

T. arrectisetum Brot. Phyt. p. 152.

T. aristatum Link. En. pl. H. Berol. 2. p. 162.

Ic. — Att. Accad. ital. l. c. ic. 2. Brot. l. c. tab. 63. ic. 1. (*bona*).

Trifolium stellatum, alpinum, spanostachium, setosum, lene, minus Bon. tab. 139.

Caulis vel solitarius erectus, vel plures erecti aut ascendentes diffusive, palmares, sesquipedales, patenter pilosi, raro simplices, plerumque parce ramoso-dichotomi, adulti saepe purpurascentes. Foliola pilosa, late obovata vel obcordata, basi plus minusve cuneata, apice pleraque rotundata, suprema saepe elliptico-cuneata. Stipulae membranaceae, pilosae, albidae aut purpurascentes, nervosae, caudis lanceolato-linearibus, acuminatis. Spicae geminatae, longitudine fere semiunciales, unciales, quarum altera longius pedunculata et basi nuda, altera florifera subsessilis seu folio florali uno alterove basi stipata, fructifera breviter saepe pedunculata. Calicis 10-nervii, pilosi faux annulo calloso denique coarctata: calicinae laciniae e basi triangulari, setaceae, saepe purpurascentes, calicis tubo, demum campanulato, longiores. Corolla laciniis calicinis brevior, rosea: carina apice rubra alis breviore; vexillo alas superante. Legumen membranaceum, monospermum. Semina exigua, reniformi-ovata, laevia, lutescentia.

In campis et in collibus maritimis Carbonara, la Frontera Cuglieri, insularum S. Pietro et la Maddalena nec non in montanis monte Santo Pula, Sette Fratelli.

Fl. aprili, junio. ①

309. TRIFOLIUM ARVENSE

T. foliolis apice obsolete denticulatis, subemarginatis, infimis obovato-oblongove-cuneatis, caeteris oblongo-linearibus, supremis

mucronulatis; spicis molliter villosissimis, oblongo-cylindraceis ovatisve, subgeminatis, fructiferarum altera brevius pedunculata aut subsessili; calicinis laciniis setaceis, aequalibus, calicis tubo corollaque multo longioribus.

Trifolium arvense Linn. Sp. p. 1083. Willd. Sp. 3. p. 1373. Savi Obs. Trifol. p. 17. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 190. Desf. Fl. atl. 2. p. 198. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 99. Urv. En. pl. Archip. p. 95. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 218. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 509. et Suppl. p. 233. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 372. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 250. Savi Bot. etr. 4. p. 13. All.! Fl. ped. 1. p. 305. DC. Fl. fr. 4. p. 530. Lois. Fl. gall. 2. p. 125.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

T. spicis villosis, ovalibus; dentibus calicinis setaceis, aequalibus All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 102. et Florul. corsic. ibid. 2. p. 218.

Ic. — Engl. bot. 14. tab. 944. Fl. dan. tab. 724. Iconogr. taurin. 7. tab. 52-53. Gaertn. Fr. tab. 153. Lmck. Ill. tab. 613. a. b. c. d. (*spica, calix, semen: icon a* Gaertnero *deprompta*).

Lagopus Fuchs. Hist. p. 494. ic. ☆ Riv. Tetr. irr. tab. 15. Dod. Pempt. p. 577. ic. 1. ✦ (*stipulis nullis*). Math. Valgr. p. 983. ic. (*foliis latioribus*).

L. trifolius quorumdam J. Bauh. Hist. 2. p. 377. ic. 2. ☆ Chabr. Sciagr. p. 167. ic. 6. ☆ (*malae*).

L. Pes leporis Lob. Obs. p. 498. ic. 4. ✦ et Icon. 2. p. 39. ic. 1. ✦

L. angustifolia minor, erectior Barr. Ic. tab. 901. (*bona*).

Lotus campestris Trag. Hist. p. 595. ic. ☆ (*mala*).

Trifolium lagopodoides arvense, humile Moris. Hist. sect. 2. tab. 13. ic. 8. (*foliis subsessilibus*).

T. arvense spicatum Zannich. Ist. tab. 147.

Caulis vel solitarius erectus, vel plures quorum centrales erecti, laterales ascendentes diffusive, palmares, pedales et paullo ultra, ramosi. Foliola apice (oculo armato) vix denticulata nonnullaque integra, pleraque, praesertim inferiora, emarginata, radicalia et quae proxime sequuntur obovato- vel oblongo-cuneata, mox lineari-spathulata, caetera lineari-oblonga, lineam vix unam-duas, raro ex inferioribus aliquot tres fere lineas lata, superiora sensim angustiora longioraque et apice magis attenuata ibidemque mucronulata. Stipulae albo-membranaceae, nervosae, nervis virentibus aut rubentibus, caudis

e basi triangula lineari-setaceis. Spicae ovato- vel cylindrico-oblongae subindeve ovatae, fere semiunciales, sesquiunciales, subgeminatae, altera longius pedunculata et basi nuda, altera (florifera) basi folio stipata in eodemque folio sessilis, mox brevius pedunculata. Calicis tubus ovatus, villosissimus, 10-nervius, fauce coarctatus, laciniae setaceae, villis patulis, mollibus plumosae. Corolla albida aut rubella, calice brevior. Legumen membranaceum, monospermum. Semina exigua, pulchre lutescentia, laevia, globulosa. — Planta molliter villosa, variat foliolis cineraceo-canescentibus, virentibus et in superiori pagina glabriusculis.

In arvis et in pascuis maritimis montanisque Sardiniae: et insulae la Maddalena. Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Trifoglio piè di lepre. Erba lepre. Lagopo micino.*

310. TRIFOLIUM PHLEOIDES

T. foliolis apice obsolete denticulatis, obtusis, emarginatis, infimis obovato-oblongove-cuneatis, caeteris oblongo-linearibus, supremis mucronulatis; spicis cylindraceo-oblongis ovatisque subgeminatis, altera brevius pedunculata aut sessili omnibusve sessilibus; calicinis laciniis subulatis, rigentibus, subaequalibus, calicis pubescentis tubo paullo longioribus brevioribusve, corollam subaequantibus, basi demum dilatatis patulisque.

Trifolium phleoides Pourr. in Willd. Sp. 3. p. 1377. Savi Bot. etr. 4. p. 25. (*in notis*). Sering.! in DC. Prod. 2. p. 191. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 496. Tenor.! Fl. neap. Syll. p. 372.

T. erinaceum et Gemellum Sering.! in DC. Prod. 2. p. 191.

Ic. — Tab. LX.

Caulis gracilis, sed firmior quam in *Trifolio arvensi*, inferne glaber, superne adpresse pilosus, modo solitarius, erectus, modo plures quorum centrales erecti, laterales ascendentes. Foliola minus mollia pilisque minus mollibus praedita, caetera stipulaeque ut in *Trifolio arvensi.* Spicae tres-decem lineas longae, nonnullae subinde ovatae, pleraeque conico-oblongae, fructiferae cylindraceo-oblongae. Calix pubescens, tubo decemnervio, cylindraceo, mox ovato, fauce

pervio, laciniis e basi triangula et margine membranacea lineari-subulatis, rigentibus, in eadem interdum etiam spica longitudine variis, modo calicis tubo paullo longioribus aut brevioribus, modo ei aequalibus, demum patulis. Corolla rubella laciniarum calicinarum longitudine aut paullo brevior. Legumina monosperma. Semina ovata, laevia, helvola.

Planta palmaris, pedalis et ultra variat 1.° caule simplicissimo aut ramoso; 2.° spicis solitariis et geminatis; 3.° geminatarum altera florifera fructiferaque, in summis ramulis ad folii floralis axillam, modo sessili, modo (in eadem etiam planta) brevius pedunculata, plerumque vero florifera sessili, fructifera brevius pedunculata; 4.° spicis omnibus, etiam fructiferis, folii floralis axillae insidentibus: unde *Trifolia* spicis geminatis, sive pedunculatis sive folio insidentibus, in eamdem sectionem coalescunt.

In pascuis apricis Muravera, Flumini-major, Guspini, Bosa.
Fl. ab aprili ad junium. ①

311. TRIFOLIUM BOCCONI

T. foliolis denticulatis, infimis obovato- caeteris oblongo-cuneatis; spicis folio florali insidentibus, oblongo-cylindraceis ovatisque, subgeminatis; calicinis laciniis superioribus duabus brevioribus, infima caeteras paullo superante, calicis pubescentis tubo teretiusculo breviore, corollam subaequante.

Trifolium Bocconi Savi! Att. Accad. ital. 1. p. 191. et Obs. Trifol. p. 37. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 192. Viv. Fl. cors. Diagn. p. 14. Urv. En. pl. Archip. p. 96. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 219. α. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 495. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 372. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 251. Savi Bot. etr. 4. p. 21. DC. Fl. fr. Suppl. p. 560. Lois. Fl. gall. 2. p. 123.
Requien.! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.
T. semiglabrum Brot. Phyt. 1. p. 156.

Ic. — Savi Att. Accad. ital. l. c. ic. 1. (*mala*). Brot. l. c. tab. 63. ic. 2.
Trifolium nodiflorum Bocc. Mus. tab. 104.

Caulis raro erectus solitarius et simplex, saepius vel e basi ramosus, ramis ascendentibus aut procumbentibus, vel ex eadem ra-

dice plures procumbentes, aut centrales erecti, laterales ascendentes, simplices vel superne parce breviterque ramosi, pubescentes, biunciales, semipedales, raro dodrantales. Foliola variant utrinque aut subtus vel margine pubescentia, vel utrinque glabra, versus apicem denticulata subindeve fere integra, inferiora duas et semis aut fere tres lineas lata, superiora longiora paulloque angustiora. Stipulae basi connatae, nervosae, membranaceae, caudis, in eadem interdum planta, plus minusve longe lineari-setaceis. Spicae ovatae, oblongae aut cylindraceo-oblongae, lineas tres, tres et semis crassae, quatuor-octo longae, folio florali ejusque stipula bracteante basi omnes involucratae, in eodem folio sessiles, in eademque saepe planta aliae solitariae, aliae geminae, raro omnes geminae. Calix 10-nervius, pubescens, fauce apertus, laciniis rigidis, subulatis, superioribus duabus brevioribus, infima caeteris paullo longiore, corollae aequali eademve paullo breviore, omnibus demum conniventibus erectisve. Corolla rubella. Legumen membranaceum, monospermum. Semina ovalia, laevia, flavescentia vel flavo-rufescentia.

In pascuis montanis Sette Fratelli, monte Santo Pula et in campis maritimis Pula, Cagliari alla Maddalena, Carbonara.

Fl. aprili, majo. ①

312. TRIFOLIUM STRIATUM

T. foliolis obovato-obcordatove-cuneatis, denticulatis, summis ovali-cuneiformibus; spicis folio florali insidentibus, ovato-oblongis ovatisve, subsolitariis; calicinis laciniis subulatis, infima caeteris vix longiore, calicis villosi, mox ventricosi tubum corollamque subaequante, omnibus demum patulis.

Trifolium striatum Linn. Sp. p. 1085. Willd. Sp. 3. p. 1376. Savi Obs. Trifol. p. 39. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 192. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 492. et Suppl. p. 231. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 252. Savi Fl. pis. 2. p. 156. (*excl. syn.* All.) et Bot. etr. 4. p. 22. All.! Fl. ped. 1. p. 306. DC. Fl. fr. 4. p. 532. Lois. Fl. gall. 2. p. 123.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

T. incanum Presl Delic. prag. p. 51. ex ejus Symb. bot. p. 48.

Ic. — Engl. bot. 26. tab. 1843. (*planta junior, calicis seorsim picti tubo lon-*

giore). Fl. dan. tab. 1171. (*calicis laciniis aequalibus*). Iconogr. taurin. 27. tab. 90.

Trifolium minus, villosum, purpureum; capite parvo, echinato Barr. Ic. tab. 869.

T. hirsutum, flore parvo, dilute purpureo, in glomerulis oblongis, semine magno Vaill. Bot. paris. tab. 33. ic. 2.

Caules erecti, ascendentes diffusive, ex eadem saepe radice plures, pubescentes, plus minusve ramosi, palmares, sesquipedales. Foliola utrinque adpresse molliterque pubescentia, inferiora breviora, obovata, vel rarius obcordata, superiora longiora ovali- aut oblongo-cuneiformia, saepe acutiuscula. Stipulae albo-membranaceae, pubescentes, nervosae, nervis virentibus aut purpurascentibus; caudis e basi triangula acuminato-setaceis. Spicae plerumque solitariae, raro aliquot in summo praesertim caule geminatae, folio florali ejusque stipula bracteante omnes basi involucratae, in summitate caulis ramulorumque lateralium terminales subindeve aliqua, cum proprio folio florali, folii lateralis axillae insidente, floriferae saepe ovatae, fructiferae variant ovatae, ovato-oblongae aut rarius oblongo-cylindraceae, tres lineas circiter crassae, tres-septem longae. Calix 10-nervius, villosus, florifer teretiusculus, fructifer ovato-globosus fauceque annulo coarctatus: laciniae ejus glabriusculae, demum patulae, tubo breviores, infima caeteris paullo longiore. Corolla rubella, calicem plerumque paullo superans. Legumina monosperma. Semina matura globulosa, rufescentia, ratione plantae majuscula.

In campis maritimis Sardiniae et insulae S. Pietro, nec non in montanis Sette-Fratelli, Fonni.

Fl. aprili, majo. ①

**** Spicis capitulisve omnibus solitariis atque sessilibus in axillis foliorum lateralium et terminalium, alternorum.*

313. TRIFOLIUM SCABRUM

T. foliolis obovato-cuneatis, nervosis, denticulatis, summis ovali-cuneiformibus; spicis ovatis ovalibusve, solitariis, axillaribus, lateralibus terminalibusque, subsessilibus; calicinis laciniis lanceolato-linearibus, superioribus duabus brevioribus, infima caeteris longiore

calicis pubescentis tubum cylindraceum corollamque subaequante, omnibus demum recurvo-patentibus.

Trifolium scabrum Linn. Sp. p. 1084. Willd. Sp. 3. p. 1374. Savi Obs. Trifol. p. 45. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 192.

Desf. Fl. atl. 2. p. 199. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 75. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 45. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 99. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 249. α. Urv. En. pl. Archip. p. 96. Biv. Sic. Cent. 2. p. 68. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 493. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 373. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 252. Savi Bot. etr. 4. p. 24. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 395. All.! Fl. ped. 1. p. 306. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 532. Lois. Fl. gall. 2. p. 125.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Ic. — Engl. bot. 26. tab. 903. (*floribus purpurascentibus*).

Trifolium flosculis albis, in glomerulis oblongis, asperis, caulibus proxime adnatis Vaill. Bot. paris. tab. 33. ic. 1.

T. minus capite subrotundo, parvo, albo et echinato Barr. Ic. tab. 870.

T. cujus caules ex geniculis glomerulos oblongos proferunt J. Bauh. Hist. 2. p. 378. ic. 4. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 162. ic. 5. ⁂

Caules pubescentes, rigiduli, graciles, flexuosi, plus minusve ramosi, prostrati vel ascendentes, raro erecti, longitudine palmares, dodrantales, raro pedales. Foliola denticulata, infimarum nonnulla interdum obcordata, caeterum magnitudine et forma ut in specie praecedente, omnia utrinque pubescentia, subtus praesertim nervosa, nervis versus marginem recurvis atque nonnihil plerumque incrassatis. Stipulae albo-membranaceae, puberulae, nervosae, nervis viridibus aut purpurascentibus, caudis breviter acuminatis. Capitula ovata, ovato-oblonga aut ovalia praecedentis circiter longitudine atque crassitie, lateralia et terminalia, in foliorum axillis sessilia nonnullave interdum brevissime stipitata, folio paullo breviora. Flores imbricati. Corolla albida aut pallide rosea. Calix pilosus, 10-nervius, tubulosus, fauce annulo calloso coarctata, laciniis rigidis, inaequalibus, erectis, mox recurvo-patentibus. Legumina monosperma. Semina oblonga, laevia, fulva.

In pascuis aridis: vulgatissimum.

Fl. aprili, majo. ①

314. TRIFOLIUM SUFFOCATUM

T. brevicaule, humifusum; foliolis obcordato-obovatove-cuneatis, denticulatis; stipulis scariosis, amplis; capitulis solitariis, propinquis contiguisve, axillaribus, lateralibus terminalibusque, sessilibus; calicinis laciniis triangulo-lanceolatis, subaequalibus, acuminatis, recurvis, glabris, calicis tubo brevioribus, corolla longioribus; leguminibus dispermis.

Trifolium suffocatum Linn. Mant. p. 276. Willd. Sp. 3. p. 1378. (*excl. syn.* Cupan.). Savi Obs. Trifol. p. 96. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 198.

Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 76. Biv. Sic. Cent. 2. p. 69. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 220. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 490. et Suppl. p. 231. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 375. Maur. Rom. Pl. Cent. 13. p. 36. Savi Bot. etr. 4. p. 45. Balb.! Misc. alt. ped. p. 23. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 29. DC. Fl. fr. 4. p. 522. Lois. Fl. gall. 2. p. 120.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC. Micrantheum suffocatum Presl Symb. bot. p. 48.

Ic. — Jacq. Hort. vind. 1. tab. 60. Engl. bot. 15. tab. 1049.

Caules ex eadem radice plures, unciales, triunciales, simplices ramosive, flexuosi, in orbem humifusi. Folia longe petiolata, foliolis glabris. Stipulae latae, albo-scariosae, nervis concoloribus, caudis triangulo-acuminatis. Capitula subovata aut subglobosa, lateralia et terminalia inter stipulam bracteantem sessilia, plus minusve inter se proxima terraque mobili fere suffocata. Flores arcte capitati, subsessiles, bracteis minimis, triangulo-acuminatis, pellucido-membranaceis basi stipati. Calicis tubus pallens, 10-nervius, glaber aut leviter villosus, fauce pervius, laciniis tubo paullo brevioribus, corolla longioribus, glabris. Corolla parva, albida. Legumen dispermum. Semina irregulariter cordata, angulosa, tenuissime tuberculato-punctata, lutescentia, demum fulva.

In pascuis aridis maritimis S. Elia, Cagliari, insulae Asinara.
Fl. aprili, majo. ①

315. TRIFOLIUM GLOMERATUM

T. foliolis obovato-cuneatis, argute denticulatis; stipulis scariosis; capitulis solitariis, globosis, axillaribus, lateralibus terminalibusque,

sessilibus, distantibus; caliciniis laciniis cordato-triangulis, acuminatis, aequalibus, calicis glaberrimi tubo corollaque brevioribus, demum reflexis; leguminibus dispermis.

Trifolium glomeratum Linn. Sp. p. 1084. Willd. Sp. 3. p. 1375. Savi Obs. Trifol. p. 69. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 198.
De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 505. Desf. Fl. atl. 2. p. 200. Biv. Sic. Cent. 2. p. 67. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 491. et Suppl. p. 231. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 375. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 255. Savi Fl. pis. 2. p. 157. et Bot. etr. 4. p. 33. Bertol.! Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 396. All.! Fl. ped. 1. p. 306. Badar. Pl. Ligur. occid. in Moretti. Bot. ital. 2. p. 29. DC. Fl. fr. 4. p. 522. Lois. Fl. gall. 2. p. 119.
Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.
Micrantheum glomeratum Presl. Symb. bot. p. 48.

Ic. — Engl. bot. 15. tab. 1063. (*planta in statu macriore*).
Trifolium parvum, rectum; flore glomerato cum unguiculis J. Bauh. Hist. 2. p. 378. ic. 3. A Chabr. Sciagr. p. 162. ic. 3. A (*minus bonae*).
T. cum glomerulis ad caulium nodos rotundis Pluk. Phyt. tab. 113. ic. 5. (*mala: stipulae nullae: capitula breviter pedunculata*).

Caules biunciales, pedales et paullo ultra, procumbentes, ascendentes erective, saepe ramosi. Foliola parallele nervosa, viridia, argute denticulata, obovato-cuneata nonnullaque raro obcordato-cuneata, suprema, in planta luxuriante, saepe rhombeo- aut ovali-cuneata. Stipulae albo-scariosae, nervosae, caudis lanceolato-acuminatis. Capitula subglobosa, lateralia et terminalia, sessilia, plus minusve inter se remota, numquam contigua. Calix tubuloso-campanulatus, 10-12-nervius, glaberrimus, pallens, fauce hiante, laciniis foliaceis, nervosis, cordato-triangulis, breviter acuminato-mucronatis, aequalibus, tubo calicis subduplo brevioribus, patentibus, demum reflexis. Corolla rosea, calice paullo longior, petalis conniventibus. Legumina disperma. Semina irregulariter cordata, angulosa, tenuissime tuberculato-punctata, flavescentia, demum rufescentia. — Planta glaberrima, petiolis interdum pilosiusculis.

Ad vias et in campis.

Fl. aprili, majo. ①

**** *Capitulis fructiferis, basi stipulis superiorum foliorum binis, latis, bracteantibus involucratis.*

316. TRIFOLIUM PRATENSE

T. foliolis subintegerrimis, ovatis ovalibusve; stipulis latis, breviter acuminato-aristatis, supremis oppositis capitula ovata bracteantibus; calicinis laciniis lineari-setaceis, ciliatis, calicis tubum puberulum subaequantibus, infima caeteris longiore corollaque breviore.

Trifolium pratense Linn. Sp. p. 1082. Willd. Sp. 3. p. 1366. Savi Obs. Trifol. p. 49. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 195.

Desf. Fl. atl. 2. p. 194. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 97. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 499. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 373. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 253. Savi Fl. pis. 2. p. 151. et Bot. etr. 4. p. 26. All.! Fl. ped. 1. p. 304. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 526. Lois. Fl. gall. 2. p. 121.

Ic. — Engl. bot. 25. tab. 1770. (*foliis superioribus acutis*). Iconogr. taurin. 6. tab. 40.

Trifolium pratense purpureum Fuchs. Hist. p. 817. ic. ⩚ (*stipulis angustioribus; foliis supremis infra capitula subinde nullis aut unico*).

T. pratense Trag. Hist. p. 586. ic. ⩚ Math. Valgr. p. 835. ic. (*stipulis nullis*).

T. purpureum vulgare J. Bauh. Hist. 2. p. 374. ic. ⩚

Trifolium Riv. Tetr. irr. tab. 11. ic. 1. Chabr. Sciagr. p. 159. ic. 5. ⩚

Radix ramosa, perennis. Caules semipedales, bipedales, ascendentes vel decumbentes, simplices ramosive. Folia duo suprema opposita stipulisque bracteantibus capituli basim ambientia, caetera alterna; foliola vix denticulata aut saepe integra, ovata, elliptica aut ovato-oblonga, obtusa, viridia maculaque centrali subsagittata, albida, demum evanida notata, inferiora interdum emarginata, superiora nonnumquam acuta, omnia tenuissime nervoso-reticulata, nervis versus marginem plurimis, parallelis. Stipulae amplae, breves, albo-membranaceae, viridi- aut rufo-nervosae, caudis e basi ovata in acumen aristaeforme abeuntibus. Capitula terminalia, solitaria, interdum duplicata. Calicis tubus glabriusculus aut pilosus, 10-nervius, fauce annulo calloso coarctata, laciniis e basi lanceolata

lineari-setaceis, flexilibus, apice non spinescentibus, calicis tubum longitudine subaequantibus, infima caeteris paullo longiore, corolla tamen breviore. Corolla gamopetala, longa, purpurascens, alis carinam paullo superantibus, vexillo brevioribus. Legumina et semina matura non vidi. — Planta plus minusve puberula, caule inferne glabro.

In sylvestribus humentibus.

Fl. majo, junio. ♃

Ital: *Trafoglio di prato.*

Vern. *Travullu.*

Optimum armentis pabulum praestat: majore autem copia et recens ingestum, ut reliqua generis magis succulenta, timpanitidi locum facile praebet.

317. TRIFOLIUM DIFFUSUM

T. foliolis ovalibus oblongisve, obsolete denticulatis, obtusis retusisve; stipulis lanceolato-acuminatis, supremis oppositis, dilatatis, capitula subglobosa bracteantibus; laciniis calicinis setaceis, ciliatis, calicis tubo villosiusculo multo longioribus, infima caeteras paullo superante corollaque subbreviore; leguminibus dispermis; seminibus irregulariter cordatis, tuberculato-punctatis.

Trifolium diffusum Ehrh. Beytr. 7. p. 165. Waldst. et Kit. Pl. Hung. 1. p. 49. Willd. Sp. 3. p. 1365. Savi Obs. Trifol. p. 34. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 196. Urv. En. pl. archip. p. 94. Lois. Fl. gall. 2. p. 121.
T. ciliosum Thuil. Fl. paris. p. 380. DC. Fl. fr. 4. p. 525.

Ic. — Waldst. et Kit. l. c. tab. 50. Iconogr. taurin. 38. tab. 101.

Caules palmares, pedales et ultra, erecti, ascendentes diffusive, simplices aut ramosi, patenter molliterque villosi. Foliola denticulata, parallele tenuiterque nervosa, villosiuscula, glaucescentia, ovalia aut oblonga, basi subinde cuneata, infima interdum obovata, omnia apice obtusa vel retusa, raro emarginata. Stipulae albido-membranaceae, nervosae, glabrae, superiores nonnumquam villosiusculae: caudis e basi triangula acuminato-setaceis, omnibus pilosis. Capitula subglobosa, basi foliis supremis binis, oppositis stipata, eorumque stipulis dilatatis involucrata. Calicinae laciniae patenter et

longiuscule pilosae, e basi triangula setaceae, calicis tubum parce villosum, decemnervium, demum campanulatum, fauce pervium pilosumque triplo fere superantes, infima caeteris paullo longiore. Corolla purpurascens, gamopetala, calicis laciniam longiorem vix superans, raro aequans. Legumen dispermum, medio demum circumscissum. Semina ovato-subreniformia, flavo-rufescentia, tenuissime (oculo armato) tuberculato-punctata.

Ad vias inter Nuoro et Orosei.

Fl. majo. ①

Obs. Trifolium diffusum facie valde accedit ad *Trifolium hirtum* ALL.! Auctar. ad Fl. ped. p. 20. (*Trifolium hispidum* DESF. Fl. atl. 2. p. 200.). Verum *Trifolio hirto* ALL. altera ex stipulis supremis bracteantibus fere semper aphylla, legumina monosperma, semina ovali-globosa, (oculo armato) laevissima et juxta longitudinem obiter sulcata. In *Trifolio diffuso* EHRH. stipula suprema bracteans utraque foliifera: legumina medio demum circumscissa, disperma, raro aliquot monosperma; semina irregulariter ovato-reniformia vel cordata, angulosa, tenuissime (oculo armato) tuberculato-punctata, non sulcata, duplo triplove minora quam in *Trifolio hirto:* quamobrem juverit *Trifolium hirtum* ALL. sic definire.

T. foliolis obovato-oblongove-cuneatis, subemarginatis; stipulis lanceolato-acuminatis, supremis oppositis dilatatis capitula subglobosa bracteantibus, altera subaphylla; laciniis calicinis setaceis, ciliatis, calicis tubo densissime villoso multo longioribus, infima caeteras vix superante corollaque breviore; leguminibus monospermis; seminibus globoso-ovalibus, majusculis, obiter sulcatis, laevissimis.

Hab. in Pedemontio (ALL. !), in Regno neapolitano (TENOR.), in Etruria (SAVI!), in Gallia meridionali et in Corsica (DC. ! LOIS.), in Hispania (LAG. !), in Africa septentrionali (DESF.), etsi Ic. *Trifolii hispidi* DESF. Fl. atl. tab. 209. ic. 1. ob lacinias calicinas latas lanceolatasque, nec setaceas, ut in descriptione Fl. atl. 2. p. 201. *Trifolio hirto* ALL. haud possit accommodari. In nonnullis autem hujus et *Trifolii diffusi* speciminibus folium supremum alternum sic binis stipulis bracteantibus proximum est, ut capitula tribus fere videantur foliis vel stipulis involucrata.

318. TRIFOLIUM CHERLERI

T. foliolis obsolete denticulatis, obcordato-obovatove-cuneatis; stipulis apice brevi triangulo-acutis, supremis oppositis, dilatatis, ro-

tundatis, capitula subglobosa bracteantibus, altera aphylla; calicinis laciniis setaceis, subaequalibus, ciliatis, calicis tubo 20-nervio, villoso longioribus, corollam subaequantibus.

Trifolium Cherleri Linn. Amoen. 4. p. 286. et Sp. p. 1081. Willd. Sp. 3. p. 1362. Savi! Obs. Trifol. p. 23. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 196.

Viv. Fl. cors. Diagn. p. 14. De Buch Catal. pl. canar. in Guillem. Archiv. bot. 1. p. 505. Desf. Fl. atl. 2. p. 197. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 74. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 96. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 217. Biv. sic. Cent. 2. p. 66. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 501. et Suppl. p. 232. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 374. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 281. Savi Bot. etr. 4. p. 14. All. Fl. ped. 1. p. 303. DC. Fl. fr. 4. p. 524. Lois. Fl. gall. 2. p. 120. Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Ic. — Tab. lxi. Iconogr. taurin. 27. tab. 41.

Trifolium glomerulis Personatae Cherleri J. Bauh. Hist. 2. p. 377. 378. ic. 1. ^ Chabr. Sciagr. p. 162. ic. 2. ^ Moris. Hist. sect. 2. tab. 13. ic. 11. (*malae*).

Lagopus minor, supinus, molli et compresso capite, flore albo Barr. Ic. tab. 859.

Caules ex eadem saepe radice plures, dodrantales, palmares et in aridis interdum vix unciales, simplices ramosive, molliter patenterque villosi, procumbentes vel centrales interdum erecti, laterales procumbentes aut ascendentes. Foliola obcordato-cuneata nonnullaque obovato-cuneata, adpresse utrinque pubescentia. Stipulae albo-membranaceae, glabrae aut villosiusculae, caudis triangulo-acutis, brevibus, supremae capitulorum basim bracteantes, latae, rotundatae, inaequales, albidae, nervis et margine pulchre purpurascentes. Capitula folio supremo alterno magis minusve proxima sicque interdum ut tertia stipula bracteante videantur involucrata. Calix 20-nervius, dense villosus, fauce pervia pilosaque, laciniis setaceis, subaequalibus, rigidulis, pilis longiusculis, patentibus praeditis, corollae aequalibus eademve modo paullo longioribus, modo brevioribus. Corolla sordide albida, alis vexillo brevioribus, carina acuta vix longioribus. Legumina monosperma. Semina ovata, laevia, rufescentia.

Ad vias et in pascuis maritimis, collinis montanisque: omnium ejusdem generis frequentissimum.

Fl. aprili, majo. ①

***** *Capitulis fructiferis globosis ovatisve, raro oblongis, basi plerumque nudis; foliis supremis binis oppositis.*

319. TRIFOLIUM LAPPACEUM

T. foliolis obovato-obcordatove-cuneiformibus, denticulatis; capitulis subglobosis; laciniis calicinis setaceis, subaequalibus ciliatis, calicis tubo 20-nervio, glabro, multo longioribus, corollam subaequantibus.

Trifolium lappaceum Linn. Sp. p. 1082. Willd. Sp. 3. p. 1364. Savi Obs. Trifol. p. 20. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 191.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 96. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 217. Biv. Sic. Cent. 2. p. 66. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 501. et Suppl. p. 232. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 372. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 250. Savi Bot. etr. 4. p. 14. All.! Fl. ped. 1. p. 304. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 525. Lois. Fl. gall. 2. p. 121.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Tab. lxii. ic. 1. Iconogr. taurin. 23. tab. 93.

Trifolium capitulo glomerato, rigido J. Bauh. Hist. 2. p. 378. ic. 3. ⩓ (*errore typogr.* p. 383.). Chabr. Sciagr. p. 162. ic. 4. ⩓ Moris. Hist. sect. 2. tab. 13. ic. 4. ⩓ (*foliis angustioribus*).

T. nemorosum, capite ovato, villoso, rubescente Barr. Ic. tab. 871. (*melior ac praecedentes, etsi capitula superiora nimis ovalia*).

Caules palmares, pedales et ultra, ascendentes aut procumbentes, ramosi, glabri vel patenter pilosiusculi. Folia duo superiora opposita a capitulo fructifero plus minusve demum remota; foliola pilosa, versus apicem denticulata, obovato- vel obcordato-cuneata, interdum oblongo-cuneata. Stipulae membranaceae, rubro- aut viridi-nervosae, glabrae, caudis lanceolato-linearibus, acuminatis, pilosis, saepe virentibus. Capitula solitaria, florifera hemisphaerica aut ovata, mox sphaerica aut ovato-sphaerica, basi nuda, raro aliquot folio stipata. Calicis tubus glaber, 20-nervius, demum campanulatus, fauce pervius pilosusque, laciniis e basi triangula lineari-setaceis, ciliatis. Corolla pallide rosea. Legumina monosperma. Semina subglobosa, fulva, laevissima.

In maritimis Sardiniae et insularum adjacentium, nec non in collinis Morgongiori montanisque Arcidano.

Fl. aprili, majo. (1)

320. TRIFOLIUM OCHROLEUCUM

T. foliolis integris, obtusis, infimis obovatis ovalibusve, subemarginatis, caeteris oblongis, summis oblongo-linearibus; capitulis ovatis oblongisve; calicinis laciniis lineari-subulatis, infima caeteras duplo triplove superante, calicis tubo paullo longiore, corolla multo breviore, demum deflexa.

Trifolium ochroleucum Linn. Syst. nat. (ed. 12.) 3. p. 233. Willd. Sp. 3. p. 1372. Savi Obs. Trifol. p. 62. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 193. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 98. Urv. En. pl. Archip. p. 95. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 373. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 253. Savi Bot. etr. 4. p. 30. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 395. All.! Fl. ped. 1. p. 303. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 528. Lois. Fl. gall. 2. p. 124.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

T. squarrosum Linn. Sp. p. 1082. (*excl. syn.*) ex Sm. Engl. Flor. (ed. 2.) 3. p. 301.

Ic. — Jacq. Fl. austr. 1. tab. 40. Iconogr. taurin. 6. tab. 43.

(Trifolium ochroleucum Engl. bot. 17. tab. 1224. *bracteis lineari-lanceolatis capitulorum basim involucrantibus a nostra planta differt.*)

* *roseum*, corolla rosea.

Trifolium ochroleucum β roseum Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 498.

T. roseum Presl Delic. prag. 1. p. 50.

Radix teretiuscula, lignosa, extus nigrescens. Caules erecti vel decumbentes, simplices aut parce ramosi, dodrantales, sesquipedales, villosi, villis inferne patulis, superne adpressis. Folia suprema bina, opposita, a capitulo modo lineam unam alteramve, modo semunciam aut unciam saepe demum distantia, raro ejus basim ambientia; foliola tenuissime et parallele nervosa, adpresse molliterque pubescentia, inferiora minora, obovata aut obcordata, superiora sensim longiora, oblonga aut oblongo-linearia, obtusa nonnullave interdum acutiuscula. Stipulae albido-membranaceae, pubescentes, nervosae, nervis virentibus, caudis lanceolato-linearibus acuminatisque, viridibus. Capitula terminalia, ovata, ovato-oblonga aut oblonga. Flores

sessiles, ochroleuci aut pallide rosei, vexillo tenui alas et carinam multo superante. Calix tubulosus, striatus, parce pilosus, fauce annulo coarctata, laciniis demum patulis, omnibus corolla gamopetala brevioribus, infima caeteris duplo triplove longiore. Legumina monosperma. Semina laevia, helvola, subreniformia.

In sylvestribus montanis: frequens.

Fl. a majo ad julium. ♃

321. TRIFOLIUM MARITIMUM

T. foliolis subintegerrimis, inferioribus ovali-obovatis, superioribus oblongis; capitulis ovatis; calicinis laciniis lanceolatis, acuminatis, uni-trinerviis, mox dilatatis, infima inferiorum calicum caeteras superante, superiorum subaequante, tubo subaequali longioreve, corolla tetrapetala breviore, demum deflexa.

Trifolium maritimum Sm. Fl. brit. p. 786. et Engl. Fl. 3. (ed. 2.) p. 303. Willd. Sp. 3. p. 1370. Savi! Obs. Trifol. p. 42. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 194. Biv. Sic. Cent. 2. p. 69. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 502. et Suppl. p. 232. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 252. Savi Bot. etr. 4. p. 23. Lois. Fl. gall. 2. p. 123.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

T. rigidum Savi! Fl. pis. 2. p. 159. Balb.! Misc. alt. ped. p. 23.

T. irregulare Pourr. Act. Toul. 3. p. 331. DC. Fl. fr. 4. p. 531. et Suppl. p. 559.

Ic. — Savi Fl. pis. tab. 1. ic. 1. Engl. bot. 4. tab. 220 (*planta robustior ac apud nos et ad sequentem accedens*). Iconogr. taurin. 48. tab. 99.

Trifolium stellatum glabrum Pluk. Phyt. tab. 113. ic. 4.

T. spicatum minus, flore minore dilute purpureo Moris. Hist. sect. 2. tab. 14. ic. 1.

Caulis solitarius aut plures, palmares, pedales et ultra, erectiusculi, ascendentes aut procumbentes, saepe ramosi, glabri aut pilosiusculi. Foliola integra vel obsolete (oculo armato) denticulata, obtusa aut emarginata, subtus vel utrinque pilosiuscula, inferiora breviora, caetera sensim longiora, lineam unam, tres et semis lata, suprema longitudine fere semiuncialia, raro uncialia, mucronulata subindeve acuta. Stipulae albido-membranaceae, viridi-purpureovenervosae, glabrae aut villosulae, caudis lineari-acuminatis, virentibus, ciliatis. Capitula ovata moxque ovato-elliptica, foliis supre-

mis oppositis basi stipata vel ab iis plus minusve remota. Calicis tubus cylindraceus, 10-nervius, glaber aut parce pilosus, demum obconicus fauceque annulo calloso coarctata: laciniae ejus virentes, valide nervosae, rigidae, hirtae, infima, in floribus inferioribus caeteris plus minusve longiore, in superioribus caeteris aequali raro vix longiore, demum deflexa, duabus superioribus minus profunde divisis, omnibus post anthesim dilatatis. Corolla albida vel pallide rosea, calicem superans. Legumina monosperma. Semina ovalia, rufescentia, laevia.

In pascuis et in arvis maritimis insulae S. Pietro.

Fl. aprili, majo. ①

322. TRIFOLIUM SQUARROSUM

T. foliolis subintegerrimis, inferioribus ovali-obovatis, caeteris longe oblongatis; capitulis ovatis ovalibusve; calicinis laciniis lanceolatis, acuminato-subulatis, uni-trinerviis, mox dilatatis, infima inferiorum calicum caeteras longius, superiorum brevius superante, tubo aequali valdeve longiore, corolla tetrapetala breviore, demum deflexa.

Trifolium squarrosum Savi! Obs. Trifol. p. 65. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 194. non Linn.

Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 503. et Suppl. p. 233. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 373. Savi Bot. etr. 4. p. 31. DC. Fl. fr. 4. p. 531. Lois. Fl. gall. 2. p. 124. Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Savi Obs. Trifol. ic. 3.

Caulibus robustioribus et plerumque elatioribus, saepius erectis; stipularum caudis et foliolis longioribus rigidioribusque; capitulo majore; calicis tubo saepius piloso, ejus laciniis apice subulatis, infima florum etiam superiorum caeteras superante a *Trifolio maritimo* differt. Utriusque autem calicinae laciniae inter se et ratione calicis tubi valde variae, habitus caeteraque dubium injiciunt num alterum alterius varietas esse queat.

In campis et in pascuis.

Fl. aprili, majo. ①

525. TRIFOLIUM LEUCANTHUM

T. foliolis denticulatis, infimis obovato-cuneatis, subemarginatis, caeteris oblongo-cuneiformibus; capitulis subglobosis; calicinis laciniis lineari-lanceolatis, acuminatis, pilosis, calicis tubo dense villoso longioribus, corolla brevioribus, infima caeteras vix superante, omnibus demum dilatatis patulisque.

Trifolium leucanthum M. B. Fl. taur.-caucas. 2. p. 214. et Suppl. p. 510. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 197. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 505. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 374. Lois. Fl. gall. 2. p. 125. Duby Bot. gall. 1. p. 132.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

T. obscurum Savi! Obs. Trifol. p. 31. et Bot. etr. 4. p. 17. Sering. in DC. Prod. 2. p. 197.

Ic. — Tab. lxii. ic. 2.

Caulis unicus aut ex eadem radice pauci, graciles, erecti vel ascendentes, simplices parceve ramosi, patenter pubescentes, palmares, pedales et paullo ultra. Folia superiora duo opposita, altero saepe minore et brevius petiolato, caetera alterna: foliola adpresse utrinque pubescentia, versus apicem tenuissime denticulata, obtusa, inferiora obovato-cuneata, pleraque emarginata, superiora sensim longiora, oblongo-cuneiformia, raro aliquot acutiuscula. Stipulae albido-membranaceae, breviter pubescentes, nervosae, nervis viridibus, caudis lineari-acuminatis. Capitula nuda, ovata, demum ovali-globosa et longiuscule pedunculata. Calicis tubus 10-nervius, dense adpresseque villosus, demum ovalis fauceque annulo calloso coarctata, laciniis viridibus, lineari-lanceolatis, post anthesim dilatatis patulisque, omnibus tubo paullo longioribus, pilosis, pilis, ut in plerisque congeneribus basi glandulosae, demum callosae insidentibus, infima caeteris vix longiore. Corolla albida, carina alas, vexillo carinam paullo superante. Legumina monosperma. Semina ovata, laevia, fulvo-rufescentia.

In pascuis circa Martis et Tortolì.

Fl. aprili, majo. ①

Specimina *Trifolii obscuri* a clariss. Savi cum nostro *leucantho* congruunt: differt icon *Trifolii obscuri* in Savi Obs. Trifol. ic. 1.

****** *Capitulis fructiferis globosis ovatisve, raro ovalibus, basi nudis; foliis omnibus alternis.*

324. TRIFOLIUM STELLATUM

T. foliolis obcordato-cuneatis, denticulatis; stipulis latis, apice ovatis, denticulatis; capitulis subglobosis, villosis; calicinis laciniis lanceolato-subulatis, subaequalibus, calicis tubo longioribus, corollam subaequantibus, basi demum dilatatis stellatimque patentibus.

Trifolium stellatum Linn. Sp. p. 1083. Willd. Sp. 3. p. 1373. Savi Obs. Trifol. p. 30. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 197.

Desf. Fl. atl. 2. p. 199. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 76. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 99. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 218. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 506. et Suppl. p. 233. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 374. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 251. Savi Fl. pis. 2. p. 153. et Bot. etr. 4. p. 16. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 178. All.! Fl. ped. 1. p. 305. DC. Fl. fr. 4. p. 530. Cambess. En. pl. balear. p. 66.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Ic. — Engl. bot. 22. tab. 1545. Gaertn. Fr. tab. 153. ic. ✦ Lmck. Ill. tab. 613. ic. 4. ✦ a. b. c. d. (*calix, legumen, semen*). Iconogr. taurin. 10. tab. 96.

Trifolium stellatum, purpureum, monspess. J. Bauh. Hist. 2. p. 376. ic. 3. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 161. ic. 4. ⁂ Moris. Hist. sect. 2. tab. 13. ic. 9. ⁂ (*etsi folia, unico excepto, stipulis careant*).

Lagopus minor, erectus, capite globoso, stellato, flore purpur. Barr. Ic. tab. 860.

Caules ut in praecedentibus solitarii aut saepius plures, simplices ramosive, erecti, ascendentes diffusive, unciales, pedales, patenter villosi. Foliola obcordato-cuneata, adpresse puberula aut pubescentia, pilis ut in stipulis calicibusque, basi glandulosae insidentibus. Stipulae latae, albido-membranaceae, rubro- aut viridinervosae, apice ovatae, obtusae aut acutiusculae, denticulatae. Capitula subovata, demum globosa et a supremo folio plus minusve remota. Calix pilis ascendentibus longis praeditus, tubo 10-nervio, obverse conico, substipitato, ad collum demum coarctato, fauce tomento candido densoque clausa; laciniis extus pilosis, intus glabris, nervoso-reticulatis, nervo medio valido, demum di-

latatis, foliaceis stellatimque patentibus. Corolla rosea modo calice brevior, modo paullo longior. Legumen monospermum. Semen ovatum, laeve, demum rufescens.

In aridis, sterilibus, ad vias et in campis: frequens.

Fl. aprili, majo. (1)

325. TRIFOLIUM STRICTUM

T. glaberrimum; foliolis glanduloso-serratis, infimis obovatis ovalibusve, caeteris oblongo-linearive-lanceolatis; stipulis latis, glanduloso-serratis, apice triangulo-ovatis; pedunculis axillaribus folio longioribus; capitulis ovato-globosis; calicinis laciniis lineari-subulatis, infima caeteris et calicis tubo longiore corollaque vix breviore; leguminibus coriaceis, calice semitectis, rostratis, dispermis.

Trifolium strictum Linn. Sp. p. 1079. Willd. Sp. 3. p. 1358. Savi Obs. Trifol. p. 114. Sering. in DC. Prod. 2. p. 198. Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 13. et Fl. lyb. Sp. p. 46. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 575. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 256. Savi Bot. etr. 4. p. 54. All. Fl. ped. 1. p. 302. DC. Fl. fr. 4. p. 520. Lois. Fl. gall. 2. p. 118.

Ph. Thomas! Salzm.! Pl. siccat. e Corsica.

T. laevigatum Poir. It. 2. p. 219. Desf. Fl. atl. 2. p. 195. Willd. Sp. 3. p. 1358. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 517.

Paramesus strictus Presl Symb. bot. p. 46.

Ic. — Waldst. et Kit. Pl. rar. Hung. 1. tab. 37. Desf. Fl. atl. tab. 208. Iconogr. taurin. 37. tab. 81.

Trifoliastrum pratense, annuum, erectum, minimum; foliis longis, angustis, pulchre venatis ac tenuissime serratis; floribus albis, in capitulum sphaericum congestis; siliquis minimis, dispermis Michel. Nov. pl. gen. 29. tab. 25. ic. 7.

Caulis vel solitarius, vel pauci ex eadem radice, simplices ramosive, palmares, pedales. Foliola lucida, pallide virentia, parallele nervosa, serrata, serraturis apice glanduliferis, infima minora obovato-cuneata obtusaque, quae proxime sequuntur ovalia, caetera sensim longiora acutioraque, oblongo-lanceolata, summa saepe lineari-lanceolata. Stipulae magnae, subrhomboideae, scariosae, albidae, nervosae, apice ovato-triangulares, obtusae vel acutae. Pedunculi axillares, folio plerumque longiores. Capitula ovata aut ovato-globosa.

densiflora. Flores juxta rachidem capituli sulcatam in verticillos plures dispositi, subsessiles: bracteolae squamaeformes, pallidae, concavae, dentatae, breves, basim florum stipantes, in inferiore verticillo, ad basim scilicet capituli, in brevissimum involucrum connatae. Calix 10-nervius, demum scariosus, campanulatus: ejus laciniae e basi triangula lineari-setaceae, infima caeteras paullo superante, demum deflexa, calicis tubo longiore, corollaque vix breviore. Corolla pallide rubens. Legumina corollam demum e calice urgentia, coriacea, laevia, semiorbiculata, altera sutura convexa, altera recta, rostrata, compressa, disperma. Semina irregulariter ovata, angulosa, compressa, punctato-tuberculosa, demum rufa. — Planta glaberrima.

In pascuis humidis circa Guspini: 100 metr. circiter supra maris superficiem; et in humentibus sylvestribus montis Sette fratelli ultra hospitium: 700 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. majo, junio. (1)

Obs. Linnaeana *Trifolii stricti* descriptio nostro haud omnino accommodari potest, cujus legumina neque calice tecta, neque stipulae acumine subulato praeditae, neque pedunculi petiolo (errore typographico apud Linnaeum pedunculo) breviores sed multo longiores, nec calicini dentes superiores corolla longiores postque anthesim reflexi, caeteris autem Linnaei descriptio atque definitio cum nostra planta consentiunt eamque Linnaeus quamvis signo + notaverit proptereaque vel satis non inspexerit vel ex manco descripserit specimine, tamen ad iconem citatam Michel. Gen. tab. 25. ic. 7. retulit quae quidem *Trifolium strictum* perbelle repraesentat.

Trifolium laevigatum Desf. l. c. quamquam corolla flava (ex sicco fortasse specimine descripta) a nostra specie differre videtur, attamen ex reliqua descriptione collatisque ejus speciminibus cum siculis (Guss. l. c.) ejusque icone cum iconibus Michelii et Waldst. et Kit. ad nostram speciem spectat, etsi in icone Desf. folia omnia acutissima, et in icone Waldst. et Kit. superiora vix aliquot acutiuscula, caetera obtusa (Cons. Viv. Fl. lyb. et Fl. cors. Diagn. Guss. Fl. sic. Prod. l. c.).

326. TRIFOLIUM SUBTERRANEUM

T. foliolis obcordato-cuneatis, vix denticulatis; pedunculis axillaribus, tri-sexfloris; calicibus post floriferorum anthesim evolutis,

ananthiis, rigentibus, stellatim recurvatis fructiferos reflexos hincque scissos, instar comae capitellatae foventibus.

Trifolium subterraneum Linn. Sp. p. 1080. Willd. Sp. 3. p. 1361. Savi Obs. Trifol. p. 12. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 202.

Desf. Fl. atl. 2. p. 196. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 96. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 221. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 510. et Suppl. p. 233. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 376. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 250. Savi Fl. pis. 2. p. 155. et Bot. etr. 4. p. 12. All.! Fl. ped. 1. p. 303. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 522. Lois. Fl. gall. 2. p. 120.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Calycomorphum subterraneum Presl Symb. bot. p. 50.

Ic. — Engl. bot. 15. tab. 1048. Riv. Tetr. irr. tab. 13. ic. 1. Iconogr. taurin. 17. tab. 19.

Trifolium pratense supinum καθωβλεψ seu capite humi merso Barr. Ic. tab. 881.

Caules flexiles, procumbentes, ramosi, glabri aut pubescentes, palmares, semipedales moxque longius producti, pedales, bipedales. Folia plus minusve longe petiolata; foliolis omnibus obcordato-cuneatis, pallide viridibus, utrinque adpresse puberulis aut tomentoso-pubescentibus, apice vix denticulatis. Stipulae membranaceae, nervis virentibus, inferiores apice lanceolatae breviterque acuminatae, caeterae apice triangulo-acutae aut acutiusculae. Calices floriferi tubulosi, erecti, fructiferi reflexi, breviter pedicellati, tubo membranaceo, aucto, multinervio, glabro hincque demum scisso: laciniis immutatis, setaceis, subaequalibus, ciliatis. Corolla gamopetala, alba aut pallide rosea, calicem valde superans. Pedunculi axillares, tri-sexflori, saepe quadriflori, anthesi peracta plus minusve producti atque recurvi, ut capitula sub terra abscondant, ubi semina perficiantur: e superiore mediaque pedunculi curvati parte tuberculum conicum post foecundationem assurgens, filamenta (florum abortivorum calices) multiplici serie sensim dimittit, apice in lacinias quinque lineari-subulatas, divergentes, glabras aut saepe villosas abeuntia: eadem filamenta mox sulcata, stellatim deflexa et cum propriis laciniis rigescentia, calices fructiferos in centro fovent, iisque instar comae capitellatae atque revolutae arcto involucro sunt. Legumina calicem

superantia, coriacea, glabra, subovata cum brevi acumine, monosperma. Semina ovato-orbiculata, leviter compressa, magna, nigerrima, laevia.

Ad vias et in pascuis litoreis maritimis, nec non in collinis montanisque S. Gregorio, monte Linas: usque ad 1230 metr. circiter supra maris superficiem. Fl. martio, junio. (1)

b. *Calicibus demum inflato-ventricosis* (vesicaria).

327. TRIFOLIUM SPUMOSUM

T. glaberrimum; foliolis obovato-cuneatis, denticulatis, foliis supremis binis oppositis; calicis scariosi, 20-nervii, superne fissi, fructiferi ovato-ventricosi laciniis omnibus setaceo-subulatis, curvis; bracteis oblongo-acuminatis calicum tubo paullo brevioribus; capitulis terminalibus, demum globosis; leguminibus tri-tetraspermis, rostro lanceolato, exserto.

Trifolium spumosum Linn. Sp. p. 1085. (*excl. syn.* J. Bauh.). Willd. Sp. 3. p. 1379. Savi Obs. Trifol. p. 82. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 202.
Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 74. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 100. Urv. En. pl. archip. p. 95. Biv. Sic. Cent. 2. p. 69. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 518. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 376. Savi Bot. etr. 4. p. 38. DC. Fl. fr. 4. p. 553. Lois. Fl. gall. 2. p. 126.
Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.
T. apulum All.! Auct. ad Syn. st. H. R. taur. in Misc. taur. 5. p. 76.
Mystyllus spumosus Presl Symb. bot. p. 49.

Ic. — Tab. lxiii. Iconogr. taurin. 6. tab. 45-46. ic. 2. et 20. tab. 2. Gaertn. Fr. tab. 153. ic. ⁂ Lmck. Ill. tab. 613. ic. 3. ⁂ (*calix, legumen, semen*).
Trifolium apulum, annuum, rotundifolium, glabrum, foliis macula alba notatis, flore purpurascente, calice vesicario Till. Cat. H. pis. p. 168. tab. 49. ic. 4.

Caules striati, ramosi, ascendentes erective, raro diffusi. Folia duo superiora opposita, a capitulo saepissime remota, rarissime ejus fructiferi basim ambientia; foliola obovato-cuneata, denticulata subindeve fere integra, nervosa, pallide virentia, aliquando albo-maculata, raro aliquot emarginata, superiora interdum rhombeo-cuneata. Stipulae albo-membranaceae, caudis lanceolato-acuminatis.

Capitula ovata, fructifera globosa aut ovalia. Calix sessilis, scariosus, florifer oblongus, juxta longitudinem parallele 20-nervius, fructifer ovato-ventricosus, nervulis transversis inter nervos quosque longitudinales praeditus: laciniae calicinae setaceo-subulatae, rigidae, calicis tubo multo breviores. Bractea scariosa, oblonga, acuminata, calicis cujusque basim stipans ejusque tubo paullo brevior. Corolla calicem paullo superans, rubella; alis cum carina coalitis; vexillo lanceolato, libero. Legumina tri-tetrasperma, oblonga rostroque lanceolato, calicem superante acuminata. Semina ovato-orbiculata, leviter compressa, rufa, valide tuberculata. — Planta glabra.

In pascuis maritimis apricis circa Oristano et Terralba, et in montanis Arcuentu: usque ad 750 circiter metr. supra maris superficiem.

Fl. aprili, majo. ①

328. TRIFOLIUM FRAGIFERUM

T. repens; foliolis obovatis ovalibusve, subemarginatis, argute denticulatis; pedunculis axillaribus, folio multo longioribus; bracteis lanceolatis calicum tubum subaequantibus; capitulis demum globosis ovalibusve; calicis labii superioris villoso-tomentosi, demum vesicarii, reticulati labiumque inferius obtegentis laciniis binis, setaceo-subulatis, longiusculis.

Trifolium fragiferum Linn. Sp. p. 1086. Willd. Sp. 3. p. 1380. Savi Obs. Trifol. p. 76. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 202.

Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 101. Urv. En. pl. Archip. p. 95. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 521. et Suppl. p. 234. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 376. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 254. Savi Fl. pis. 2. p. 164. et Bot. etr. 4. p. 35. All.! Fl. ped. 1. p. 307. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 534. Lois. Fl. gall. 2. p. 126. Cambess. En. pl. balear. p. 66.

Galearia fragifera Presl Symb. bot. p. 50.

Ic. — Fl. dan. tab. 1042. Engl. bot. 15. tab. 1050. (*pedunculis crassioribus*). Iconogr. taurin. 38. tab. 103. (*optima*). et 6. tab. 44.

Trifolium fragiferum minus, oblongo capite, ital. Barr. Ic. tab. 851. et T. fragiferum majus, repens, minori et rotundiori capite tab. 852.

T. fragiferum folio oblongo Vaill. Bot. paris. tab. 22. ic. 2.

T. caule nudo, glomerulis glabris et aliud parvum cum glomerulis lignosum J. Bauh. Hist. 2. p. 379. ic. 3. ∴ Chabr. Sciagr. p. 163. ic. 2. ∴ (*malae*).

Caules palmares, pedales, repentes vel radicantes, simplices ramosive. Folia longe petiolata, foliolis subemarginatis, obovatis, superioribus interdum ellipticis, omnibus obtusis, ad apicem obsolete aut minus argute quam ad basim serrulato-denticulatis, utrinque tenuissime nervosis, nervis versus marginem parallelis; nervo medio subtus valido petiolisque plus minusve saepe pubescentibus. Stipulae albido-membranaceae, lanceolato-acuminatae. Pedunculi striati, folio longiores. Capitula florifera hemisphaerica, mox globosa, subovata aut ovalia. Flores breviter pedicellati bracteisque stipati lanceolatis, acutis, membranaceis, integris aut apice bifidis, calicis tubum subaequantibus. Calix bilabiatus, labio inferiore glabro aut pubescente, immutato, laciniis tribus lineari-acuminatis, superiore laciniis binis setaceo-subulatis, demum inflato, scarioso, ventricoso, nervoso-reticulato, plus minusve tomentoso. Corolla purpurascens aut rosea, calice multo longior. Legumen calice inclusum, monodispermum. Semina subcordata, laevia, helvola, demum rufa.

Ad vias et in pascuis humentibus praesertim calcareis, maritimis Cagliari circa la Maddalena; collinis S. Pantaleo: et montanis apricis, usque ad 800 metr. circiter supra maris superficiem, Tonnara.

Fl. aprili, julio. ♃

329. TRIFOLIUM RESUPINATUM

T. foliolis obovato-rhombeove-cuneatis, argute denticulatis; pedunculis axillaribus, folio subaequalibus paullove longioribus; capitulis fructiferis globosis; calicis labii superioris villosi, demum vesicarii, reticulati, labiumque inferius obtegentis laciniis binis setaceo-subulatis, longiusculis.

Trifolium resupinatum Linn. Sp. p. 1086. Willd. Sp. 3. p. 1379. Savi Obs. Trifol. p. 79. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 202.

Delil.! Fl. aegypt. Ill. p. 100. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 100. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 220. Urv. En. pl. Archip. p. 95. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 523. et Suppl. p. 234. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 376. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 254. Savi Fl. pis.

2. p. 262. et Bot. etr. 4. p. 37. ALL.! Fl. ped. 1. p. 306. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 2. p. 30. DC. Fl. fr. 4. p. 534. LOIS. Fl. gall. 2. p. 126.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

T. bicorne FORSK. Fl. aegypt. Cent. 5. p. 139.

Galearia resupinata PRESL Symb. bot. 2. p. 50.

Ic. — STURM. Fl. german. fasc. 16. ic. Iconogr. taurin. 12. tab. 76. GAERTN. Fr. tab. 153. ic. LMCK. Ill. tab. 613. ic. 5. (*eadem ac apud* GAERTNERUM).

Trifolium pratense salmanticum CLUS. Hist. 2. p. 247. ic. 2. ✢ LOB. Obs. p. 494. ic. 1. ✢ et Icon. 2. p. 30. ic. 1. ✢ (*foliolis rhombeis, plerisque acutiusculis*).

T. folliculaceum sive vesicarium minus, purpureum J. BAUH. Hist. 2. p. 379. ic. 3. ⩓ CHABR. Sciagr. p. 163. ic. 1. ⩓ (*stipulis aliis brevissime, aliis haud acuminatis peccant*).

Caules semipedales, pedales et ultra, ascendentes diffusive, ramosi. Foliola viridia, obovato-cuneata, superiora saepe rhombeo-cuneata. Stipulae albido-membranaceae, nervosae, caudis lanceolato-acuminatis, superiorum stipularum sensim brevioribus. Pedunculi folio plerumque paullo longiores, in eadem autem planta alii interdum folio aequales, alii vix breviores. Capitula hemisphaerica, fructifera sphaerica. Flores subsessiles, bracteola perexigua, vix conspicua ad basim stipati. Calix bilabiatus, corolla valde brevior, florifer tubulosus virensque labio superiore villoso breviore, fructifer labio superiore valde aucto, pellucido-membranaceo, gibboso-conico, inter nervos longitudinales parallelos transverse reticulato, inferius immutatum glabrumque obtegente, ad capituli praesertim basim demum deflexo: laciniae labii inferioris tres, anguste lineari-lanceolatae, acuminatae, superioris duae, setaceo-subulatae, demum divergentes, longiusculae. Corolla purpurascens, calice duplo longior. Legumen calice absconditum, subovatum, mono-dispermum. Semina matura non vidi. — Planta glabra, stipulis margine superiore foliolisque basi interdum vix pilosiusculis. — Intermedia seta inter duas lacinias calicis superiores describitur a LINNAEO et WILLDENOWIO, quae quidem non est.

In pascuis et in arvis.

Fl. aprili, majo. ①

330. TRIFOLIUM TOMENTOSUM

T. foliolis obovato-cuneatis, argute denticulatis; pedunculis axillaribus, folio brevioribus; capitulis fructiferis globosis; calicis labii superioris, villoso-tomentosi, demum vesicarii, reticulati labiumque inferius glabrum obtegentis dentibus binis, conicis acutisque, brevissimis.

Trifolium tomentosum Linn. Sp. p. 1086. Willd. Sp. 3. p. 1380. Savi Obs. Trifol. p. 73. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 203.

Desf. Fl. atl. 2. p. 200. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 100. Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 76. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 100. Urv. En. pl. Archip. p. 95. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 221. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 524. et Suppl. p. 235. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 376. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 254. Savi Bot. etr. 4. p. 33. All.! Fl. ped. 1. p. 307. DC. Fl. fr. 4. p. 534. Lois. Fl. gall. 2. p. 126. Cambess. En. pl. balcar. p. 66.

Galearia tomentosa Presl Symb. bot. p. 50.

Ic. — Tab. LXIV. Iconogr. taurin. 23. tab. 94.

Trifolium glomerulis tomentosis per caulium longitudinem J. Bauh. Hist. 2. p. 379. ic. 1. ✢ Chabr. Sciagr. p. 162. ic. 6. ✢ (*stipulae nimis exiguae brevesque*).

T. luteum, capite rotundo, folliculoso, italicum Barr. Ic. tab. 864. (*etsi flores haud lutei, nec stipulae, saltem superiores, anguste longeque lanceolatae ut in icone*).

Differt a praecedente, cujus habitum refert, caulibus saepe brevioribus; foliolis obovatis, raro aliquot ex superioribus in planta luxuriante rhombeis; stipulis inferioribus brevius, superioribus vix aut non acuminatis; pedunculis semper folio brevioribus subindeve capitulis sessilibus aut fere sessilibus; calicis villoso-tomentosi labio superiore apice vix aut minus attenuato porrectoque quam in *Trifolio resupinato*, dentibus ejus semper brevissimis tomentoque utplurimum sic occultatis ut obliterati videantur. Corolla purpurascens nec lutea, uti apud Desfontaines. Legumina subovata, leniter compressa, calice inclusa, mono-disperma. Semina cordata, laevia, in aliis plantis vidi rufa, in aliis virentia striisque viridibus pulchre picta. — Errore apud Linnaeum l. c. et Willdenowium *calicis dentes*

tres superiores elongati describuntur, *inferiores* 2 *parvi* (Vid. Savi *Obs. Trifol.* l. c.).
In pascuis et ad vias.
Fl. aprili, majo. (1)

c. *Capitulis subumbellaribus, nudis; pedicellis demum pendulis; corolla albida vel rosea* (*haud flava*); *leguminibus di-hexaspermis* (lotoidea).

331. TRIFOLIUM REPENS

T. caule repente, farcto; foliolis obcordato-obovatove-cuneatis rotundatisve, argute denticulatis; stipulis lanceolato-acuminatis; capitulis umbellaribus, longe pedunculatis; laciniis calicinis lanceolatis, calicis demum deflexi, tubum vix aequantibus, corolla brevioribus; leguminibus tri-tetraspermis.

Trifolium repens Linn. Sp. p. 1080. Willd. Sp. 3. p. 1059. Savi Obs. Trifol. p. 86. Sering. in DC. Prod. 2. p. 198.

Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 75. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 95. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 511. et Suppl. p. 234. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 375. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 254. Savi Fl. pis. 2. p. 161. et Bot. etr. 4. p. 40. All.! Fl. ped. 1. p. 302. DC. Fl. fr. 4. p. 520. Lois. Fl. gall. 2. p. 118.

Amoria repens Presl Symb. bot. p. 47.

Ic. — Engl. bot. 25. tab. 1769. Fl. dan. tab. 990. Iconogr. taurin. 6. tab. 42. Riv. Tetr. irr. tab. 13. ic. 2.

Trifoliastrum pratense, corymbiferum, majus, repens; foliis rotundioribus, alba, sagittata et in acutum longius producta macula notatis; siliquis tetraspermis Michel. Nov. pl. gen. tab. 25. ic. 4.

Radix repens. Caules semipedales, pedales, farcti, basi ramosi, prostrati, repentes. Folia longe petiolata; foliola obcordato-cuneata aut rhombeo- vel orbiculato-obovata, obtusa, macula albida, in centro saepe notata. Stipulae albido-membranaceae, caulem vaginantes, nervosae, nervis virentibus, caudis lanceolato-acuminatis. Pedunculi axillares, folio longiores, striati, erecti aut ascendentes. Flores albi aut pallide rosei, in capitulum subglobosum umbellati, erecti, demum penduli. Pedicelli calicis circiter longitudine, bra-

cteola scariosa, concava, lanceolata, acuta ad basim stipati. Calix tubulosus, pallens, nervis viridibus, laciniis anguste lanceolato-acuminatis, rectis, duabus superioribus caeteris paullo longioribus: fauce nuda. Legumen maturum non vidi. — Planta glabra.

Ad vias et in pascuis.

Fl. aprili, junio. ♃

Ital. *Trifoglio bianco.*

332. TRIFOLIUM NIGRESCENS

T. caule farcto, ascendente; foliolis obovato-cuneatis, argute denticulatis; stipulis tenuissime breviterque acuminatis; capitulis umbellaribus, longe pedunculatis; calicinis laciniis lanceolatis, calicis demum deflexi tubum vix aequantibus, corolla brevioribus; leguminibus tetra-hexaspermis, torulosis suturaque altera crenatis.

Trifolium nigrescens Viv. Fl. ital. Fragm. fasc. 1. p. 12. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 199. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 514. et Suppl. p. 234. Tenor. Fl. neap. Syll. App. 3.ª p. 621.

T. hybridum Savi! Obs. Trifol. p. 90. non Linn. nec All.!. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 200. (*excl. syn.* Linn. *et* Sturm.). Zeraph. Fl. melit. Thes. 2. p. 75. Biv. Sic. Cent. 1. p. 81. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 375. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 255. Savi Fl. pis. 2. p. 158. et Bot. etr. 4. p. 41. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 393.

T. pallescens DC. Fl. fr. Suppl. p. 555. non Schreb.

Ic. — Viv. Fl. ital. Fragm. 1. tab. 13.

Trifoliastrum pratense, corymbiferum, repens, minimum; foliis obtusis, non maculatis; siliquis tetraspermis, superna parte aequalibus, inferna veluti nodosis; semine subluteo Michel. Nov. pl. gen. p. 27. tab. 25. ic. 3.

T. annuum, corymbiferum, album et procumbens; folio cordato, subtus atrovirente, splendente; siliqua tetrasperma, inferne falcatim discriminata Michel. Op. et l. c. tab. 25. ic. 6.

Radix tenuis, tereti-fusiformis, ad perpendiculum descendens, ramos fibrasque laterales longas, plurimas emittens. Caules plures, palmares, sesquipedales, farcti, ramosi, ascendentes, erecti diffusive. Foliola viridia, obovato-cuneata, superiora interdum subrhombea, omnia margine superiore argute denticulata. Stipulae caulem vaginantes, albido-membranaceae, nervis viridibus aut atro-viridibus,

apice ovatae aut triangulae, cum acumine tenuissimo. Pedunculi axillares, folio longiores, striati. Flores albi, in capitulum congesti, bracteola minima, scariosa ad basim stipati, primo fere sessiles, mox longius pedicellati, pedicellis calicem fere aequantibus, demum pendulis. Calix pallens, nervis viridibus, laciniis lanceolato-acuminatis, duabus superioribus paullo longioribus, corolla multo brevioribus. Legumen lineare, tetra-hexaspermum, torulosum, calicis tubo fauce nudo longius, sutura superiore recta, inferiore inter semina coarctata. Semina orbiculato-reniformia, flavescentia, laevia, compressa. — Planta glabra.

Ad vias et in pascuis maritimis, nec non in montanis monte Santo Pula, Tonnara: usque ad 800 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

333. TRIFOLIUM MICHELIANUM

T. caule fistuloso; foliolis obovato-obcordatove-cuneatis, denticulatis; stipulis ovato-triangulis, acutis, vixve acuminatis; capitulis umbellaribus; calicinis laciniis lineari-setaceis, calicis demum deflexi tubo multo longioribus, corolla brevioribus; leguminibus stipitatis, dispermis.

Trifolium Michelianum Savi! Fl. pis. 2. p. 159. et Obs. Trifol. p. 93. Sering. in DC. Prod. 2. p. 201. Urv. En. pl. Archip. p. 95. Savi Bot. etr. 4. p. 43. DC. Fl. fr. Suppl. p. 554. Lois. Fl. gall. 2. p. 119.

Salzm.! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

T. Vaillantii Lois. Journ. bot. 2. p. 365.

T. hybridum Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 94. ?

T. hybridum β. Linn. Sp. p. 1079.

Amoria Micheliana Presl Symb. bot. p. 47. (*excl. syn.* Viv.).

Ic. — Melilotus qui Trifolium orientale, altissimum, caule fistuloso, flore albo Vaill. Bot. paris. tab. 22. ic. 5.

Trifoliastrum pratense, corymbiferum, erectum, annuum et praealtum; caule crassiore, fistuloso; folio longiore cordiformi; flore albo; siliqua incurva, lata, compressa ac disperma Michel. Nov. pl. gen. p. 28. tab. 25. ic. 2. (*stipulis acutiusculis*) et T. supinum, corymbiferum, annuum, album, majus; folio longiore obtuso; siliqua incurva, lata, compressa ac disperma Michel. l. c. tab. 25. ic. 5. (*stipulis obtusis*).

Radix fistulosa, ad perpendiculum descendens, fibrillas ab extremitate et a lateribus plurimas, longas emittens, superne in caulem abiens unicum, fistulosum, ab ipsa basi ramosissimum, aut in plures ramosos pariterque fistulosos, palmares, pedales, quorum laterales decumbentes aut ascendentes, centrales erectiusculi. Foliola obovata aut obcordata, viridia, superiora sensim majora, longiora et plerumque ovali-obovata, omnia obtusissima, serrato-denticulata basique plus minusve cuneata. Stipulae foliaceae, nervosae, acutae aut vix tenuiterque acuminatae, basi connatae, sed caulem infimae vix vaginantes, neutiquam superiores. Pedunculi axillares, striati. Capitula ovato-globosa, mox depressa, laxiora quam in duobus praecedentibus, modo petiolo longiora, modo breviora. Flores primo breviter pedicellati, erecti, pedicellis bracteola scariosa, triangulo-acuta, minima basi stipatis, mox longioribus, pendulis. Calix 10-nervius, tubo valde brevi, fauce nudo, laciniis eum duplo et ultra superantibus, duabus superioribus caeteris paullo longioribus, omnibus lineari-setaceis, demum patulis. Corolla albido-virens, calice fere duplo longior. Legumen irregulariter obovatum, stipitatum, puberulum, compressum, dispermum, sutura altera marginatum, calicis laciniis paullo brevius. Semina matura non vidi. — Planta glabra.

In palustribus circa Macomer.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Trifolium nostrum *Michelianum* ab *Amoria macropoda* Presl Symb. bot. p. 51. tab. XXXI. *Trifolio macropodo* Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 234. non differt nisi caulibus fistulosis. Corolla rosea apud Presl l. c., albida ex Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 513. — *Trifolium hybridum* All.! Fl. ped. 1. p. 302. ab *Amoria macropoda* Presl l. c. non differt nisi leguminibus glabris.

d. *Corolla lutea, scariosa* (lupulina).

354. TRIFOLIUM PROCUMBENS

T. foliolis denticulatis, obovato-cuneatis rhombeisve, obtusis, subemarginatis, intermedio longius petiolulato; stipulis semiovatis, acutis, petiolo brevioribus; capitulis pedunculatis, lateralibus terminalibus-

que, ovalibus, densifloris; calicinis laciniis inferioribus longioribus, calicis tubum vix superantibus; corollae vexillo sulcato.

Trifolium procumbens LINN. Sp. p. 1088. WILLD. Sp. 3. p. 1383. SERING. in DC. Prod. 2. p. 205. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 102. CHAUB. et BORY Exped. Mor. p. 222. non SAVI.

T. campestre SCHREB. in STURM. Fl. germ. 1. fasc. 16. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 526. et Suppl. p. 235. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 377. DC. Fl. fr. Suppl. p. 562. LOIS. Fl. gall. 2. p. 127.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

T. procumbens β *campestre* CAMBESS. En. pl. balear. p. 67.

T. agrarium ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 74. BIV. Sic. Cent. 2. p. 70. SAVI! Obs. Trifol. p. 103. et Bot. etr. 4. p. 48. ALL.! Fl. ped. 1. p. 308. (*ex parte*) non LINN.

T. spicis ovalibus, imbricatis, vexillis deflexis persistentibus; calicibus nudis, caule erecto ALL.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 102.

Melilotus agraria DESF. Fl. atl. 2. p. 193.

Ic. — Trifolium campestre SCHREB. l. c. tab. 13. T. procumbens Fl. dan. tab. 796. Engl. bot. 14. tab. 945.

Lupulinum RIV. Tetr. irr. tab. 10. ic. 1.

Trifolium pratense, luteum, capitulo Lupuli vel agrarium VAILL. Bot. paris. tab. 22. ic. 3.

T. pratense, luteum, foemina; flore pulchriore sive lupulino J. BAUH. Hist. 2. p. 381. ic. 1. ⁂ CHABR. Sciagr. p. 164. ic. 2. ⁂? (*minus bonae: stipulae nullae, foliolum intermedium in aliis foliis petiolulatum, in aliis sessile*).

(*Icon* Trifolium lupulinum, luteum, majus MORIS. Hist. sect. 2. tab. 13. ic. 1. 2. *etsi a* J. BAUHINO *deprompta, ob foliola tamen omnia sessilia nostrae plantae haud potest accommodari.*)

β. *minus*, caule filiformi, procumbente; pedunculis longioribus; capitulis minoribus.

Trifolium procumbens SCHREB. in STURM. Fl. germ. fasc. 16. DC. Fl. fr. Suppl. p. 563. LOIS. Fl. gall. 2. p. 127.

Ic. — SCHREB. l. c. tab. 14.

Caulis teres, solitarius aut plures, palmares, pedales et ultra, erecti ramis ascendentibus diffusisve, aut procumbentes, pilosi glabrive, aetate saepe rufescentes. Folia petiolata, petiolis, in eadem etiam planta, longitudine variis, 2-5-lineas longis: foliola glabra, nervosa, glaucescentia, denticulata, obovato-cuneata, superiora saepe

rhomboidea, omnia obtusa, modo emarginata, modo non. Stipulae nervosae, semiovatae, saepe pilosiusculae, apice triangulo-acutae aut brevissime acuminatae, petiolo breviores. Pedunculi pilosi, axillares, in α folio plerumque breviores aut aequales, in β longiores, caeterum in utraque varietate eademque in planta longitudine prorsus varii. Capitula ovalia subindeve nonnulla globosa, in α densiora majoraque: rachis pilosa, pilis aliis albidis, aliis purpureis horumque plerisque fasciculatis. Flores breviter pedicellati, post anthesim reflexi. Calicis tubus pedicellis fere brevior, fauce nuda, laciniis tribus inferioribus anguste linearibus, longioribus, superioribus duabus triangulo-acutis, brevissimis. Corolla aurea, mox spadicea, persistens, calice multo longior: vexillum amplum, sulcatum, denticulatum, subemarginatum. Legumen ovali-obovatum, stipitatum, membranaceum, compressum, stylo persistente mucronatum, monospermum. Semen ovatum, laeve, nitidum, flavescens aut helvolum. Var. β omni sui parte minor ac α, variat foliorum inferiorum foliolis omnibus sessilibus: petiolis autem longioribus, vexillo valide sulcato caeterisque a *Trifolio minore* Sm. Engl. bot. 18. tab. 1256. differt.

In arvis maritimis Campidano di Cagliari, Sassari, in collinis Morgongiori: et in pascuis arvisque montanis Sette Fratelli, Fonni: ab 1 ad 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

335. TRIFOLIUM FILIFORME

T. exile; foliolis obovato-obcordatove-cuneiformibus, denticulatis, omnibus subsessilibus; stipulis subovatis, petiolo brevissimo longioribus, infimis subbrevioribus; racemis laxe capitatis, pedunculatis, lateralibus terminalibusque, 2-15-floris, folium superantibus; calicinis laciniis inferioribus longioribus, calicis tubum subaequantibus; corollae vexillo laevi.

Trifolium filiforme Linn. Sp. p. 1088. Willd. Sp. 3. p. 1384. Sm. Fl. brit. p. 1404. et Engl. Fl. 3. p. 310. Savi! Obs. Trifol. p. 106. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 235. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 378. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 255. Savi Bot. etr. 4. p. 50. All.! Fl. ped. 1. p. 308. DC. Fl. fr. Suppl. p. 563. Lois. Fl. gall. 2. p. 127. Cambess. En. pl. balear. p. 67.

Requien.! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

T. micranthum Viv. Fl. lyb. Sp. p. 45. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 206. Spr. Syst. 3. p. 208. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 527. Tenor. Fl. neap. Syll. App. 3.ª p. 621.

Amarenus filiformis Presl Symb. bot. p. 46.

Ic. — Trifolium filiforme Engl. bot. 18. tab. 1257. Fl. dan. tab. 1707. T. micranthum Viv. Fl. lyb. Sp. tab. xix. ic. 1.

Trifoliastrum pratense, lupulinum, luteum, erectum, minus; caule tenuissimo, vix se sustinente et plerumque non ramoso; foliis absque pediculis; capitulis uncialibus et capillaribus pedicellis insidentibus; siliqua compressa, disperma Michel. Nov. pl. gen. p. 29. tab. 25. ic. 8.

Radix fibrosa. Caules plures, biunciales, pedales et paullo ultra, teretes, exiles, simplices aut ramosi, erecti, decumbentes aut procumbentes, glabri, versus apicem pilosiusculi. Folia omnia breviter, superiora autem brevissime petiolata; foliola virentia, glabra, subsessilia, obovato- aut obcordato-cuneiformia, margine superiore serrato-denticulata, superiora sensim longiora et in planta praesertim luxuriante, oblongo-cuneiformia. Stipulae parvae, subovatae, acutae aut acutiusculae, ciliatae, petiolo longiores, inferiores interdum petiolo paullo breviores. Pedunculi axillares, filiformes, pilosi, folio longiores; floribus duobus-quindecim, exiguis, pedicellatis, erectis, mox pendulis, laxe racemoso-capitatis. Calix glaber fauceque nudus, laciniis tribus inferioribus longioribus e basi triangula lineari-acutis, apice plerumque piliferis. Corolla lutea, calice duplo circiter paullove ultra longior, vexillo haud sulcato. Legumen stipitatum, calicem subduplo superans, forma quadantenus varium prout mono- aut dispermum, obovatum ovatumve, ad latera utrinque obsolete sulcatum. Semina subovata, laevissima, nitida, rufescentia. — Variat foliolis omnibus aequaliter brevissime petiolulatis, et intermediis aliquot longius interdum petiolulatis ac lateralia.

In pascuis humentibus maritimis Pula, Oristano; in collinis Morgongiori; et in montanis Arizzo, Genargentu: inter 1 et 1400 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ①

XCVIII. LOTUS

Lotus LINN. Gen. ed. SCHREB. n.° 1212. JUSS. Gen. p. 356. TOURN. Inst. tab. 227. GAERTN. Fr. tab. 153. LMCK. Ill. tab. 611. Dorycnium HALL. WILLD. SERING. in DC. Prod. 2. p. 208. TOURN. Inst. tab. 211. Tetragonolobus SCOP. Fl. carn. 2. p. 87. Scandalida NECK. Elem. n. 1306. Krokeria et Lotea MOENCH. Meth. p. 143. 151. Bonjeannea REICH. Fl. germ. exc. 2. p. 507.

Calix tubuloso-campanulatus, 5-dentatus 5-fidusve. Alae sursum conniventes anticeve cohaerentes. Stamina diadelpha, quorum longiora quinque apice incrassata truncataque, antheris basi fixis, perpendicularibus. Legumen ovale, oblongum aut lineare, oligo-polyspermum. Semina dissepimentis transversis saepe interstincta.

556. LOTUS DORYCNIUM

L. suffruticosus; foliis sessilibus; foliolis stipulisque conformibus angusteque lineari-spathulatis; leguminibus ovalibus, mono-dispermis, calice sesqui- duplove longioribus.

Lotus Dorycnium LINN. Sp. p. 1093. DESF. Fl. atl. 2. p. 207. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 106.

L. capitulis aphyllis; foliis sessilibus, quinatis ALL.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 97. VALL. et ALL. Florul. corsic. ibid. 2. p. 213.

Dorycnium suffruticosum VILL. Hist. pl. Delph. 3. p. 416. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 209. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 258. BADAR. Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. 2. p. 31. DC. Fl. fr. 4. p. 257. LOIS. Fl. gall. 2. p. 138. CAMBESS. En. pl. balear. p. 68.

D. monspeliense WILLD. Sp. 3. p. 1396. SAVI Bot. etr. 4. p. 59.

D. parviflorum SAVI Fl. pis. 2. p. 177.

Dorycnium ALL.! Fl. ped. 1. p. 311.

Ic. — Dorycnium hispanicum CLUS. Hist. 1. p. 100. ic. 1.✤ LOB. Icon. 2. p. 51. ic. 1.✤ (*foliolis lanceolatis: stipulis nullis*).

D. monspessulanum fruticosum J. BAUH. Hist. 1. (lib. XI.) p. 387. 388. ic. 1.✤

D. veterum, Cratevae dictum CHABR. Sciagr. p. 83. ic. 5.✤

D. monspeliensium ZANNICH. Ist. tab. 107.

Lotus polycephalos incana, siliculis subrotundis, erectis MORIS. Hist. sect. 2. tab. 18. ic. 15. (*foliolis lanceolatis peccans*) et tab. 15. ic. M.

Suffrutex semipedalis, pedalis et paullo ultra. Caules caespitosi, erecti, ramosi, ramis erectis patulisve, ramulis adpresse pubescentibus. Folia sessilia: foliola ternata, inferiora stipulis subinde carentia, caetera stipulis lateralibus sic foliolis ipsis conformibus ut quinata videantur, omnia obverse lanceolata seu lineari-spathulata, angusta, vix lineam, raro paullo plus quam lineam lata, adpresse pubescentia, ad ramorum basim breviora et plerumque obtusa, reliqua acutiuscula acutave. Pedunculi versus summitatem ramulorum axillares et terminales, adpresse pubescentes, folio duplo quadruplove longiores. Capitula hemisphaerica, tri-decemflora, modo basi nuda, modo folio simplici ternatove stipata. Pedicelli florum calice breviores. Calix tubuloso-campanulatus, adpresse sericeo-pubescens, quinquedentatus, subbilabiatus, dentibus triangulo-lanceolatis, tribus labii inferioris paullo angustioribus. Corolla alba, calice paullo longior, carina rufa vel atro-purpurea. Legumen coriaceum, ovale, glabrum, calice sesqui-duplove longius, stylo acuminatum. Semina nitida, laevia, solitaria aut bina, altero abortiente.

In saxosis collinis.

Fl. vere. ♄

Ital. *Moscino. Doricnio fruticoso.*

Obs. Neque habitus, neque characteres e leguminis vel calicis forma depromti, nec alae antice cohaerentes, neque stigma capitatum caeteraque, limites *Dorycnia* inter et *Lotos* Auctorum constantes ponere videntur. *Dorycnium latifolium* sic inter *Dorycnium herbaceum* et *rectum* intermedium est, ut ab iis nequeat sejungi: quamobrem *Dorycnia* leguminibus ovalibus oblongisve calicem subaequantibus, cum iis coalescunt quibus legumen teres calicem valde superat ut in *Lotis* Auct. Stigma capitatum in *Lotis* Auct. subinde se praebet: nec ratione stigmatis inter se differunt *Dorycnium parviflorum* et *Lotus angustissimus*. Neque calix pluribus inter se *Loti* et *Dorycnii* speciebus collatis constans offert discrimen, idemque de carina dixeris. Alae in *Loto ornithopodioide* antice coalescentes, in nonnullis *Dorycniis* nec in omnibus pariter coalescunt. — Praestantiores ac *Dorycnium*, in stylo et fructu characteres offert *Tetragonolobus* quibus a *Loto* sejungatur, tametsi in *Tetragonolobo conjugato* alae fere obsoletae nonnumquam videantur. Caeterum perinde ac *Genista*, *Ononis*, *Lathyrus* etc., linnaeanum *Loti* genus multiplices in legumine formas offert, unde si praecipuum ex fructu eruas chararcterem,

praeterquam in *Dorycnium* et *Tetragonolobum*, in alia superius adducta genera foret dispescendum. Equidem consultius duxi plantas inter se habitu et validis characteribus consentientes, sub eodem linnaeano genere complecti.

337. LOTUS HIRSUTUS

L. suffruticosus, villoso-tomentosus; foliolis obovato-oblongove-cuneiformibus; stipulis ovato-ellipticis; capitulis 3-10-floris; pedicellis fructiferis calice multo brevioribus; leguminibus tereti-oblongis, tri-pentaspermis, calices aequantibus vixve superantibus.

Lotus hirsutus Linn. Sp. p. 1091. Willd. Sp. 3. p. 1392. Desf. Fl. atl. 2. p. 204. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 48. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 105. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 223. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 540. et Suppl. p. 236. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 258. Savi Bot. etr. 4. p. 57. (*excl. syn.* Lobelii). All.! Fl. ped. 1. p. 310. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 179. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 31. DC. Fl. fr. 4. p. 556. Lois. Fl. gall. 2. p. 137.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Dorycnium hirsutum Sering.! in DC. Prod. 2. p. 208. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 378. Cambess. En. pl. balear. p. 67.

Bonjeannea hirsuta Reich. Fl. germ. exc. 2. p. 507.

Ic. — Iconogr. taurin. 10. tab. 97.

Lotus incana Riv. Tetr. irr. tab. 76.

Trifolium album, rectum, hirsutum valde J. Bauh. Hist. 2. p. 360. ic. ⚶ Chabr. Sciagr. p. 160. ic. 1. ⚶ (*foliis omnibus sessilibus et laciniis calicinis latioribus peccant*).

Lotus haemorrhoidalis flore albo et subrubescente Barr. Ic. tab. 1033. (*foliis omnibus sessilibus*).

L. polycephalos incana, alba, siliquis crassioribus, curtis, erectis Moris. Hist. sect. 2. tab. 18. ic. 14. (*ratione leguminum bene, caetera male*).

* *incanus.*

Lotus tomentosus Rhode in Schrad. n. journ. (1809.). p. 42. *in not.*

L. sericeus DC. Cat. H. monsp. p. 122. et Fl. fr. Suppl. p. 573.

Caules e communi caespite plures, semipedales, sesquipedales, fruticulosi, ramosi, erecti, ascendentes diffusive. Folia brevissime petiolata, summa subsessilia; inferiorum foliola obovato-cuneiformia, obtusa aut obtusiuscula, caeterorum oblongo-cuneiformia acutaque,

lateralia obliqua. Stipulae pleraeque vix petiolulatae, inferiores oblique ovatae, acutiusculae, caeterae oblique ovato-ellipticae, acutae, magnitudine circiter foliolorum. Capitula tri-decemflora, folio florali trifoliolato, sessili, plerumque ebracteato, basi stipata, fructifera modo a folio breviter remota, modo non. Flores majusculi, brevissime pedicellati. Calix corolla fere duplo brevior, laciniis anguste lanceolato-linearibus. Corolla pallide rosea, alis carina obtusa, apice fusco-purpurea valde longioribus, vexillo paullo brevioribus. Stylus glaber, stigmate capitato. Legumen coriaceum, glabrum, tereti-oblongum, tres-quatuor lineas longum, stylo mucronatum, tri-pentaspermum, modo calicem longitudine aequans, modo vix superans. Semina dissepimentis transversis imperfectis interstincta, laevia, globuloso-reniformia, vix compressa, primum pallide virentia, mox maculis nigrescentibus notata aut fusca. — Planta pubescens aut tomentosa, nunc viridi-cinerascens, nunc canescens, caulibus inferne glabratis.

In apricis, aridis, collinis, praesertim maritimis.

Fl. aprili, majo. ♄

338. LOTUS RECTUS

L. suffruticosus, erectus; foliolis obovato-oblongove-cuneiformibus, subtus glaucescentibus pubescentibusque; stipulis ovatis, subcordatis; capitulis densifloris; pedicellis calice demum longioribus; leguminibus tereti-linearibus, gracilibus, hexa-decaspermis, calicem duplo triplove superantibus.

Lotus rectus Linn. Sp. p. 1092. Willd. Sp. 3. p. 1393. Desf. Fl. atl. 2. p. 204. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 105. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 224. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 541. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 258. Savi Bot. etr. 4. p. 58. All.! Fl. ped. 1. p. 310. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 31. DC. Fl. fr. 4. p. 557. Lois. Fl. gall. 2. p. 137.

Dorycnium rectum Sering.! in DC. Prod. 2. p. 208. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 378. Cambess. En. pl. balear. p. 67.

Bonjeannea recta Reich. Fl. germ. exc. 2. p. 507.

Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 39. (*minus bona*).

Lotus lybica Riv. Tetr. irr. tab. 77.

L. coronatus, latifolius; siliquis nigris Barr. Ic. tab. 544. (*bona*).

L. polycephalos hirsuta; siliquis tenuibus, curtis, erectis Moris. Hist. sect. 2. tab. 18. ic. 13. (*ratione leguminum bene, caetera male*).

Suffrutex bi-quadripedalis. Caules erecti, ramosi, glabri aut superne pubescentes. Folia breviter petiolata: foliola obovato- vel oblongo-cuneiformia, lateralia obliqua, facie omnia virentia raroque puberula, obtusa cum brevi mucrone intermedio, subtus glaucescentia et plus minusve pubescentia. Stipulae majusculae, oblique ovatae, acutae, basi subcordatae, pleraeque brevissime petiolulatae. Capitula 4-30-flora et ultra, folio aut foliolo basi stipata, fructifera ab eodem paullulum saepe remota. Pedicelli calice demum longiores. Corollae parvae, albidae aut pallide rubellae carina apice atro-purpurea, alas subaequans aut vix superans, vexillo paullo brevior. Stylus glaber: stigma capitatum. Calix pubescens, laciniis anguste linearibus, corolla paullo brevioribus. Legumen glabrum, rufo-nigrescens, nitidum, rectum, teres, non turgidum, quatuor-sex lineas longum, calicem duplo subindeve triplo superans, semina fovens sex-decem, globulosa, nigrescentia, dissepimentis valvularum transversis, membranaceis, imperfectis interstincta.

Ad sepes et dumeta in maritimis humidis udisve, et in montanis: usque ad 700 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. ♄

Ital. *Mullaghera fruticosa.*

339. LOTUS CRETICUS

L. caulibus basi frutescentibus; foliolis sericeis, obovato-oblongovecuneatis; stipulis ovato-lanceolatis ovatisve; pedunculis 1-8-floris; calicis laciniis lateralibus brevioribus; leguminibus teretiusculis.

Lotus creticus Linn. Sp. p. 1091. Willd. Sp. 3. p. 1392. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 211. Desf.! Fl. atl. 2. p. 200. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 105. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 546. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 31. Lois. Fl. gall. 2. p. 136. Cavan. Ic. et descr. pl. Hisp. 2. p. 44. Cambess. En. pl. balear. p. 70.

Requien! Soleirol! Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Lotus cytisoides All. Fl. ped. 1. p. 311. (*ex parte*).

Ic. — Cavan. l. c. tab. 156. (*etsi petioli tenuiores*).

β. *cinereo-virescens*, foliis cinereo-virescentibus aut glaucescentibus.
Lotus cytisoides Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 544. et Suppl. p. 236.

Radix alte descendens, lignea, ramosa. Caules plures, semipedales, sesquipedales, prostrati, decumbentes vel ascendentes, teretes, ramosi, adpresse sericeo-pubescentes, basi frutescentes atque glabrati. Foliola pilis sericeis adpressisque plus minusve obsita, modo omnia obovato-cuneata, modo infima obovato-cuneata obtusaque, reliqua aut superiora oblongo-cuneata subindeve rhombeo-cuneiformia, acutiuscula. Stipulae inferiores ovatae, obtusiusculae, caeterae ovatae aut ovato-lanceolatae, acutiusculae vel acutae, omnes obliquae adpresseque sericeae. Pedunculi folio multo longiores, floribus breviter pedicellatis, plerumque tribus-quinque, raro pluribus aut paucioribus. Folium florale, bi- aut saepe trifoliolatum: foliolis acutis aut acutiusculis, forma in utraque varietate admodum variis, oblongis, ovalibus aut ovali-lanceolatis, raro lineari-lanceolatis, intermedio nonnumquam oblongo-cuneiformi, lateralibus saepe obliquis; modo calice brevioribus, modo ei aequalibus. Calix adpresse sericeus, laciniis linearibus aut lineari-lanceolatis, obtusiusculis aut vix acutis, lateralibus labii inferioris lineari-oblongis, brevioribus, saepius obtusis. Corolla calice valde longior, lutea, carina (in utraque varietate) apice plerumque fusca. Legumina teretia aut teretiuscula subindeque torulosa, crassitie in eadem etiam planta varia, itemque longitudine inter octo et viginti lineas, calicem plusquam duplo, saepe triplo quadruplove, interdum quintuplo superantia, recta, raro aliquot curvata. Semina globulosa, laevia, nitida, rufo-fusca, dissepimentis transversis, membranaceis interstincta. — Planta in α pilis densioribus obsita atque sericeo-argentea, petiolis brevissimis: in β cinereo-virescens aut cinereo-glaucescens, petiolis modo brevissimis, modo longioribus.

In arenosis litoreis Sardiniae et insularum la Maddalena, Tavolara, Asinara: var. β in apricis collinisque maritimis, abunde ad Scala di Ciocca.

Fl. aprili, majo. ♄

Obs. Limites inter allatas *Loti cretici* varietates post plurima inspecta specimina equidem invenire non potui. Planta nimirum in arenosis litoreis argenteo-

sericea atque petiolis brevissimis, jam cinerascens aut minus canescens haud procul a litore maritimo se praebet atque petiolis subinde minus brevibus: sub hoc statu inter propositas varietates intermedio, in incerto fueris ad quamnam spectet, ad alterutram vero aequo jure referre certe licuerit eo vel magis quod petioli in ipsis caulibus ex eodem stipite productis, longitudine variare deprehendantur: longius autem a litore locisque minus sterilibus crescens var. nostra β *cinereo-virescens* aut *cinereo-glaucescens* petiolis longioribus, non dilatatis ut in var. α se offert, nec tamen constanter neque aliud nisi in colore in α argenteo, in β viridi-cinerascente quaedam utriusque varietatis specimina nostra offerunt. Petiolorum autem longitudinem atque crassitiem in *Lotis* variare et minus fidum praebere specificum characterem, ex collatis inter se *Loti corniculati* aliorumque varietatibus eruitur. In *Loto jacobaeo* culto, folia vidi aliis in caulibus sessilia, in aliis longiuscule petiolata. — Ex speciminibus nicaeensibus *Loti cytisoidis* All. Herbar. aliud cum *Loti cretici* nostri varietate α congruit, caetera valde accedunt ad var. nostram β, nec differunt nisi leguminibus longioribus curvatisque. Pariterque a nostris differunt *Loti cytisoidis* specimina quaedam e Gallia meridionali.

340. LOTUS CORNICULATUS

L. perennis; foliolis obovatis oblongove lanceolatis; stipulis ovatis lanceolatisve; pedunculis uni-sexfloris, folium longe superantibus; calicinis laciniis inter se calicisque tubo subaequalibus; leguminibus teretibus, rectis, patulis.

Lotus corniculatus Linn. Sp. p. 1092. Willd. Sp. 3. p. 1395. α.

Desf. Fl. atl. 2. p. 205. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 100. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 28. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 106. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 380. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 258. Savi Fl. pis. 2. p. 147. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 179. All.! Fl. ped. 2. p. 311. DC. Fl. fr. 4. p. 555. Lois. Fl. gall. 2. p. 137. Cambess. En. pl. balear. p. 70.

Ic. — Engl. bot. 30. tab. 2090. Fl. dan. tab. 991.

Melilotus nobilis Trag. Hist. p. 594. ic.

M. germanica Fuchs. Hist. p. 527. ic.

Trifolium corniculatum Dod. Pempt. p. 573. ic. 2. ✦ Lob. Obs. p. 501. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 44. ic. 1. ✦

Lotus corniculata, glabra et hirsuta, minor J. Bauh. Hist. 2. p. 354. 355. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 157. ic. 2. ⁂

L. pentaphyllos, glabra Zannich. Ist. tab. 280.

β. *tenuifolius*, gracilis, foliis stipulisque superioribus oblongo-acuminatis, angustis.
Lotus corniculatus *tenuifolius* Urv.! En. pl. Archip. p. 96.
L. tenuis Waldst. et Kit. in Willd. En. H. Berol. p. 797. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 540.
L. depressus Willd. En. pl. H. Berol. Suppl. p. 52.

γ. *minimus*, pumilus, gracillimus, foliolis stipulisque minimis; pedunculis uni-bifloris.
L. corniculatus ζ. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 397.

Radix valida, ramosa. Caules striato-angulosi, decumbentes diffusive. Folia in α et γ plus minusve breviter, in β (apud nos) brevissime petiolata, petiolis scilicet dimidiam lineam vixve lineam longis: foliola modo omnia obovata, obtusa, superiora acutiuscula vel acuta, modo inferiora obovata, caetera lineari-oblonga vel oblongo-lanceolata acutaque, facie virentia, subtus saepe glaucescentia. Stipulae foliolorum circiter magnitudine, superiores sensim acutiores. Pedunculi folio multo longiores. Folium florale, trifoliolatum, in γ subinde uni- aut bifoliolatum. Flores pedicellati, in γ solitarii, raro bini, in caeteris varietatibus raro aliquot solitarii, saepe tres-quinque subindeve sex, in orbem fere dispositi. Calicis laciniae anguste lanceolatae, acutae, inter se calicisque tubo longitudine subaequales, corolla valde breviores. Corolla lutea, vexillo amplo, orbiculato-elliptico, cruribus lineari-cuneatis, lineis rubentibus rubrisve saepe notato, siccatione autem cum alarum apice viridi-coerulescente: alae conniventes, liberae, obtusae; carina alas vix superans, vexillo paullo brevior. Filamenta staminum longiora (nec omnia ut apud Sm. Engl. Flor. 3. p. 313.), apice apud nos incrassata. Legumina teretia, recta, glabra, sex-duodecim lineas subindeve nonnulla sesquunciam fere longa, polysperma. Semina globoso-reniformia, rufo-fusca, nitida, laevia. — Planta biuncialis, pedalis et ultra, modo glabriuscula, modo pilosa.

In pascuis et ad vias: var. *minima* in montanis Arizzo: var. *tenuifolia* in maritimis arenosis.

Fl. aprili, junio. ♃

541. LOTUS ORNITHOPODIOIDES

L. pubescens; foliolis obovato-rhombeove-cuneatis; stipulis rhombeo-ovatis; pedunculis bi-quinquefloris; calicis laciniis lateralibus brevioribus; leguminibus linearibus, compressis, torulosis, curvulis.

Lotus ornithopodioides Linn. Sp. p. 1091. Willd. Sp. 3. p. 1391. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 209.

Desf. Fl. atl. 2. p. 203. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 28. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 104. Urv. En. pl. Archip. p. 96. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 223. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 542. et Suppl. p. 236. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 378. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 257. Savi Due Cent. Fl. etr. p. 135. et Bot. etr. 4. p. 57. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 396. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 31. All.! Fl. ped. 1. p. 310. (*excl. icon. Iconogr. taurin.*). DC. Fl. fr. 4. p. 554. Lois. Fl. gall. 2. p. 136. Cavan. Ic. et descr. pl. Hispan. 2. p. 48. Cambess. En. pl. balear. p. 68.

Ph. Thomas ! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Cavan. l. c. tab. 163. Iconogr. taurin. 33. tab. 38.

Lotus siliqua arcuata Riv. Tetr. irr. tab. 75.

L. Ornithopodii siliquis J. Bauh. Hist. 2. p. 358. 359. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 158. ic. 1. ⁂

L. polycephalos, annua, procumbens, siliquis Ornithopodii Moris. Hist. sect. 2. tab. 18. ic. 8. (*legumina satis bene, caetera male*).

Caules plures, semipedales, pedales, teretes, tenues, pubescentes, ramosi, raro erecti, saepe ascendentes diffusive. Foliola utrinque pubescentia, inferiora obovato-cuneata obtusaque, caetera sensim magis rhombeo-obovata, superiora acutiuscula. Stipulae rhombeo-ovatae aut rhombeo-triangulae, pubescentes, foliolis minores, nonnullae praesertim ex infimis interdum rotundatae (cordatas ut in icone citata Cavan. non vidi), superiores saepe acutiusculae. Pedunculi axillares, folium raro aequantes, saepe superantes, uni-quinqueflori. Flores vix pedicellati. Folium florale trifoliolatum, sessile, calices subaequans. Calix pubescens, bilabiatus, labii inferioris laciniis lateralibus brevissimis, intermedia caeteris paullo longiore. Corolla lutea, alis apice coalescentibus carinamque idcirco includen-

tibus, vexillo paullo brevioribus. Legumina linearia, matura lineam circiter lata, duodecim-sexdecim longa, curvula falcatave, compressa, glabra, torulosa, 8-18-sperma. Semina orbiculata, compressa, olivacea, laevissima, nitida.

In herbosis maritimis, et in montanis Sette Fratelli.

Fl. aprili, majo. ①

342. LOTUS ANGUSTISSIMUS

L. patenter pilosus; foliolis obovato-cuneatis obverseve lanceolatis; stipulis ovato-lanceolatis ovatisve; pedunculis uni-quadrifloris, folium subaequantibus duplove superantibus; calicinis laciniis subaequalibus, calicis tubo longioribus; leguminibus teretibus, rectis, gracilibus.

Lotus angustissimus Linn. Sp. p. 1090. Willd. Sp. 3. p. 1389. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 213. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 104. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 225. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 536. et Suppl. p. 235. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 379. Savi Bot. etr. 1. p. 177. All.! Fl. ped. 1. p. 310. DC. Fl. fr. Suppl. p. 573. Lois.! Fl. gall. 2. p. 136.

L. diffusus Soland. in Herb. Banks ex Sm. Fl. brit. p. 794. Willd. Sp. 3. p. 1389. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 213. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 379. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 257. DC. Fl. fr. Suppl. p. 573.

L. gracilis Waldst. et Kit.! Pl. rar. Hung. 3. p. 254. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 213.

Ic. — Lotus diffusus Engl. bot. 13. tab. 925. (*planta glaberrima*). L. gracilis Waldst. et Kit. Pl. rar. Hung. 3. tab. 229. Iconogr. taurin. 45. tab. 87.

L. corniculata, siliquis singularibus vel binis, tenuis J. Bauh. Hist. 2. p. 356. ic. 2. ⁂

L. corniculata, siliquis singularibus, binis ternisve Chabr. Sciagr. p. 157. ic. 4. ⁂

L. annua oligoceratos, siliquis singularibus, binis ternisve Moris. Hist. sect. 2. tab. 18. ic. 1.

β. *major*, robustior, pedunculis subinde quadrifloris.

Lotus hispidus Desf. Cat. H. paris. p. 190. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 212. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 537. et Suppl. p. 236. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 379. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 396. DC. Fl. fr. Suppl. p. 572. Lois.! Fl. gall. 2. p. 137.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.
Ic. — Lois. Fl. gall. tab. 16.

Caules unciales, pedales et ultra, ascendentes aut procumbentes. Folia petiolata, inferiora foliolis obovatis, obtusis, superiora foliolis sensim longioribus, oblongo-obovatis, lineari-oblongis oblongisve, acutis, omnibus basi cuneatis, lateralibus obliquis. Stipulae oblique ovatae, foliolorum circiter magnitudine, superiores acutiusculae acutaeve, sensim longiores subindeque ovato-lanceolatae. Pedunculi uni-triflori, folio (in eadem etiam planta) nunc paullo breviores, nunc aequales, nunc duplo longiores; in β nonnulli saepe quadriflori atque folio plerique duplo longiores. Flores brevissime pedicellati. Folii floralis foliola in utraque varietate in ejusdemque plantae pedunculis numero plane varia, modo unicum, modo bina aut terna, ovalia, oblonga aut saepe oblongo-lanceolata, acuta angustaque. Calix valde pilosus, laciniis anguste lanceolato-linearibus, tubo longioribus, inter se subaequalibus, corolla brevioribus. Corolla lutea, vexillo interdum purpurascente, carina alis longiore. Stylus tenuis stigmate capitato. Legumina angusta, teretiuscula, glabra, longitudine semiuncialia, uncialia. Semina globulosa, laevia, olivacea aut flavescentia. — Planta pilosa, pilis patulis e basi (oculo armato) callosula originem ducentibus: caulibus basi demum glabratis.

In campis maritimis et in pascuis collinis Cagliari, Bosa, Belvì, Flumini-major; et in montanis Sette-Fratelli, Fonni: inter 4, 5 et 990 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, majo. ①

Stirps foliolorum forma et pedunculorum leguminumque longitudine admodum varia: altera vero ex allatis varietatibus per intermedios gradus in alteram abit.

343. LOTUS PARVIFLORUS

L. patenter villosissimus; foliolis oblongis lanceolatisve, basi cuneatis; stipulis ovatis; pedunculis tri-sexfloris; calicinis laciniis lineari-setaceis, subaequalibus, calicis tubo duplo longioribus, corollam leguminaque membranacea, oblonga subaequantibus.

Lotus parviflorus Desf. Fl. atl. 2. p. 206. Willd. Sp. 3. p. 1394. Biv. Sic. Cent.

2. p. 35. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 538. et Suppl. p. 236. DC. Fl. fr. Suppl. p. 572. Lois. Fl. gall. 2. p. 137.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

L. hispidus DC. Fl. fr. 4. p. 556. (*excl. syn.*).

Dorycnium parviflorum Sering.! in DC. Prod. 2. p. 208. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 378.

Ic. — Desf. Fl. atl. tab. 211. DC. Icon. pl. Gall. rar. tab. 30.

Caules plures, biunciales, dodrantales, tenues, simplices ramosive, erecti vel ascendentes, seu laterales decumbentes, centrales erecti. Folia petiolata, foliolis ellipticis, oblongis lanceolatisve, acutiusculis vel acutis subindeve superioribus acuminatis, omnibus basi attenuatis, lateralibus obliquis. Petiolus foliolis brevior. Stipulae foliolis saepe latiores, basi oblique ovatae aut vix cordatae, apice attenuatae acutaeque, inferiores interdum obtusae. Pedunculi filiformes, axillares, folio longiores, erecti, fructiferi recurvo-patentes. Capitula tri-sexflora, folio florali lineari-lanceolato simplicique basi saepe stipata, raro aliquot nuda. Flores brevissime pedicellati. Calix profunde quinquefidus, laciniis lineari-setaceis, subaequalibus, tubo duplo longioribus, corollam aequantibus aut ea vix brevioribus. Corollae luteae carina alas subaequans, versus apicem valde attenuata, obtusa, vexillo paullo brevior. Legumen hexa-endecaspermum, membranaceum, oblongum, calicem subaequans. Semina sphaerico-reniformia, lutescentia, laevia.

In calcareis maritimis Tortolì et in collinis Belvì: usque ad 800 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, majo. ①

344. LOTUS CONIMBRICENSIS

L. gracilis; foliolis obovato-cuneatis, superioribus subrhombeis, stipulisque ovatis, glaberrimis longeve pilosis ciliatisque; pedunculis unifloris, petiolo subaequalibus brevioribusve; calicinis laciniis inter se calicisque tubo subaequalibus; leguminibus teretiusculis, incurvis, gracillimis, longissimis.

Lotus conimbricensis Brot. Fl. lusit. 2. p. 118. et Phyt. 1. p. 127. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 213. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 225. Guss. Fl. sic.

Prod. 2. p. 535. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 379. BALB.! Misc. alt. pedem. p. 24. LOIS. Fl. gall. 2. p. 136.

PH. THOMAS! SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

L. aristatus DC. Cat. H. monsp. p. 122. et Fl. fr. Suppl. p. 572. URV. En. pl. Archip. p. 96.

Ic. — BROT. Phyt. 1. tab. 53. Iconogr. taurin. 45. tab. 85.

β. glaberrimus.

Lotus glaberrimus DC.! Cat. H. monsp. l. c. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 213.

L. coimbrensis WILLD. Sp. 3. p. 1390.

Ic. — Lotus coimbrensis Iconogr. taurin. 45. tab. 86.

Radix gracilis, fibroso-ramosa, tuberculis sparsis, graniformibus obsita. Caulis modo solitarius, erectus, modo ex eadem radice plures, biunciales, dodrantales, ascendentes diffusive, exiles, striati, simplicissimi ramosive, glabri aut superne sparsim pilosi. Foliola obovato-cuneata, obtusa, saepe glaucescentia, modo glaberrima, modo pilosa ciliatave, pilis longis, raris, superiora sensim majora, acutiuscula vel acuta, saepe rhombeo-cuneata, lateralia omnia plus minusve obliqua. Stipulae oblique ovatae, perinde ac foliola glaberrimae, pilosae ciliataeve, superiores acutiusculae. Pedunculi axillares, uniflori (rarissime aliquis biflorus), modo crassiores et lineam dumtaxat aut sesquilineam longi petioloque breviores, modo tenuiores atque tres-quinque lineas longi petiolumque aequantes aut paullo superantes. Calix brevissime pedicellatus, bilabiatus, laciniis anguste lanceolato-linearibus, acutis, glaberrimis, pilosis ciliatisve, inter se et tubo subaequalibus, corolla brevioribus. Folium florale plus minusve breviter petiolatum, exstipulatum, saepe trifoliolatum, in summo pedunculo et ad pedicelli basim insertum. Corolla albida vel pallide rosea, vexillo lineis longitudinalibus roseis notato, carina apice atro-purpurea alas obtusas subaequante. Antherae flavae. Stylus longitudine staminum longiorum. Legumina uncialia, biuncialia, linearia, glabra, incurva. Semina ovalia, laevia, helvola aut lutescentia.

In apricis maritimis Porto-Conte, Geremèas et collinis Villacidro: var. *glaberrima* promiscue cum *pilosa*.

Fl. aprili, majo. (1)

345. LOTUS EDULIS

L. pilosus; foliolis obovato-cuneatis; stipulis ovatis; pedunculis uni-bifloris; calicinis laciniis subaequalibus, calicis tubo longioribus; leguminibus carnosis, demum coriaceis, arcuatis suturaque superiore introflexa; seminibus tuberculatis.

Lotus edulis Linn. Sp. p. 1090. Willd. Sp. 3. p. 1388. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 209.

Desf. Fl. atl. 2. p. 202. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 51. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 103. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 223. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 535. et Suppl. p. 235. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 378. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 20. All.! Fl. ped. 1. p. 310. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. 2. p. 31. DC. Fl. fr. 4. p. 554. Lois. Fl. gall. 2. p. 136. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 2. p. 44. Cambess. En. pl. balear. p. 68.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Krokeria oligoceratos Moench. Meth. p. 143.

Ic. — Cavan. l. c. tab. 157. Iconogr. taurin. 29. tab. 25.

Trifolium corniculatum, creticum Prosp. Alpin. Plant. exot. tab. 268. (*errore typograph.* 264.).

T. sive Lotus Hierazune, edulis, siliquosa J. Bauh. Hist. 2. p. 365. ic. 2. ⅄

Lotus Hierazuni cretica Belli seu Trifolii genus edule Chabr. Sciagr. p. 158. ic. 4. ⅄ (*foliolis plerisque longius mucronatis peccant*).

L. oligocephalos, cretica, lutea, siliquis binis, curvis, propendentibus Moris. Hist. sect. 2. tab. 18. ic. 5.

Caules semipedales, sesquipedales, pubescentes, ramosi, ascendentes diffusive. Folia petiolata: foliola crassiuscula, modo ad utramque paginam glabra, modo parce, subtus praesertim, pilosiuscula, margine pleraque breviter ciliata, superiora acutiuscula, caetera obtusa, lateralia omnia obliqua. Stipulae foliolorum circiter magnitudine, oblique ovatae, subcordatae, obtusae aut acutiusculae. Pedunculi folio longiores, pubescentes, uniflori, raro aliquot biflori. Flores brevissime pedicellati. Folium florale trifoliolatum, sessile, pedicelli basim stipans. Calix pubescens, profunde quinquefidus, laciniis lineari-lanceolatis, subaequalibus, acutis, calicis tubo longioribus, corolla fere duplo brevioribus. Corolla majuscula, lutea, carina apice at-

tenuata nigraque: alis carinam subaequantibus, vexillo paullo brevioribus. Legumen sex-quindecim lineas longum, polyspermum, crassum, breviter acuminatum, mox arcuatum coriaceumque, sutura superiore sic demum introflexa ut semina in duo fere loculamenta juxta longitudinem dividere videatur. Semina globulosa, angulata, rufa vel fusca, tuberculata.

In arvis circa S. Tenera Cagliari et insulae Asinara.

Fl. martio, aprili. (1)

346. LOTUS TETRAGONOLOBUS

L. foliolis obovato-cuneatis; stipulis ovatis; pedunculis uni-bifloris; calicinis laciniis inter se calicisque tubo subaequalibus; stylis superne incrassatis; leguminibus quadrifariam lateque alatis, glaberrimis.

Lotus Tetragonolobus Linn. Sp. p. 1089. Willd. Sp. 3. p. 1386.
Desf. Fl. atl. 2. p. 201. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 28. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 103. Biv. Sic. Cent. 1. p. 54. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 223. α. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 532. α. et Suppl. p. 235. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 380. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 257. All.! Fl. ped. 1. p. 309. DC. Fl. fr. 4. p. 553. Lois. Fl. gall. 2. p. 136.
Tetragonolobus purpureus Moench. Meth. p. 164. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 215.

Ic. — Iconogr. taurin. 15. tab. 82. ic. 1. (*e planta culta*).
Lotus Tetragonolobus flore rubro Riv. Tetr. irr. tab. 79. (*e planta luxuriante*).
L. siliquosus rubello flore Clus. Hist. 2. p. 244. ic.
L. siliquosa, flore fusco, Tetragonolobus J. Bauh. Hist. 2. p. 358. ic. 2. ☆ Chabr. Sciagr. p. 157. ic. 5. ☆

Caules semipedales, sesquipedales, decumbentes aut erectiusculi, simplices ramosive. Foliola obovato-cuneata, superiora plus minusve rhombeo-obovata et acutiuscula, lateralia obliqua. Stipulae oblique ovatae, superiores acutiusculae acutaeve. Pedunculi uni-biflori, folio aequales duplove longiores. Folium florale e summo pedunculo originem ducens, bi- aut saepe trifoliolatum, foliolis modo calice brevioribus, modo ei aequalibus. Calix brevissime pedicellatus, quinquefidus, laciniis lanceolatis. Corolla magna, speciosa, alis obtusis, versus apicem atro-purpureis apiceque coalescentibus carinamque

obtegentibus; vexillo purpureo, alis longiore. Stylus apice incrassatus et stamina glabra: antherae flavae cum macula centrali fusca. Legumina duas et semis, tres lineas crassa, longitudine uncialia fereve biuncialia, glabra, recta, alis ad utramque suturam binis, foliaceis, latis, crispis. Semina quatuor-duodecim, dissepimentis membranaceis, pellucidis interstincta, globosa, majuscula, cinereo-liventia, laevia. — Herba pubescens.

Ad vias, in pascuis et in arvis: frequens.

Fl. martio, aprili. ①

XCIX. PSORALEA

Psoralea Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1210. Juss. Gen. p. 355. DC. Prod. 2. p. 216. Gaertn. Fr. 2. tab. 145. Lmck. Ill. tab. 614. Dorycnium et Ruteria Moench.

Calix tubulosus, 5-fidus, lacinia infima longiore. Carina obtusa, inferne bipartita. Stamina mono-diadelpha. Legumen compressum, monospermum, rostro lanceolato exsertum.

347. PSORALEA BITUMINOSA

P. foliis pinnatim trifoliolatis, inferiorum foliolis ovatis, superiorum lanceolatis; pedunculis axillaribus, folio longioribus; spicis capitatis; calicibus hirsutis.

Psoralea bituminosa Linn. Sp. p. 1075. Willd. Sp. 3. p. 1349.. DC.! Prod. 2. p. 219.

Desf. Fl. atl. 2. p. 191. Decaisn. Florul. sinaic. in Ann. sc. nat. (1835.). 3. p. 266. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 64. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 92. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 215. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 478. et Suppl. p. 230. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 371. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 249. Savi Due Cent. Fl. etr. p. 150. All. Fl. ped. 1. p. 339. DC. Fl. fr. 4. p. 518. Lois. Fl. gall. 2. p. 140. Cambess. En. pl. balear. p. 70.

Dorycnium angustifolium Moench.

Ic. — Iconogr. taurin. 10. tab. 94. Lmck. Ill. tab. 614. ic. 1.

Trifolium bituminosum Riv. Tetr. irr. tab. 14. (*bona*). Dod. Pempt. p. 566. ic. ✚

T. bituminosum majus et minus Moris. Hist. sect. 2. tab. 12. ic. 1. (*foliolo intermedio sessili caeterisque pessima*).

T. asphalteum sive bituminosum Lob. Obs. p. 494. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 30. ic. 1. ✦

T. asphaltite Math. Valgr. p. 834. ic. (*mala: stipulae nullae: calicis laciniae breviores*).

T. asphaltites sive bituminosum, odoratum et non odoratum J. Bauh. Hist. 2. p. 366. ic. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 160. ic. 3. ⍲

β. *latifolia*.

Psoralea palaestina Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 16.

Ic. — Iconogr. taurin. 19. tab. 47.

Caules pedales, tripedales et ultra, teretes, striati, adpresse pubescentes, basi fruticosi glabratique. Folia longe petiolata. Petioli striati, superne sulcati: foliola pellucido-glandulosa, adpresse pubescentia, inferiora, interdum glabra, plus minusve late ovata aut ovalia, caetera sensim angustiora longioraque, in α lanceolata, in β intermedia ovato- aut elliptico-oblonga, superiora oblongo-lanceolata lanceolatave. Stipulae lanceolatae, integrae. Pedunculi adpresse pubescentes, striati, longitudine in utraque varietate modo folium paullo, modo duplo et ultra superantes. Capitula 5-25-flora, ovata aut subrotunda. Bracteae membranaceae, nervosae, plus minusve latae, aliae (saepe duae aut tres, raro una) ad basim capitulorum dispositae, trifidae, laciniis triangulis, acuminato-subulatis, aliae inter flores interspersae, ovatae, minus acuminatae, indivisae rarove aliqua bifida. Calix corolla brevior, pellucido-glandulosus, angulatus, decemnervius, plus minusve pilosus hirsutusve pilis interdum canescentibus, fructifer in utraque varietate auctus, campanulatus: laciniae calicinae lanceolato-subulatae, infima latiore atque longiore. Corollae vexillum purpureo-coerulescens, alae albidae, vexillo breviores, carina alis brevior, albida, apice intus nigra, extus nigrescens. Stamina monadelpha, glabra. Ovarium adpresse denseque sericeo-pilosum, stylo planiusculo, persistente, post anthesim aucto fructusque rostrum efficiente: stigma capitatum breviter hirtum. Legumina unilocularia, longe rostrata, ventre subovali, compresso, hirsuto, pilis tuberculo glanduloso, demum nigro insidentibus, versus apicem vero et antequam in rostrum abeat setulis multis, longis coronato aculeisque

paucis, brevibus, curvis, nigris, quorum unus alterve caeteris longior et primum flavescens, mox uti reliqui nigrescens: rostrum planum, lanceolatum, pilis brevibus, adpressis, demum nigris hirtum, ventre leguminis subduplo longius, calicis longiorem laciniam aequans aut plerumque superans. Semen legumini arcte adhaerens. — Planta bitumen redolens praesertim junior; variat plus minusve pilosa et floribus nonnumquam albescentibus.

In apricis saxosis et inter rupium fissuras: frequens.

Fl. aprili, junio. ♄

Obs. Psoraleae bituminosae varietas nostra β *latifolia* non differt ab α, nisi foliolis latioribus et minus pubescentibus: manifestissimi autem atque frequentes inter utramque se praebent ratione foliolorum gradus intermedii, quibus ostenditur in unicam speciem coalescere. *Psoralea palaestina* Jacq. Hort. vind. 2. tab. 184. cum *bituminosa* nostra *latifolia* congruit, nec differt nisi foliorum superiorum foliolis latioribus, pubescentia majore atque densiore; nec aliter differunt a *Psoralea bituminosa* nostra α, specimina *Psoraleae palaestinae* quae habeo lecta ad *Pont juvenal* prope Monspelium.

C. GLYCYRRHIZA

Glycyrrhiza Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1197. Juss. Gen. p. 359 DC. Prod. 2. p. 247. Tourn. Inst. tab. 210. Gaertn. Fr. 2. tab. 148. Lmck. Ill. tab. 625.

Calix tubulosus, subbilabiato-5-fidus, laciniis duabus superioribus ultra alias concretis. Vexillum ovato-lanceolatum, rectum. Carina dipetala, recta, acuta. Stamina diadelpha. Legumen ovatum aut lineari-oblongum, compressum, acutum, oligospermum.

548. GLYCYRRHIZA GLABRA

G. foliolis ovato-oblongis ovalibusve, subretusis, glutinosis; stipulis nullis; spicis pedunculatis, laxifloris, folio brevioribus; leguminibus lineari-oblongis, glabris, di-pentaspermis.

Glycyrrhiza glabra Linn. Sp. p. 1046. Willd. Sp. 3. p. 1144. DC. Prod. 2. p. 247.

Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 449. Tenor. Fl. neap. 2. p. 152. et Syll. p. 365. DC. Fl. fr. 4. p. 560. Lois. Fl. gall. 2. p. 153.
Liquiritia officinalis Moench. Meth. p. 152.

Ic. — Fl. med. 6. tab. 293. Lmck. Ill. tab. 625. ic. 2. Iconogr. taurin. 6. tab. 82.
Glycyrrhiza vulgaris Dod. Pempt. p. 341. ic. 2. ✶
G. siliquosa Lob. Obs. p. 529. ic. 1. ✶ et Icon. 2. tab. 86. ic. 1. ✶

Radix digitum circiter crassa, teres, late repens, extus cinereo-fusca, intus flavescens. Caules herbacei, erecti, simplices ramosive, teretes, glabri, versus apicem ramique striati et brevissime puberuli, glandulis tuberculisque conicis praediti. Folia quadri-septemjuga cum impari, foliolis ellipticis, oblongis, ovato-ellipticis vel ovato-oblongis, utrinque glandulosis glutinosisque subtus praesertim, omnibus apice subretusis, nonnullis interdum emarginatis. Spicae axillares, pedunculatae, multiflorae, folio breviores. Pedunculi, perinde ac rami, striati, puberuli, glandulosi subindeve tuberculis sparsis asperi. Flores purpurascentes, breviter pedicellati, pedicellis bracteola exigua, lineari-lanceolata, puberula, decidua caliceque valde breviore, ad basim stipatis. Calix puberulus, laciniis lineari-lanceolatis, corolla brevioribus. Vexillum oblongum, alis longius: alae carina acutiuscula longiores. Legumina lineari-oblonga aut linearia, duas, tres lineas lata, sex-duodecim longa, compressa, mono-pentasperma, demum rufescentia, ad semina torulosa. Semina orbiculato-reniformia, compressa, laevia, nigrescentia.

In arvis Quartùcciu, S. Pantaleo, Selegas, Laconi.

Fl. aestate. ♃

Ital. *Glicirriza. Ligorizia. Liquirizia. Regolizia.*

Vern. *Regolizia.*

Glycyrrhizae radix dulcis ejusque extractum demulcentia ac temperantia merito habentur. Saccharum e Glycyrrhiza eduxit celeberrimus Berzelius.

Robinia Pseudacacia Linn. Sp. p. 1043. Duham. Arb. tab. 42. foliolis oblongo-ovalibus ovatisve; ramis virgatis; spinis stipularibus; racemis laxis, pendulis leguminibusque glabris: italice *Pseudoacacia*, *falsa Acacia*, *Falsagaggia;* vern. *Acassia:* ad Sardiniae ambulacra et ad vias consita subinde exstat, caeterum arbor longe lateque radicibus serpens multosque proferens caules qui quidem satis magnam brevi temporis intervallo adipiscuntur alti-

tudinem, latius in spatiis camporum incultis et nudis, nec palustribus disseminari promeretur. Var. *Robiniae Pseudacaciae umbraculifera*, inermis, humilior, sterilis; ramis confertis in umbraculum sphaericum dispositis, colitur in hortis et ambulacris.

CI. COLUTEA

Colutea R. Brown. H. kew. (ed. 2.) 4. p. 325. DC. Prod. 2. p. 270. Coluteae sp. Linn. Tourn. Inst. tab. 418. Gaertn. Fr. tab. 154. ic. 4. Lmck. Ill. tab. 624. ic. 1-3.

Calix campanulatus, breviter 5-dentatus. Vexillum basi bicallosum. Carina falcata, obtusa truncatave. Stamina diadelpha. Stylus superne subtus barbatus, stigmate reflexo. Legumen stipitatum, magnum, scarioso-pellucidum, inflatum, polyspermum.

349. COLUTEA ARBORESCENS

C. foliolis ellipticis, obtusis retusisve; pedunculis tri-sexfloris; leguminibus clausis.

Colutea arborescens Linn. Sp. p. 1045. Willd. Sp. 3. p. 1139. DC.! Prod. 2. p. 270. Desf. Fl. atl. 2. p. 169. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 77. Urv. En. pl. Archip. p. 89. Tenor. Fl. nap. 2. p. 151. et Syll. p. 365. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 248. Savi Fl. pis. 2. p. 202. Bot. etr. 2. p. 249. et Tratt. alb. tosc. 1. p. 89. All.! Fl. ped. 1. p. 333. DC. Fl. fr. 4. p. 561. Lois. Fl. gall. 2. p. 153.

Ic. — Fl. med. 1. tab. 51. Duham. Arb. 1. tab. 72. Iconogr. taurin. 31. tab. 18.
Colytea Fuchs. Hist. p. 446. ic.
Colutea Math. Valgr. p. 783. ic. Dod. Pempt. p. 784. ic. 2. ✦ Lob. Obs. p. 530. ic. 3. ✦ et Icon. 2. tab. 88. ic. 2. ✦
C. vesicaria J. Bauh. Hist. 1. (lib xi.) p. 380. ic. ✦ Chabr. Sciagr. p. 81. ic. 6. ✦

Frutex elegans, sex-decempedalis, ramosissimus, cortice caulis fusco-cinereo, glabrato, ramorum cinerascente, juniore pubescente. Folia petiolata, tri-quinquejuga: foliola brevissime petiolulata, elliptica, integerrima, obtusa retusave subindeque leviter emarginata, facie pallide virentia glabraque, subtus glauca et adpresse pilosa, terminali caeteris vix majore. Stipulae triangulares, breves. Pedunculi axillares, tri-sexflori, pilosi, folio breviores aut aequales. Flores in

summis pedunculis racemosi, pedicellati, pedicellis articulatis, calice multo longioribus. Bractea lanceolata, parva, ad basim pedicellorum, bracteolaeque exiguae, pariter lanceolatae, ad pedicellorum summitatem, calicis basim ambientes. Calix adpresse pubescens, quinquedentatus, sinubus inter dentes interpositis, amplis, dentibus triangulo-acutis, brevissimis. Corolla calicem valde superans, flava: vexillum amplum, erecto-reflexum, emarginatum, macula rubella, biloba inferne notatum callisque binis ad ejus basim prominulis: alae sublineares, obtusiusculae, carina vix breviores: carina falcata, magna, obtusa truncatave, vexillo vix brevior. Legumen pedicellatum, vesiculare, membranaceum, subpellucens, albidum aut livescens, glabrum, unciam circiter crassum, duas circiter longum, polyspermum. Semina reniformia, compressa, laevia, rufa.

Ad sepes Sardiniae orientalis, inter Oliena et Dorgali.

Fl. majo. ♄

Ital. *Colutea. Erba vesicaria. Fruscoli dei botri. Maggerena. Sena dei poveri. Sena falsa. Sena nostrale.*

Vern. *Tirìa agresti.*

Coluteae arborescentis folia alviduca sunt et inter Sennae orientalis succedanea accensita, cui fraude nonnumquam admiscentur.

CII. ASTRAGALUS

Astragalus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1208. Juss. Gen. p. 358. Gaertn. Fr. 2. tab. 154. Lmck. Ill. tab. 622. Tourn. Inst. tab. 233. et Tragacantha tab. 234.

Calix tubulosus, 5-dentatus. Carina obtusa, mutica. Stamina diadelpha. Legumen biloculare aut semibiloculare, sutura vel inferiore introflexa, vel dissepimento longitudinali valvis parallelo completo aut incompleto.

350. ASTRAGALUS MARITIMUS

A. suffruticosus, diffusus, puberulus, foliis 5-12-jugis, inferiorum foliolis obcordatis, caeterorum . . . . . ; stipula bifida, oppositifolia; pedunculis . . . . .; leguminibus oblongis, arcuatis, tuberculosis, puberulis, dorso late sulcatis, apice attenuatis breviterque acuminatis.

Sequenti affinis, differt praesertim caulibus suffruticosis, legumi-

nibus duplo minoribus suturaque dorsali introflexa complete bilocularibus, pericarpio tenui, nec valde crasso, membranaceo potius quam coriaceo.

Stirps bi-tripedalis, obviam se praebuit in arenosis litoreis *Spalmadura de fora* insulae S. Pietro; ramis, januario mense, adhuc teneris nec floriferis; leguminibus, ex anni praecedentis vegetante planta adductis, supra terram sparsis: habitu ad *Astragalum leptophyllum* DESF.! accedit, stipulis autem et leguminibus potissimum diversa: iterum vero observanda. ♄

351. ASTRAGALUS VERRUCOSUS

A. villosiusculus, diffusus ascendensve; foliis 5-12-jugis, foliolis retusis obtusisve, subemarginatis, inferiorum foliorum obovatis, caeterorum ovali-oblongove-obovatis; stipulis semiconnatis, lanceolatis; racemis pedunculatis, laxifloris, folium subaequantibus; leguminibus oblongis, arcuatis, verrucosis, villosiusculis, dorso late sulcato-compressis, apice attenuatis, acumine brevi subuncinato.

Astragalus verrucosus MORIS Stirp. sard. Elench. 1. p. 12. ANT. SPR. Tent. Suppl. p. 21.

Ic. — Tab. LXV.

Caules semipedales, pedales et ultra, ascendentes diffusive, teretes, vix striati, simplices aut ramosi, villosiusculi, basi demum glabrati. Folia quinque-duodecimjuga cum impari: foliola brevissime petiolulata, juxta rachidem villosam opposita alternaque, inferiora obovata, caetera ovali- aut oblongo-obovata, intermedia infimis et supremis majora, lineas duas, tres et semis lata, quinque, octo longa, omnia obtusa retusave et plerumque emarginata, viridia, nervoque dorsali et margine villosa, adulta subinde glabrata. Stipulae lanceolatae, albo-membranaceae, villosae, a basi fere usque ad medium connatae caulemque ex opposita petiolo parte vaginantes, petiolorum basi vix adnatae. Racemi pedunculati, axillares, laxe quinque-decemflori, folium subaequantes. Pedunculi petiolo crassiores, teretiusculi. Flores alterni, breviter pedicellati. Bractea membranacea, lanceolata, pedicelli cujusque basim stipans eoque longior. Calix villoso-pubescens, quinquefidus, laciniis lineari-lanceolatis,

acutis. Corolla coeruleo-purpurascens, calicem fere duplo superans: alis et carina subaequalibus, vexillo oblongo, ad apicem magis quam ad basim attenuato, multo brevioribus. Stamina diadelpha. Stigma capitatum. Legumina lineas quatuor, sex lata, novem, quatuordecim longa, coriacea, ruguloso-verrucosa, villosiuscula, arcuata, compressa dorsoque late sulcata, apice attenuata, cum brevi et saepe uncinato acumine. Suturae neutiquam introflexae: loculi autem dissepimento membranaceo, tenui et saepe incompleto divisi. Semina in quoque loculo quinque, quindecim, fulva, reniformia, laevia.

In herbosis, aridis, maritimis circa Flumentorgiu.

Fl. aprili, majo. ♃?

Obs. Astragalus noster *verrucosus* maxime accedit ad *Astragalum tuberculosum* DC.: hujus autem nomine in DC. Herbario duo exstant specimina, aliud e Syria cujus iconem praebuit DC. in *Astragalogia* ad tab. 22., aliud e Cappadocia: primum cum nostri *verrucosi* speciminibus leguminum forma et magnitudine consentit, corolla autem (ex DC. descript. in Astragal. p. 133. et Prod. 2. p. 290.) flavicante, foliolis non ultra duas lineas longis differt; alterum foliolorum magnitudine caeterisque cum nostro congruens, differt leguminibus longioribus longiusque ad apicem attenuatis acuminatisque. Num ad alterum vel utrumque *tuberculosus* noster pertineat, id neque oculatissimo DC. specimina mecum conferenti, neque mihi definire licuit: quamobrem *verrucosi* nomen retinui.

352. ASTRAGALUS SESAMEUS

A. appresse piloso-subcanescens; foliis 8-10-jugis, foliolis elliptico-oblongis, obtusis, subemarginatis; stipulis liberis; capitulis axillaribus, subsessilibus; leguminibus erectis, tereti-oblongis ovatisve, rectiusculis, acuminatis, pubescentibus, dorso sulcatis.

Astragalus sesameus Linn. Sp. p. 1068. Willd. Sp. 3. p. 1283. DC.! Prod. 2. p. 288. Desf. Fl. atl. 2. p. 185. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 87. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 468. Tenor.! Fl. neap. Syll. p. 368. DC. Fl. fr. 4. p. 568. Lois. Fl. gall. 2. p. 156.

Ic. — Iconogr. taurin. 20. tab. 44. (*e planta culta*).

Astragalus stellatus Riv. Tetr. irr. tab. 105. (*e planta culta*).

A. annuus, angustifolius, flosculis subcoeruleis, cauliculis adhaerentibus Garid. Aix. tab. 12. (*e planta luxuriante*).

A. annuus, foliis et siliquis hirsutis, plurimis, in foliorum alis sessilibus Pluk. Phyt. tab. 79. ic. 3.

A. annuus, siliquis et foliis hirsutis Moris. Hist. sect. 2. tab. 9. ic. 12. ^

Foenugraeco sylvestri Tragi in quibusdam accedens planta J. Bauh. Hist. 2. p. 331. ic. 1. ^ Chabr. Sciagr. p. 150. ic. 6. ^

Vicia sesamea, apula Columm. Ecphr. 1. p. 301. ic.

β. *brachycarpus*, legumine brevi, ovato.

Caules unciales, semipedales, raro longiores, simplices aut e basi ramosi, laterales decumbentes, centrales erectiusculi vel ascendentes. Folia octo-decemjuga, foliolis obtusis et plerisque emarginatis, inferiorum foliorum ovalibus, caeterorum ovali-oblongis oblongisve. Stipulae nigro-fuscove-pilosae, inter se liberae petiolorumque basi vix aut neutiquam adnatae, inferiores ovato-triangulares, acutae, superiores ovato-lanceolatae. Flores aggregati in capitulum axillare, sessile aut brevissime pedunculatum. Calix adpresse nigro-pilosus, laciniis e basi triangula linearibus. Corolla calice paullo longior, coerulescens, siccatione flavescens. Legumina tereti-oblonga, recta aut fere recta, complete bilocularia, sesquilineam circiter crassa, quatuor-sex lineas longa, pilosa, apice attenuata acuminataque, dorso sulcata, in var. β ovata, duas tresve lineas longa: interdum, in eadem etiam planta, alia tereti-oblonga et longiora, alia ovata brevioraque. Semina in quoque loculo duo-sex, quadrangula, compressa, glabra, punctis nigris notata, flavescentia, demum straminea. — Planta pilis rigidulis, adpressis, plus minusve canescens aut cinerascens.

In collinis maritimis, aridis Cagliari S. Elia, S. Michele.

Fl. martio, aprili. (1)

353. ASTRAGALUS EPIGLOTTIS

A. appresse piloso-subcanescens; foliis 3-7-jugis, foliolis oblongo-linearibus, acutiusculis, mucronulatis; stipulis liberis; capitulis brevi pedunculatis; leguminibus cordato-triangulis breviterque acuminatis, depressis, replicatis, patulis cernuisve, pubescentibus; loculis monodispermis.

Astragalus Epiglottis LINN. Mant. p. 274. WILLD. Sp. 3. p. 1284. DC.! Prod. 2. p. 290.

DESF. Fl. atl. 2. p. 183. VIV. Fl. lyb. Sp. p. 45. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 88. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 469. DC. Fl. fr. 4. p. 575. LOIS. Fl. gall. 2. p. 156.

A. caulescens, procumbens; leguminibus capitatis, cordatis, acutis, hirsutis, complicatis VALL. et ALL. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 206.

Ic. — Iconogr. taurin. 27. tab. 36.

Glaux minima RIV. Tetr. irr. tab. 108.

Astragalus hispanicus, siliqua epiglottidi simili, flore albo minor HERM. Hort. Lugd.-bat. p. 77. ic.

Caulis raro solitarius erectusque, saepe plures, unciales, semipedales et ultra, simplices vel e basi ramosi, laterales decumbentes vel ascendentes, centrales erecti. Folia tri-septemjuga; foliolis lineari-oblongis, mucronulatis. Stipulae nigro-pilosae, petiolorum basi vix adnatae, inter se liberae, inferiores ovato-acutae, caeterae ovato-acuminatae aut ovato-lanceolatae. Capitula florum axillaria, plus minusve breviter pedunculata. Calix nigro-pilosus, laciniis anguste lanceolato-linearibus, corolla paullo brevioribus. Corolla albida aut coerulescens, siccatione flavescens. Legumina cordato-triangula, acuminata, replicata, lineas duas et semis lata, tres longa, patula aut nutantia, adpresse pubescentia canescentiaque, suturis non introflexis, loculis incompletis, mono-dispermis. Semina (vidi haud omnino matura) subreniformia vel triangulo-reniformia, compressa, glabra, helvola. — Planta pilis rigidulis adpressisque canescens aut cinerascens.

In collinis apricis, aridis, maritimis Pula, Cagliari S. Michele, et inter Gereméas et Carbonara.

Fl. martio, aprili. ①

354. ASTRAGALUS HAMOSUS

A. adpresse pilosus; foliis 9-14-jugis, foliolis retusis, emarginatis, facie glabris, subtus subcinerascentibus, inferiorum foliorum obovatis, caeterorum oblongo-cuneatis; stipulis semiconnatis, supremis liberis; spicis pedunculatis, subcapitatis, 3-18-floris, folio brevioribus; le-

guminibus teretibus, in hamum curvatis, cernuis patulisve, appresse puberulis, dorso sulcatis, apice attenuatis, acutis.

Astragalus hamosus Linn. Sp. p. 1067. Willd. Sp. 3. p. 1279. DC.! Prod. 2. p. 290. Desf. Fl. atl. 2. p. 187. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 100. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 43. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 86. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 215. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 471. et Suppl. p. 229. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 368. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 239. Savi Bot. etr. 3. p. 157. All.! Fl. ped. 1. p. 341. DC. Fl. fr. 4. p. 572. Lois. Fl. gall. 2. p. 156. Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

A. caulescens, procumbens; leguminibus subulatis, recurvatis, glabris Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 205.

Ic. — Astragalus siliqua curva Riv. Tetr. irr. tab. 106.

A. monspeliacus Clus. Hist. 2. p. 234. ic. 2. ✦

Hedysarum alterum Dod. Pempt. p. 546. ic. 2. ✦

Securidaca minor Lob. Obs. p. 523 ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 77. ic. 1. ✦ Math. Valgr. p. 891. ic. (*racemis laxioribus*).

S. altera sive minor J. Bauh. Hist. 2. p. 347. ic. 1. ⩣ Chabr. Sciagr. p. 155. ic. 4. ⩣

Astragalus monsp. annuus, procumbens, flore ochroleuco Moris. Hist. sect. 2 tab. 9. ic. 10. (*mala*).

Caules dodrantales, sesquipedales, diffusi aut erectiusculi, simplices ramosive, adpresse pilosi. Folia novem-quatuordecimjuga, foliolis facie glabris virentibusque, subtus adpresse pubescentibus et saepe canescentibus aut cinerascentibus, inferiorum foliorum obovatis, superiorum oblongo-linearibus, omnibus basi plus minusve cuneatis, apice truncatis aut retusis, brevissime mucronulatis et plerisque emarginatis. Stipulae membranaceae, apice et margine praesertim pilosae, inferiores ovato-acutae, semiconnatae, superiores ovato-acuminatae aut lanceolatae, saepe liberae. Pedunculi appresse pilosi, longiusculi, folio plus minusve breviores. Flores spicato-capitati, brevissime pedicellati; pedicellis bracteola lineari-lanceolata, membranacea, calicis tubum subaequante, basi stipatis. Calix appresse pilosus, pilis canescentibus vel interdum nigrescentibus, laciniis linearibus, corolla ochroleuca valde brevioribus. Legumen paullo plus quam lineam crassum, unciam circiter vel sesquunciam et paullo ultra

longum, cernuum aut patulum, oculo armato (etiam maturum) adpresse breviterque puberulum, polyspermum, loculis dissepimento membranaceo divisis. Semina quadrangulo-reniformia, glabra, helvola aut olivacea, punctisque nigrescentibus interdum notata.

In pascuis et in arvis.

Fl. martio, aprili. (1)

335. ASTRAGALUS BOETICUS

A. pubescens; foliis 8-15-jugis, foliolis retusis, emarginatis, facie glabris, inferiorum foliorum obovatis, superiorum oblongo-linearibus; stipulis liberis; spicis pedunculatis, subcapitatis, folio brevioribus; leguminibus oblongis, rectis erectisque, triquetris dorsoque sulcatis, adpresse pilosiusculis, apice mucronato-uncinatis.

Astragalus boeticus Linn. Sp. p. 1068. Willd. Sp. 3. p. 1281. DC.! Prod. 2. p. 291. Desf. Fl. atl. 2. p. 184. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 100. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 43. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 87. Urv. En. pl. Archip. p. 91. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 470. et Suppl. p. 229. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 369. Fiorini Append. ad Fl. rom. Prod. p. 19. Lois. Fl. gall. 2. p. 155. Duby Bot. gall. 1. p. 143.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Iconogr. taurin. 15. tab. 100. ic. 2. Riv. Tetr. irr. tab. 104. Securidaca siliquis foliaceis Bocc. Ic. rar. pl. Sic. p. 7. tab. 4.

Caulis modo solitarius, erectus, modo plures, quorum laterales diffusi, centrales ascendentes erective, simplices aut e basi ramosi, pubescentes, striati, longitudine palmares, bipedales. Folia octoquindecimjuga, foliolis utrinque viridibus, facie glabris, subtus pilosis, infimorum foliorum obovatis, intermediorum oblongis, superiorum lineari-oblongis, omnibus retusis truncatisve, emarginatis. Stipulae foliaceo-membranaceae, inter se liberae petiolorumque ima basi vix adnatae, utraque facie glabriusculae, margine ciliatae, inferiores latiores, ovato-acuminatae, superiores sensim angustiores, ovato-lanceolatae lanceolataeve. Pedunculi axillares, pubescentes, striati, infimi breviores, caeteri longiores, nec folium superantes. Flores versus summitatem pedunculorum duo, decem et ultra, sub-

sessiles, spicato-capitati, bracteis lanceolatis, calicis tubo brevioribus aequalibusve, basi stipati. Calix pilosus, laciniis lanceolato-linearibus, corolla luteola valde brevioribus. Legumen tres-quatuor lineas crassum, decem-quindecim longum, triquetrum dorsoque profunde sulcatum, sutura introflexa complete biloculare, loculis tri-tetraspermis, in planta luxuriante etiam penta-hexaspermis nec ultra. Semina majuscula, subquadrangulo-reniformia, helvola, laevia.

In herbosis maritimis, ad sepes et ad margines arvorum.

Fl. martio, majo. (1)

556. ASTRAGALUS SIRINICUS

A. frutescens; petiolis 5-14-jugis, spinescentibus, foliolis ellipticis oblongisve, adpresse utrinque pilosis, subcanescentibus; stipulis petiolo adnatis, glaberrimis ciliatisve; pedunculis bi-quinquefloris, folio brevioribus; calicis cylindracei carinaque duplo brevioris dentibus angustis, brevibus; leguminibus tereti-oblongis, pubescentibus, calicem sesqui- duplove superantibus.

Astragalus sirinicus Tenor.! Fl. neap. Prod. App. 5. p. 23. Viagg. in Calabr. p. 126. et Fl. neap. Syll. p. 369.

A. genargenteus Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 1. p. 11.

A. massiliensis Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 171. ic. 1.

Suffrutex semipedalis, pedalis, ramosissimus, diffusus: cortice fusco, ligno flavescente. Petioli 5-14-jugi, spinescentes, persistentes, juniores pilosi, adulti aphylli, glabrati, indurati, demum fusci. Foliola ovalia aut oblonga, utrinque adpresse pilosa et plerumque canescentia, variant obtusa, acutiuscula, acuta mucronulataque. Stipulae petiolorum basi adnatae, lanceolatae, membranaceae, glabrae aut raro versus apicem pilosiusculae, margine subinde ciliatae, adultae omnino glabratae, apice demum spinescentes, persistentes et una cum basi petiolorum, ramos obtegentes. Pedunculi ex axillis foliorum superiorum originem ducentes, bi-quinqueflori, folio multo aut paullo breviores. Flores racemosi, breviter pedicellati. Bractea ad pedicellorum basim disposita iisque longior, lanceolata, saepe

ciliata, stipulis nimirum superioribus similis: praeterea bracteolae, una alterave, lineari-setaceae, ex summo pedicello saepe orientes calicisque basim stipantes. Calix nigro alboque pilosus, interdum purpurascens, dentibus basi plus minusve anguste triangulis, mox linearibus, acutis aut obtusis, lineam circiter unam aut paullo ultra longis, sed in eodem interdum calice longitudine variis, alii scilicet aliis paullo breviores. Corolla calice subtriplo longior, ochroleuca: carina, nonnumquam purpurascente, alis breviore, obtusa, emarginata, apice atro-purpurea; alis pariter obtusis, extus leviter convexis; vexillo emarginato, dorso interdum, etsi raro, purpurascente. Staminum filamenta albida: antherae flavae. Pistillum apice incurvum, staminum longitudine. Legumen tereti-oblongum, rectum erectumque, complete biloculare, paullo plus quam lineam aut fere duas crassum, quinque-sex longum, pilosum aut villosiusculum, demum glabratum, calicis tubum sesqui- duplove superans, acumine recto, erecto aut leviter inclinato. Semina in quoque loculo quatuor-sex, reniformia, laevia, demum rufa, omnino autem matura non vidi.

In editioribus pascuis montis Genargentu, 1800 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. junio. ♄

Obs. Astragalus sirinicus ab *Astragalo massiliensi* Lmck. differt stipulis glabris aut leviter ciliatis petiolisque numquam dense pubescentibus aut tomentosis, multo citius et omnino glabratis, corolla insuper, praeter carinam apice atro-purpuream, ochroleuca, quae *Astragalo massiliensi* alba esse ab auctoribus traditur. Validiores characteres post plura narbonensia massiliensiaque *Astragali massiliensis* specimina cum sardois et sirinicis *Astragali sirinici* speciminibus collata, non deprehendi. Calicis dentes ita frequenter pares in utraque stirpe se habent, ut nullum ex iis constans specificumque erui possit discrimen. Variat identidem *Astragalus massiliensis* pedunculis folio valde brevioribus, ejusque carina subinde rubescens in narbonensibus siccatis speciminibus se mihi obtulit. Dubium superest num *Astragalus sirinicus* ad *massiliensis* varietatem spectet.

CIII. BISERRULA

Biserrula Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1209. Juss. Gen. p. 358. DC. Prod. 2. p. 307. Gaertn. Fr. tab. 154. Lmck. Ill. tab. 622. Pelecinus Tourn. Inst. tab. 234.

Calix tubuloso-campanulatus, semi-5-fidus. Stamina diadelpha. Legumen lineare, longum, depresso-planum, polyspermum, biloculare, valvis carinato-compressis, dorso sinuato-dentatis, dissepimento longitudinali, valvis contrario.

357. BISERRULA PELECINUS

Biserrula Pelecinus Linn. Sp. p. 1073. Willd. Sp. 3. p. 1335. DC.! Prod. 2. p. 307.

Desf. Fl. atl. 2. p. 190. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 91. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 215. Biv. Sic. Cent. 2. p. 13. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 477. et Suppl. p. 229. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 365. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 240. All.! Fl. ped. 1. p. 344. DC. Fl. fr. 4. p. 577. Lois. Fl. gall. 2. p. 159.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 70.

Utrinque serrata Riv. Tetr. irr. tab. 100.

Securidaca peregrina Clus. Hist. 2. p. 238. ic. 1.

Lunaria radiata Robini J. Bauh. Hist. 2. p. 348. ic. ✦ Chabr. Sciagr. p. 156. ic. 1. ✦

Astragalus annuus, peregrinus, siliquis utrinque serrae similibus Moris. Hist. sect. 2. tab. 9. ic. 6.

Hedysarum congestis et utrinque lunatis siliquis Barr. Ic. tab. 1137. (*etsi stipulis careat uti icones praecedentes*).

Caulis raro solitarius erectusque, saepe plures, quadri-quinque-unciales, pedales et paullo ultra, decumbentes vel procumbentes, pubescentes. Folia pinnata, pubescentia, septem-quindecimjuga cum impari, foliolis virentibus, obovatis, ellipticis aut oblongis, brevissime petiolulatis, emarginatis, inferiorum foliorum minoribus dimidiamque circiter lineam aut lineam latis, lineam vix unam aut sesquilineam longis, superiorum sensim majoribus, a sesquilinea ad lineas tres latis, a tribus ad sex longis. Stipulae ovato-acutae, vel,

in planta luxuriante, ovato-lanceolatae. Pedunculi axillares, folio breviores. Flores duo-decem, in summis pedunculis spicato-capitati, pedicellati, pedicellis brevibus, basi bracteola lanceolata stipatis. Calix nigro-alboque-pubescens, laciniis lineari-setaceis. Corolla coerulescens aut albida, calice subduplo longior. Legumina plano-depressa, tres circiter lineas lata, octo-duodecim longa, torulosa, puberula, utroque margine aequaliter sinuato-dentata, loculis quadri-octospermis, dissepimento longitudinali angustissimeque lineari divisis. Semina orbiculato-reniformia, compressa, glabra, lutescentia, demum luteo-fusca.

In herbosis maritimis collinisque.
Fl. aprili, majo. (1)

SECTIO III.

HEDYSAREAE

Stamina diadelpha. Fructus articulatus, dissepimentis transversis in loculos monospermos divisus. Cotyledones foliaceae, epigeae.

CIV. SCORPIURUS

Scorpiurus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1201. Juss. Gen. p. 361. DC. Prod. 2. p. 308. Gaertn. Fr. 2. tab. 155. Lmck. Ill. tab. 631. Scorpioides Tourn. Inst. tab. 226.

Calix campanulatus, semi-5-fidus, laciniis superioribus duabus minus divisis. Carina falcata, rostrata. Stamina diadelpha. Lomentum teretiusculum, longum, circinato-revolutum, scabrum juxtaque longitudinem striatum, inter semina contractum articulatumque, articulis monospermis.

358. SCORPIURUS SUBVILLOSA

S. pedunculis bi-quadrifloris; lomenti costis interioribus laevibus, caeteris spinas longiusculas, confertas, rigidulas, apice subuncinatas gerentibus.

Scorpiurus subvillosa Linn. Sp. p. 1050. Willd. Sp. 3. p. 1161. DC.! Prod. 2. p. 308. Desf. Fl. atl. 2. p. 173. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 69. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 213. Urv. En. pl. Archip. p. 90. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 459. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 366. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 239. Savi Bot. etr. 2. p. 238. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 175. et Fl. alp. apuan. ibid. p. 393. All.! Fl. ped. 1. p. 336. (*excl. icon. Iconogr. taurin.*). Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 40. DC. Fl. fr. 4. p. 602. Lois. Fl. gall. 2. p. 165. Cambess. En pl. balear. p. 71.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

S. pedunculis subquadrifloris; leguminibus extrorsum spinis confertis, acutis Vall. et All. Florul. Corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 216.

Ic. — Scorpioides Bupleuri folio, corniculis asperis, magnis, in se contortis et convolutis Moris. Hist. sect. 2. tab. 11. ic. 2.

β. eriocarpa, lomentis breviter hirtis.

Scorpiurus acutifolia Viv. Fl. lyb. Sp. p. 43. DC.! Prod. 2. p. 308.

Requien.! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Ic. — Viv. l. c. tab. 19. ic. 4.

Radix longa, subsimplex, fibrillas ad latera et apice emittens. Caulis raro solitarius erectusque, saepe plures, procumbentes vel ascendentes, angulosi, puberuli, longitudine palmares, sesquipedales. Folia alterna, lanceolato-oblonga aut lanceolato-elliptica, in petiolum attenuata, villosa praesertim ad marginem. Stipulae lineari-lanceolatae, acuminatae, integrae, petiolorum basi adnatae, margine potissimum externo membranaceae. Pedunculi axillares, nudi, angulosi, folium demum plus minusve superantes, raro aequantes. Flores lutei, in summis pedunculis duo-quatuor, subumbellati, breviter pedicellati, pedicellis ad basim bracteola membranacea, exigua, subovata stipatis. Calix pilosus, quinquefidus, laciniis lanceolatis, acuminatis. Vexillum alis et carina subaequalibus longius, interdum purpurascens. Lomentum circinatum, modo glabrum, modo totum, (spinis non exceptis) pilis brevissimis et vitro vix conspicuis, vel minus brevibus hirtum, inter semina contractum articulatumque, nervis exterioribus echinatis, spinis primum mollibus, dein rigidis et longiusculis, plerisque apice hamosis. Semina arcuata, arcuatimque striata, fusco-rufa, laevia.

In arvis et in pascuis frequens.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Erba bruca. Erba lombrica. Vermiculata. Coda di Scorpione.*

Obs. Scorpiuri subvillosae varietas nostra β non differt ab α nisi lomentis hirtis, intermedia autem specimina, in quibus pilorum brevissimorum rudimenta vitri ope deprehenduntur, alteram alterius esse varietatem luculenter ostendunt. Utriusque varietatis specimina quaedam lomentis tenuioribus et spinis minus confertis, valde accedunt ad *Scorpiurum sulcatum* Gaertn. Fr. 2. tab. 155.

359. SCORPIURUS MURICATA

S. pedunculis subbifloris; lomenti glabri costis interioribus laevibus, exterioribus tuberculis minimis muricatis.

Scorpiurus muricata Linn. Sp. p. 1050. Willd. Sp. 3. p. 1160. DC.! Prod. 2. p. 308.

Tenor. Fl. neap. Syll. p. 367. All.! Fl. ped. 1. p. 336. DC. Fl. fr. 4. p. 601. Lois. Fl. gall. 2. p. 165.

Ic. — Iconogr. taurin. 14. tab. 105.

Scorpioides Bupleuri folio etc. Moris. Hist. sect. 2. tab. 11. ic. 4.

Caules et folia ut in praecedente. Pedunculi, apud nos, uni-biflori (uni-triflori in speciminibus Herbarii DC.). Lomenta ad costas quatuor vel quinque exteriores tuberculis brevibus muricata, nec spinis obsita. Semina ut in praecedente.

In arvis: rara.

Fl. aprili, majo. (1)

360. SCORPIURUS VERMICULATA

S. pedunculis unifloris; lomenti glabri costis intimis obsoletis, caeteris tubercula stipitata, addensata, apice dilatata gerentibus.

Scorpiurus vermiculata Linn. Sp. p. 1050. Willd. Sp. 3. p. 1159. DC.! Prod. 2. p. 308.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 81. Savi Fl. pis. 2. p. 135. et Bot. etr. 2. p. 237. All.! Fl. ped. 1. p. 336. (*excl. icon. Iconogr. taurin.*). DC. Fl. fr. 4. p. 601. Lois. Fl. gall. 2. p. 165.

Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 87. 88. Gaertn. Fr. 2. tab. 155.

Campoides Riv. Tetr. irr. tab. 95.

Scorpioides Bupleuri folio, corniculis etc. Moris. Hist. sect. 2. tab. 11. ic. 3.

Caulis minus apud nos elatus, caeterum ut in praecedentibus, itemque folia et stipulae. Pedunculi triquetri, uniflori. Flores modo lutei, modo luteo-purpurascentes. Lomenti crassioris ac in praecedentibus, costae interiores obsoletae, caeterae tubercula stipitata, conferta, apice dilatata obtusaque gerentes. Semina ovato-globosa, rufa, laevia, obsolete sulcata, utrinque truncata, breviora, nec arcuata ut in praecedentibus.

In arvis circa Paulli-latino.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Scorpiona vermicello.*

CV. CORONILLA

Coronilla Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1198. Juss. Gen. p. 361. Gaertn. Fr. 2. tab. 155. Lmck. Ill. tab. 630. Emerus et Coronilla Tourn. Inst. tab. 418. 419. Ornithopi et Arthrolobii sp. Auct.

Calix campanulatus, brevis breviterque 5-dentatus, dentibus duobus superioribus ultra medium connatis. Carina falcata, rostrata. Stamina diadelpha. Lomentum longum, rectum falcatumve, articulis tereti-angulatis oblongisve, monospermis.

361. CORONILLA VALENTINA

C. fruticosa; stipulis late orbiculatis, vix mucronulatis, cito deciduis; foliis tri-quadrijugis, foliolis obovato-cuneatis, subemarginatis, mucronulatis, glaucis; umbellis longe pedunculatis, bi-decemfloris; lomentis vix curvatis rectisve, articulis oblongis.

Coronilla valentina Linn. Sp. p. 1047. Willd. Sp. 3. p. 1149. (*excl. syn.* Bauhini, Clusii *et* Lobelii). Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 15. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 451. et Suppl. p. 228. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 365. non Lmck. nec All.

C. stipularis Lmck. Dict. 2. p. 120. DC.! Prod. 2. p. 309. et Fl. fr. 4. p. 607. Lois. Fl. gall. 2. p. 162.

Ic. — Curt. Bot. mag. tab. 185.

Suffrutex pedalis, bipedalis, caulibus ramisque flexuosis, ligno flavescente, cortice caulis et ramorum fusco-flavescente, ramulorum

glauco. Folia impari-pinnata, foliolis utrinque tribus-quatuor, oppositis, brevissime petiolulatis, cuneatis, integerrimis, glaucis, unam, quatuor lineas latis, lineam unam et semis, novem longis, plerisque obtuse emarginatis et breviter mucronulatis, inferioribus cujusque petioli a caule plus minusve dissitis. Stipulae membranaceae, late suborbiculatae, unam et semis, quinque lineas latae, brevissime mucronulatae, nervosae, margine glaucescentes, post anthesim deciduae. Pedunculi folio plus minusve longiores, bi-multiflori. Flores lutei, noctu odori. Calicis campanulati dentes superiores fere usque ad apicem coaliti caeterisque triangularibus, acutis vix longiores. Petalorum ungues calice longiores, alae (apice, in sicco, virentes), vexillum subaequantes, carinam falcatam, apicem versus attenuatam, obtusam superantes. Staminum filamenta longitudine aequalia. Lomenta recta aut vix incurva, teretiuscula, inter semina articulata contractaque, articulis duobus-septem, ellipticis oblongisve, monospermis. Semina elliptica aut oblonga, neutiquam compressa, rufa, laevia. — Planta glaberrima.

In montanis inter rupium calcarearum fissuras Gartellì, Dorgali.

Fl. aprili, majo. ♄

362. CORONILLA SCORPIOIDES

C. herbacea, glauca; foliis infimis subsimplicibus, caeteris trifoliololatis sessilibusque, foliolis lateralibus suborbiculatis, minoribus, terminali ovali-orbiculato, majore; stipula oppositifolia, bifida; pedunculis uni-quadrifloris; lomentis arcuatis, articulis tereti-angulatis.

Coronilla scorpioides Kock. Syn. Fl. germ. et helv. p. 188.

Ornithopus scorpioides Linn. Sp. p. 1049. Willd. Sp. 3. p. 1157. Desf. Fl. atl. 2. p. 173. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 80. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 213. Urv. En. pl. Archip. p. 90. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 454. et Suppl. p. 228. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 366. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 239. Savi Fl. pis. 2. p. 141. et Bot. etr. 3. p. 160. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 40. DC. Fl. fr. 4. p. 603. Lois. Fl. gall. 2. p. 164. Cavan. Ic. et Descr. pl. Hispan. 1. p. 26.

Ornithopodium scorpioides All.! Fl. ped. 1. p. 336.

Astrolobium scorpioides DC.! Prod. 2. p. 311. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 43. CAMBESS. En. pl. balear. p. 71.

Ic. — CAVAN. Ic. l. c. tab. 37. Iconogr. taurin. 14. tab. 106.

Scorpioides MATH. Valgr. p. 1305. ic. LOB. Obs. p. 212. ic. 4.✢ et Icon. 1. tab. 391. ic. 2.✢ DOD. Pempt. p. 71. ic. 3.✢ RIV. Tetr. irr. tab. 95.

Telephium scorpioides J. BAUH. Hist. 2. p. 897. 898. ic.✢ CHABR. Sciagr. p. 284. ic. 4.✢

Scorpioides Portulacae folio MORIS. Hist. 2. sect. 2 tab. 11. ic. 5.

Caulis solitarius aut plures, palmares, dodrantales, erecti vel ascendentes, angulati, simplices aut saepe ramoso-dichotomi. Folia primordialia lineari-spathulata, opposita, simplicia, caetera alterna, sessilia, modo omnia trifoliolata, modo ex inferioribus aliquod simplex: foliola lateralia suborbiculata, minora sicque cauli proxima, ut eidem adnata, prima fronte, videantur; foliolum intermedium lateralibus longe majus, ovato-ellipticum, elliptico-obovatum aut elliptico-orbiculatum, in brevem petiolulum attenuatum. Stipulae semiamplexicaules, albo-membranaceae, ultra medium inter se connatae, vel si lubet, stipula oppositifolia, bifida aut bidentata. Pedunculi axillares, uni-quadriflori, plerumque folium superantes, superiores interdum aequantes aut eo vix breviores. Flores lutei, pedicellati, pedicellis calicis circiter longitudine, squamula bracteante, membranacea, perexigua ad basim stipati. Calix campanulatus, brevis, dentibus brevissimis et fere obsoletis. Carina incurva, alis subaequalis, calicem triplo superans, vexillo vix brevior. Lomentum unciale, biunciale, arcuatum, articulis sex-decem, tereti-angulatis, monospermis, supremo sterili, attenuato styloque persistente acuminato. Semina lineari-oblonga, subcompressa, leviter incurva, laevia, linea in medio longitudinali prominula notata, demum nigricantia. — Planta glabra, glaucescens.

In arvis frequens.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Lucellina tentennina. Erba canterella. Erba di amore. Piè corvino. Piè di gallo. Scorpioide. Vecchia tentennina.*

CVI. ORNITHOPUS

Ornithopi sp. Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 503. Ornithopodium Tourn. Inst. tab. 224.

Calix tubulosus, 5-dentatus, dentibus duobus superioribus basi connatis. Carina rectiuscula, apice rotundata. Stamina diadelpha. Lomentum longum, teretiusculum compressumve, arcuatum, articulatum, articulis ruguloso-nervosis, monospermis.

363. ORNITHOPUS EBRACTEATUS

O. foliis omnibus stipulatis, foliolis subtus pilosiusculis, inferiorum foliorum obovatis, caeterorum elliptico-oblongis; stipulis ovatis; lomentis teretiusculis, glabris.

Ornithopus ebracteatus Brot. Fl. lusit. 2. p. 150. Urv. En. pl. Archip. p. 90. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 213. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 453. et Suppl. p. 228. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 366. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 392. Lois. Fl. gall. 2. p. 164.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

O. durus DC. Fl. fr. 4. p. 603. (*excl. syn.* Cavan. *et* Willd.). Savi Bot. etr. 3. p. 160. Balb.! Misc. bot. alt. ped. p. 23.

O. pygmaeus Viv. Fl. ital. Fragm. 1. p. 13.

O. nudiflorus Lag. Varied. ann. 2. n.° 19. p. 40. Gen. Spec. p. 23.

Astrolobium ebracteatum DC.! Prod. 2. p. 311.

Ic. — Brot. Phyt. lusit. 1. tab. 68. Lois. Fl. gall. tab. 13. Viv. l. c. tab. 14. ic. 2. Iconogr. taurin. 24 tab. 89.

Ornithopodium viride, glabrum, angustissimis siliquis in aurium instar Bon. tab. 120.

Radix longa, exilis, fibrillas plures emittens, tuberculisque ovatis, sparsis praedita. Caulis raro solitarius, saepe plures, unciales, pedales, graciles, simplices ramosive, erecti vel ascendentes, adpresse breviterque pilosi. Folia alterna, petiolata, tri-septemjuga cum impari, foliolis viridibus, breviter mucronulatis, facie glabris, subtus pilosiusculis. Stipulae e lateribus baseos petiolorum originem ducentes, nec oppositifoliae, minimae, subovatae, modo obtusae, modo acu-

tiusculae, albido-membranaceae, margine autem rufae. Pedunculi axillares, filiformes, folium aequantes vel paullo superantes, apice uni-quinqueflori, nec folium florale gerentes. Flores pedicellati, pedicellis brevissimis caliceque multoties brevioribus. Bracteolae perexiguae, squamaeformes, membranaceae, ciliatae, pedicellorum basim stipantes. Calix tubulosus, glaberrimus, dentibus acutis. Corolla lutea; vexillo lineis purpurascentibus picto, alis paullo longiore; carina alis vix breviore. Lomentum tereti-compressum aut teretiusculum, breviter acuminatum, gracile, glabrum, leviter demum, oculo armato, tenuiterque rugulosum, parum aut neutiquam inter semina contractum. Semina tereti-oblonga, laevia, helvola.

In pascuis et in arvis arenosis.

Fl. aprili, majo. (1)

Obs. Perperam *Ornithopus ebracteatus* Brot. (*Arthrolobium ebracteatum* Auct.) laevigatus, ebracteatus, exstipulatus appellatus est; a caeteris autem *Arthrolobiis* haud stipulis dumtaxat inter se liberis, et caulibus foliisque subtus pilosiusculis, sed calice praeterea longiuscule tubuloso, nec breviter campanulato; carina apice rotundata, non attenuata, nec incurva rostratave; leguminibus teretiusculis aut tereti-compressis tenuiterque rugulosis, nec tereti-angulatis differt: atque hisce characteribus et habitu, et ipsa germinandi ratione (DC. Mem. 2. Legum. p. 98. tab. XII. ic. 58.) sic cum *Ornithopis* Desv. et DC. congruit ut ab iis propter nullum folium florale e summo pedunculo flores stipans, sejungi nequeat. Caetera *Arthrolobia*, si *ebracteatum* excipiamus, nulli a *Coronillis* limites sejungere valent.

364. ORNITHOPUS COMPRESSUS

O. villosus; foliis inferioribus petiolatis, stipulatis, caeteris exstipulatis sessilibusque, foliolis ovalibus oblongisve; folio florali e summo pedunculo flores stipante; lomentis puberulis, compressis, articulis rectangulo-linearibus.

Ornithopus compressus Linn. Sp. p. 1049. Willd. Sp. 3. p. 1156. DC.! Prod. 2. p. 311.

Desf. Fl. atl. 2. p. 172. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 58. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 79. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 212. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 453. et Suppl. p. 228. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 366. Sebast. et Maur. Fl.

rom. Prod. p. 238. Savi Bot. etr. 3. p. 160. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 392. DC. Fl. fr. 4. p. 603. Lois. Fl. gall. 2. p. 164.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Ornithopodium compressum All.! Fl. ped. 1. p. 336.

Ic. — Iconogr. taurin. 20. tab. 1.

Scorpioides leguminosa Lob. Adv. p. 403. ic. 2. ✱ et Icon. tab. 83. ic. 1. ✱ J. Bauh. Hist. 2. p. 349. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 156. ic. 2. ⁂ (*legumina in iconibus praesertim* Bauhini *et* Chabraei *haud articulata, juxtaque longitudinem striata nec reticulata*).

Radix gracilis, longa, ramoso-fibrosa, fibris tuberculis subrotundis, exiguis, praeditis. Caulis raro solitarius, saepe plures, palmares, sesquipedales, striato-angulati, simplices aut e basi plerumque ramosi, erectiusculi aut patuli. Folia omnia multijuga cum impari, inferiora petiolata, stipulis membranaceis, lanceolatis, basi petiolo adnatis, caetera sessilia exstipulataque: foliola flexilia, vix mucronulata, inferiorum foliorum ovato-elliptica, obtusa, superiorum elliptica aut oblonga, nonnumquam acuta. Pedunculi folium subaequantes. Flores lutei, tres-quinque, raro pauciores, in summis pedunculis subcapitati, pedicellis calice multo brevioribus. Calix tubulosus dentibus linearibus, angustis. Corollae carina alis multo brevior calicemque vix superans, vexillum alis longius. Folium florale sessile, pinnatum, e summo pedunculo flores stipans. Lomenta unciam-sesqunciam longa, compressa, juxta longitudinem nervoso-reticulata, arcuata, vix aut plerumque neutiquam inter articulos contracta, apice attenuata longeque acuminato-rostrata, articulis rectangulis, aut oblongo-rectangulis. Semina in articulis solitaria, elliptico-oblonga, compressa, laevia. — Planta villoso-pubescens.

In pascuis et in arvis arenosis.

Fl. aprili, majo. ①

† ORNITHOPUS PERPUSILLUS

Ornithopus foliis pinnatis, leguminibus subarcuatis Linn. ex All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 98.

In Sardinia ex Allionio l. c.

CVII. HIPPOCREPIS

Hippocrepis Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1200. Juss. Gen. p. 361. DC. Prod. 2. p. 312. Lmck. Ill. tab. 630. Ferrum equinum Tourn. Inst. tab. 225.

Calix campanulatus, semi-5-fidus, laciniis duabus superioribus semiconnatis. Carina incurva. Stamina diadelpha. Lomentum longum, plano-compressum, rectum arcuatumve, articulis monospermis, flexuoso-curvatis, aut in orbiculum hinc excisis. Semina incurva arcuatave.

365. HIPPOCREPIS UNISILIQUOSA

H. lomentis brevissime pedunculatis sessilibusve, solitariis binisve, articulorum sinubus orbicularibus.

Hippocrepis unisiliquosa Linn. Sp. p. 1049. Willd. Sp. 3. p. 1158. DC.! Prod. 2. p. 313. Desf. Fl. atl. 2. p. 174. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 50. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 80. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 213. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 455. et Suppl. p. 229. Tenor. Fl. nap. 2. p. 153. et Syll. p. 366. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 239. All.! Fl. ped. 1. p. 337. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 40. DC. Fl. fr. 4. p. 604. Lois. Fl. gall. 2. p. 161. Cambess. En. pl. balear. p. 71.

H. leguminibus sessilibus, solitariis Vall. et All. Florul. corsic. in Misc. soc. taur. 2. p. 211.

H. monocarpa M. B. Fl. taur.-caucas. Suppl. p. 480. DC. Prod. 2. p. 313. Urv. En. pl. Archip. p. 90.

H. biflora Spreng.! Pug. 2. p. 73. DC.! Prod. 2. p. 313.

Ic. — Lmck. Ill. tab. 630. ic. 3. Iconogr. taurin. 6. tab. 85. et H. biflora 44. tab. 82.

Ferrum equinum vulgare Columm. Ecphr. tab. 300. ic.

F. equinum Lob. Obs. p. 527. ic. 3. ✦ et Icon. 2. tab. 82. ic. 2. ✦ Dod. Pempt. p. 546. ic. 3. ✦ Riv. Tetr. irr. 2. tab. 96.

Solea equina J. Bauh. Hist. 2. p. 347. ic. 2. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 155. ic. 5. ⁂

Radix gracilis, fibrillas laterales plures emittens. Caules plures unciales, spithamei, simplices ramosive, procumbentes vel ascendentes. Folia petiolata, quinque-septemjuga cum impari, foliolis brevissime petiolulatis, facie glabris, subtus subpilosiusculis, apice truncatis vel retusis, obtuse emarginatis, vix mucronulatis, inferio-

ribus obovato-cuneatis, superioribus sensim angustioribus, summis lineari-cuneiformibus. Stipulae membranaceae, lanceolatae, acutae vel breviter acuminatae, basim versus glandula nigra hinc saepe praeditae. Flores axillares, omnes solitarii, sessiles aut brevissime pedunculati subindeve pauci aut plerique bini minusque breviter pedunculati. Calix glaber, semiquinquefidus aut profunde quinquedentatus, dentibus inaequalibus, acutis. Corolla lutea, calice duplo et ultra longior. Lomenta sex-quindecim lineas longa, duas circiter lata, pleraque erecta, recta aut vix incurva, modo glaberrima, modo margine altero, vel utroque, vel seminum dorso scabrida aut scabrido-hirta, articulis tribus-sex, in sinum orbiculatum excisis. Semina laevia, teretia, helvola, instar ferri equini incurva.

In arvis calcareis maritimis et in apricis montanis pariter calcareis Tonneri d'Irgini: usque ad 1000 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. aprili, junio. (1)

Obs. Hippocrepis monocarpa ex Marsch. a Bieb. l. c. ab *Hippocrepide unisiliquosa* Linn. non differt nisi lomentis glabris: lomenta autem modo glabra, modo puberulo-hirta se se praebere in eadem *Hippocrepidis* specie palam est, atque specimina mihi obvia *Hippocrepidis unisiliquosae* in Herbar. DC. et monspessulana nec non pedemontana, passim lomenta modo glaberrima, modo puberulo-hirta subindeve vix scabrida, perinde ac sardoa, obtulerunt, absque alio discrimine. Quamobrem nisi fallax ineptusque a lomentis glabris, scabris vel hirtis erui potest character. Plantae lomentis omnibus aut plerisque solitariis, passim cum iis occurrunt quibus lomenta pleraque bina, modo glabra, modo margine scabrida: hae omnino congruunt cum *Hippocrepide biflora* Spr., quae quidem cultura probata lomenta sive pauca, sive pleraque solitaria aut bina offert perinde ac planta spontanea.

366. HIPPOCREPIS MULTISILIQUOSA

H. pedunculis bi-sexfloris, folium subaequantibus; lomentis arcuatis, articulorum sinubus orbicularibus ad extrinsecum convexumque marginem pertinentibus.

Hippocrepis multisiliquosa Linn. Sp. p. 1050. Willd. Sp. 3. p. 1158. DC.! Prod. 2. p. 312. (*excl. syn.* ColumN.).

Desf. Fl. atl. 2. p. 175. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 99. Zeraph. Fl. melit. Thes.

p. 23. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 80. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 213. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 457. (*excl. ic.* Morison.). Tenor. Fl. neap. Syll. p. 366. Savi Bot. etr. 2. p. 257. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 239. All.! Fl. ped. 1. p. 337. (*ex parte*). DC. Fl. fr. 4. p. 605. Lois. Fl. gall. 2. p. 161.

Ic. — Tab. lxvi. Iconogr. taurin. 17. tab. 73.

Caulis modo solitarius, erectus, modo plures, ascendentes aut decumbentes, palmares pedalesve, angulati, virentes, inferne glabri, superne breviter pilosiusculi. Folia tri-octojuga, rachide pilosiuscula, foliolis oblongo-cuneatis, pallide virentibus, truncatis aut obtusis, subemarginatis, submucronulatis, facie glabris, subtus ad nervum medium pilosiusculis, superioribus sensim angustioribus summisque lineari-cuneatis. Stipulae membranaceae, lanceolatae, acuminatae, versus basim ad alterum vel ad utrumque marginem glandula nigra praeditae. Pedunculi bi-sexflori, pilosiusculi, folio vix breviores subindeve aliquot vix longiores. Flores umbellati, lutei, breviter pedicellati, pedicellis bracteola exigua, bifida, albo-membranacea ad basim stipatis. Calicis dentes acuti, superiores duo ad medium usque connati. Lomenta sesquilineam aut duas lineas lata, decem-viginti lineas longa, pallida aut vix rufescentia, arcuata vel in semicirculum aut in circulum incurva, articulis plurimis, modo glabris, modo juxta semina scabrido-hirtis, subindeve altero aut utroque margine scabridis, sinubus orbicularibus ad extrinsecam convexamque marginis partem constanter spectantibus. Semina teretia, laevia, straminea, instar ferri equini incurva.

In maritimis, praesertim arenosis.

Fl. martio, aprili. ①

367. HIPPOCREPIS CILIATA

H. pedunculis bi-quinquefloris, folium subaequantibus; lomentis incurvis arcuatisve, articulorum sinubus orbicularibus ad intrinsecum concavumque marginem pertinentibus.

Hippocrepis ciliata Willd. Mag. nat. ges. Berl. 1808. p. 173. DC.! Prod. 2. p. 313. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 456. Tenor. Fl. nap. 2. p. 153. et Syll. p. 366.

Guss. Pl. rar. p. 300. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 19. Lois. Fl. gall. 2. p. 162. Duby Bot. gall. 1. p. 147. Cambess. En. pl. balear. p. 71.
H. multisiliquosa All.! Fl. ped. 1. p. 337. (*ex parte*).
H. annua Lag.! Gen. spec. pl. nov. p. 23.
H. dicarpa M. B.! Fl. taur.-caucas. Suppl. p. 480.

Ic. — Tab. lxvii.
Ferrum equinum alterum, polyceration Columm. Ecphr. 1. p. 302. tab. 300. ic. ✶
F. equinum, siliqua multiplici Moris. Hist. sect. 2. tab. 10. ic. 2. ✶

Species praecedenti valde affinis, eaque, probabili conjectura, subinde confusa, caeterum plane diversa; omni enim sui parte, caule, foliis, lomentis, paullo tenuior esse solet, praeterea folia aliquatenus crassiuscula et glaucescentia. Caulis et calix saepe, lomenta autem matura constanter rufescunt, minus plerumque curvata sunt, ac in *Hippocrepide multisiliquosa*, raro in circulum omnino convolvuntur nonnullaque interdum fere recta sunt: articulorum demum sinus ad intrinsecum et concavum marginem, nec ad extrinsecum convexumque constantissime spectant. — Variat uti praecedens lomentis ad marginem alterum vel utrumque modo glaberrimis, modo scabrido-hirtis, ad seminum autem dorsum in siculis, apulis, nicaeensibus, gallicis sardoisque speciminibus omnibus ciliato-hirta nec umquam glabra vidi.

In arvis et in collibus.
Fl. aprili, majo. ①

368. HIPPOCREPIS COMOSA

H. caulibus basi frutescentibus; pedunculis folio valde longioribus, bi-multifloris; lomentis utroque margine flexuoso-sinuatis, articulis arcuatis.

Hippocrepis comosa Linn. Sp. p. 1050. Willd. Sp. 3. p. 1159. DC.! Prod. 2. p. 312.
Desf. Fl. atl. 2. p. 175. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 80. Tenor. Fl. nap. 2. p. 154. et Syll. p. 366. Savi Fl. pis. 2. p. 195. et Bot. etr. 2. p. 257. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 175. All.! Fl. ped. 1. p. 337. DC. Fl. fr. 4. p. 605. Lois. Fl. gall. 2. p. 161.

Ic. — Engl. bot. 1. tab. 31. Jacq. Fl. austr. tab. 431. Iconogr. taurin. 6. tab. 86.

Ferrum equinum comosum Riv. Tetr. irr. tab. 96. ic. 2.
F. equinum capitatum Columm. Ecphr. tab. 301. ic. 1. ✶ Moris. Hist. sect. 2. tab. 10. ic. 3. ✶

Radix lignosa, crassa, caespitosa. Caules plures, palmares, semipedales, flexuosi, basi fruticosi, procumbentes, ramis ascendentibus. Folia petiolata, quadri-sexjuga cum impari, rachide pilosiuscula: foliola breviter petiolulata, obtusa retusave, emarginata, mucronulata, facie glabra, subtus nervo medio subpuberula, inferiorum foliorum obovato-cuneata, superiorum sensim angustiora longioraque. Stipulae albo-membranaceae, lanceolatae. Pedunculi folio multo longiores, striati, bi-sexflori (apud nos). Flores breviter pedicellati, pedicellis bracteola membranacea, bifida, exigua ad basim stipatis. Calix campanulatus, dentibus acutiusculis. Corolla lutea, vexillo retroflexo et congenerum more a medio ad basim valde attenuato, dorso lineis purpurascentibus interdum picto; alis obtusis, vexillo paullo brevioribus; carina alas vix superante, falcata rostrataque. Lomenta rufescentia, glanduloso-scabra aut laeviuscula, compressa, articulis duobus-quinque, arcuatis.

Inter fissuras rupium calcarearum Tonneri d'Irgini.
Fl. junio. ♄

CVIII. HEDYSARUM

Hedysarum Jaum. S. Hil. Journ. bot. 3. p. 61. excl. sp. DC. Mem. Legum. p. 342. et Prod. 2. p. 340. Tourn. Inst. tab. 225. Gaertn. Fr. 2. tab. 155. Hedysari sp. Linn. Juss. Echinolobium Desv. Journ. bot. 3. p. 123. tab. 5. ic. 20-21.

Calix 5-fidus, laciniis subaequalibus. Carina alis major, apice abrupte angulata. Stamina diadelpha, filamentis omnibus subulatis. Lomentum compressum, articulis suborbiculatis, (apud nos) aculeato-muricatis, monospermis.

369. HEDYSARUM CORONARIUM

H. foliis tri-quinquejugis, foliolis subtus margineque pubescentibus, inferiorum foliorum subrotundis, caeterorum ellipticis; spicis

ovatis oblongisve, confertim multifloris; lomenti articulis duobus-quatuor, orbiculatis, aculeatis, glabris.

Hedysarum coronarium LINN. Sp. p. 1058. WILLD. Sp. 3. p. 1209. DC.! Prod. 2. p. 341.

DESF. Fl. atl. 2. p. 176. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 22. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 461. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 367. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 239.

Ic. — GAERTN. Fr. 2. tab. 155. ic. 5.

Hedysarum RIV. Tetr. irr. tab. 99.

H. alterum clypeatum LOB. Obs. p. 523. ic. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 77. ic. 2. ✦ (*stipulis nullis*).

Onobrychis altera DOD. Pempt. p. 549. ic. ✦

Astragalus romanus, sive Hedysarum clypeatum, siliqua aspera J. BAUH. Hist. 2. p. 333. ic. 1. ⁂ et 2. ✦ CHABR. Sciagr. p. 151. ic. 3. ⁂ et 4. ✦

Caules saepe plures, semipedales, tripedales, ascendentes diffusive, striati, adpresse pilosiusculi, simplices aut ramosi. Folia alterna, tri-quinquejuga cum impari: foliola foliorum radicalium suborbiculata, proxime sequentium elliptico-orbiculata, caeterorum elliptica sensimque majora, omnia breviter petiolulata, in superiore pagina glabra, viridia punctulisque nigris confertim notata, margine et in inferiore pagina pubescentia lepidotaque. Stipulae lanceolatae. Pedunculi striati, adpresse pilosi, folio longiores. Flores versus pedunculorum summitatem in spicam densifloram, ovatam, oblongam aut cylindrico-oblongam dispositi. Pedicelli calice multo breviores. Bractea lanceolato-acuminata, membranacea, concava, pedicellorum basim stipans iisque valde longior. Calix pubescens, laciniis lanceolato-subulatis. Corolla calice triplo longior, purpurea aut rosea, speciosa, alis carina vix brevioribus, vexillo carinam paullo superante. Lomenta subrecta, articulis saepe tribus, orbiculatis, ad marginem utrumque elevatis ibidemque aculeolis convergentibus, conico-compressis, in disco autem paullo longioribus et apice subuncinatis praedita. Semina subreniformia, subcompressa, laevia.

Ad margines agrorum et in arvis Campidano di Cagliari: colitur etiam, pabulumque praestantissimum praebet.

Fl. aprili, majo. ♃

Ital. *Erba Sulla. Gandazulio. Lupinacci. Lupinaggine. Lupinella salvatica.* Vern. m. *Assudda èra.*

370. HEDYSARUM CAPITATUM

H. foliis quinque-decemjugis, foliolis subtus pilosis, inferiorum foliorum obovatis, emarginatis, superiorum ovalibus oblongove-linearibus, obtusis; floribus spicato-capitatis; lomenti articulis duobus-quatuor, orbiculatis, aculeatis, pubescentibus, aculeis hamosis.

Hedysarum capitatum Desf. Fl. atl. 2. p. 177. non Burm. Willd. Sp. 3. p. 1210. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 462.

H. spinosissimum Willd. Sp. 3. p. 1212. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 82. DC.! Fl. fr. 5. p. 583. et Prod. 2. p. 341. Lois.! Fl. gall. 2. p. 161.

H. pallidum Biv. Sic. Cent. 2. p. 29. Viv. Fl. cors. Diagn. 1. p. 14. non Desf.

Ic. — Tab. LXVIII. A.

β. *pallens*, capitulis paucifloris; floribus minoribus, roseis.

Ic. — Tab. LXVIII. B. — Iconogr. taurin. 10. tab. 97.

Caules plures, palmares, sesquipedales, striati, adpresse pilosi, centrales erectiusculi vel ascendentes, laterales procumbentes. Folia alterna, quinque-decemjuga cum impari, rachide pilosa: foliola breviter petiolulata, subinde mucronulata, facie glabra, viridia et more complurium congenerum tenuissime confertimque (oculo armato) punctata, subtus pilosa aut pilosiuscula, pallentia et sub vitro lepidota, in inferioribus foliis obovata emarginataque, in superioribus oblongo-elliptica aut linearia, obtusa. Stipulae membranaceae, ovato-acuminatae, saepe rubescentes. Pedunculi axillares, striati, adpresse pilosi, folio plus minusve longiores. Flores spicato-capitati, pedicellis calice brevioribus. Bractea membranacea, carinata, lanceolata, acuminata, pedicellorum basim stipans iisque longior: bracteolae exiguae, lanceolato-lineares, acuminatae, calicis basim utrinque ambientes. Calix quinquefidus, pilosus, laciniis lineari-acuminatis. Corolla purpurea aut rosea, vexillo carinam subaequante, alis lineari-oblongis, obtusis, carina paullo brevioribus. Lomentum ex articulis duobus-quatuor constans, orbiculatis aut ovali-orbiculatis, duas lineas et semis aut tres et semis latis, compressis, utrinque aculeatis et pu-

bescentibus, aculeis hamosis et versus apicem glabris. Semina orbiculato-reniformia, helvola, compressa, laevia.

Variat foliolis in α fere omnibus, (summis dumtaxat exceptis) obovatis, in β subtus magis pilosis et interdum cinerascentibus: in utraque autem varietate omniaque, apud nos, constanter truncata vel obtusa. Flores in varietate α purpurei ejusdemque circiter magnitudinis ac in *Hedysaro coronario*, in β rosei aut pallide rosei, exiguiores et numero saepe pauciores, carina apice minus abrupte angulata.

In campis maritimis et pascuis collinis.

Fl. aprili, majo. ①

Vern. m. *Assudda.*

Obs. Hedysarum decumbens Dennst. in Balb. Herbar. et *Hedysarum corsicum* Balb. Cat. hort. taur. 1813. p. 19. App. 1. p. 12. nec non *Hedysarum capitatum* DC. Prod. 2. p. 341. (specimina omnia e planta culta) consentiunt cum *Hedysari capitati* icone quam, pro more, optimam exhibuit clarissimus Reichenbachius in Iconogr. 5. tab. ccccxi. ic. 597., nec a *capitato* nostro differunt nisi foliolis acutis aut acutiusculis longioribusque, quamobrem ad varietatem cultura adductam referenda. — Icon *Onobrychis minor, foliolis cordatis etc.* Pluk. Phyt. tab. 50. a Linnaeo in Sp. plant. p. 1058. ad *Hedysarum spinosissimum* adducta, cum *Hedysaro capitato* nostro consentit; caeterum *Hedysarum spinosissimum* Linn. Hort. ups. p. 231. « floribus parvis, Viciae, albidis, vexillo striis purpureis » a nostra planta recedere videtur. *Hedysarum* autem *spinosissimum* Linn. Herbar. « foliolis lanceolatis, acutis, pedunculis uni-bifloris et habitu alieno » ab *Hedysaro capitato* Desf. differt ex clariss. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 463.

SECTIO IV.

VICIEAE

Stamina diadelpha, rarissime monadelpha. Legumen continuum, uniloculare. Cotyledones crassae, hypogeae. — Folia raro impari-plerumque abrupte pinnata, petiolo communi apice in setulam cirrhumve abeunte, primordialia alterna.

+ CICER

Cicer Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1189. Juss. Gen. p. 361. DC. Prod. 2. p. 364. Tourn. Inst. tab. 210. Gaertn. Fr. 2. tab. 151. Lmck. Ill. tab. 632.

Calix 5-partitus, partitionibus quatuor superioribus vexillo incumbentibus, quinta carinae parvae subjecta. Stamina diadelpha, filamentis apice dilatatis. Stylus glaber. Legumen rhombeum, turgidum, dispermum. Semina globoso-gibberosa, cum umbone.

+ CICER ARIETINUM

C. foliis omnibus impari-pinnatis, foliolis ovatis ovalibusve, serratis.

Cicer arietinum Linn. Sp. p. 1040. Willd. Sp. 3. p. 1113. DC. Prod. 2. p. 354.

Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 65.

Cicer nigrum Fuchs. Hist. p. 267. ic. ⁂ (*bona, etsi foliola omnia sessilia, nec brevissime petiolulata*).

Cicer Trag. Hist. p. 609. ic. ⁂

C. domesticum Math. Valgr. p. 417. ic.

C. arietinum Lob. Obs. p. 519. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 71. ic. 2. ✦ Dod. Pempt. p. 525. ic. 1. ✦ J. Bauh. Hist. 2. p. 292. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 143. ic. 4. ⁂ (*minus bonae ac apud* Fuchs.).

Herba annua, pedalis, cubitalis, ramosa, flexuosa, pubescens, pilis crebro articulatis, apice glanduliferis. Stipulae inciso-dentatae. Pedunculi uniflori, versus medium aristati, folio multo breviores. Flores albi vel purpurei. Legumen pubescens. Semina variant albida, flavida, rufa aut nigrescentia, arietis caput quadantenus aemulantia.

Colitur. ①

Ital. *Cece. Cecio.*

Vern. *Cìxiri.*

Ciceres utile alimentum : eorum farina resolventibus accensita : succus acidulus e pilis promanans refrigerante facultate donatur.

CIX. VICIA

Vicia Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1187. Gaertn. Fr. 2. tab. 151. Lmck. Ill. tab. 634. Faba et Vicia Juss. Gen. p. 360. DC. Prod. 2. p. 354. Tourn. Inst. tab. 212. 221.

Calix tubulosus, 5-fidus aut 5-dentatus. Stamina diadelpha (in unica specie monadelpha). Stylus filiformis. Legumen lineare, polyspermum.

a. *Floribus breviter pedunculatis subsessilibusve.*

+ VICIA FABA

V. foliis arista terminatis, inferioribus unijugis, caeteris bi-trijugis, foliolis crassiusculis, obovatis oblongisve; pedunculis brevissimis, bi-quinquefloris; calicis dentibus superioribus binis, brevioribus, triangularibus; leguminibus teretiusculis, puberulis; seminum hilo terminali.

Vicia Faba Linn. Sp. p. 1039. Willd. Sp. 3. p. 1111.
Faba vulgaris Moench. Meth. p. 130. Sering. in DC. Prod. 2. p. 354.
Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 25.
Faba Riv. Tetr. irr. tab. 23. Math. Valgr. p. 420. ic.
Bona sive Phaseolus major Dod. Pempt. p. 513. ic. ✶
Faba major recentiorum Lob. Obs. p. 509. ic. 2. ✶ et Icon. 2. p. 57. ic. 2. ✶

β. *minor.*
Ic. — Iconogr. taurin. 6. tab. 26.
Faba minor Riv. Tetr. irr. tab. 24.

Herba annua, erecta, caule tetragono, foliis uni-trijugis, foliolis crassiusculis, inferiorum foliorum obovatis, superiorum oblongis, rachide late sulcata, apice in aristam plus minusve brevem abeunte. Stipulae semisagittatae, foliaceae, subdentatae. Flores duo-quinque, juxta pedunculos axillares, breves folioque multo breviores, racemosi. Corolla ampla, vexillo glabro, lineis fuscis juxta longitudinem notato, alis macula atra utrinque praeditis. Calicis dentes superiores duo triangulares, conniventes, caeteris lanceolatis valde breviores.

Legumen teretiusculum, puberulum, crassum, demum coriaceum. Semina variant majora minorave, oblonga aut elliptica, albida, virentia, rubescentia, rufa aut nigra.

Ital. *Fava.*

Vern. m. *Fàa.* — Vern. s. *Fava. Fàe.*

Planta e Persia vel e locis mari caspio finitimis oriri credita, abunde colitur in arvis et in hortis universae Sardiniae. (1)

Fabae nutrienti facultate inter caetera leguminosarum semina praestant: earum farina *quatuor farinis resolventibus* accensita. Aquae destillatae florum Fabarum cosmetica virtus tributa.

371. VICIA NARBONENSIS

V. caule quadrifariam piloso; foliis inferioribus unijugis, caeteris bi-trijugis, cirrhiferis, foliolis crassiusculis, subovalibus, serratis integrisve; pedunculis brevissimis, uni-quinquefloris; calicis dentibus superioribus binis brevioribus, triangularibus; leguminibus compressis, sutura utraque denticulato-ciliatis.

Vicia narbonensis Linn. Sp. p. 1038. Willd. Sp. 3. p. 1110. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 364.

Desf. Fl. atl. 2. p. 166. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 211. Biv. Sic. Cent. 2. p. 72. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 420. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 573. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 244. All.! Fl. ped. 1. p. 327. DC. Fl. fr. 4. p. 597. Lois. Fl. gall. 2. p. 151.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Bωna sylvestris Dod. Pempt. p. 516. ic. ✢

Sylvestris graecorum Faba Lob. Obs. p. 510. ic. ✢ et Icon. 2. tab. 58. ic. 1. ✢

β. *serratifolia,* foliolis serrato-dentatis.

Vicia serratifolia Murray Syst. veg. (ed. 14.) p. 665. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 419. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 573.

V. narbonensis Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 73.

Ic. — Jacq. Fl. austr. App. tab. 8. Sturm. Fl. germ. fasc. 32. Iconogr. taurin. 6. tab. 27.

Caulis erectus, pedalis, sesquipedalis, striatus, raro ramosus, saepe simplex, eximie tetragonus atque ad angulos in utraque varietate pilosus, basim versus interdum glabratus. Folia infima unijuga, caetera bi-trijuga, omnia rachide crassa et superne profunde sulcata.

Cirrhi foliorum inferiorum obsoleti aut simplices, superiorum ramosi. Foliola decem-quindecim lineas lata, ovalia aut obovata, pleraque basi obliqua, margine et juxta nervum medium subtus pilosa; in varietate α vel omnia integerrima, vel superiora dumtaxat serrato-dentata; in varietate β omnia serrato-dentata. Stipulae foliaceae, magnae, serrato-dentatae vel inciso-serratae, in var. α inferiores interdum integrae. Pedunculi axillares, brevissimi, uni-quinqueflori, floribus vix pedicellatis. Calicis dentes superiores bini breviores, triangulares, uninervii, glabri, mucronulati, caeteri longiores, lanceolati, apice ciliati, laterales trinervii latioresque, infimus uninervius laterales vix superans. Corolla atro-purpurea, calice duplo et ultra longior. Ovarium utroque margine ciliatum, stylo superne atque subtus nec non stigmate barbatis. Legumen sesqunciam-uncias duas et semis longum, quinque circiter lineas latum, rectum aut vix curvum, patulum, reticulatum, in utraque varietate, apud nos, glabrum, ad suturas denticulatum, denticulis in pilos setosos abeuntibus. Semina quinque-decem, globoso-compressa, atro-fusca, oculo armato, sericeo-nitentia.

In herbosis, praesertim collinis.

Fl. aprili, majo. (1)

Vern. m. *Fava burda.* — Vern. s. *Pisi pisi de coloras.*

372. VICIA SATIVA

V. foliis plerisque 4-7-jugis, imorum foliolis obcordatis, caeterorum obovatis, oblongis linearibusve, emarginato-retusis obtusisve; stipulis semisagittato-dentatis, notatis; calicis dentibus subaequalibus; leguminibus brevissime pedunculatis, subsolitariis, 6-12-spermis.

Vicia sativa Linn. Sp. p. 1037. Willd. Sp. 3. p. 1104. Desf. Fl. atl. 2. p. 164. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 43. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 99. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 78. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 71. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 210. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 362. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 243. Savi Fl. pis. 2. p. 191. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 173. All.! Fl. ped. 1. p. 325. DC. Fl. fr. 4. p. 593. (*excl. var. δ.*). Lois. Fl. gall. 2. p. 149. Cambess. En. pl. balear. p. 72.

V. leguminibus sessilibus, subbinatis, erectis; foliis retusis; stipulis notatis All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. p. 103.

Ic. — Vicia sativa Hoppe in Sturm. Fl. germ. fasc. 31. Fl. dan. tab. 522. Iconogr. taurin. 6. tab. 11. et 15.

Aphaca Fuchs. Hist. p. 110. ic.

Vicia Riv. Tetr. irr. tab. 54. Clus. Hist. (lib. 6.) p. 235. ic. 1. ✦ Dod. Pempt. p. 531. ic. 1. ✦ Lob. Obs. p. 522. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 75. ic. 1. ✦ (*etsi stipulae nullae*).

V. vulgaris sativa J. Bauh. Hist. 2. p. 310. ic. 2. ⁂

Aphaca, Vicia Chaer. Sciagr. p. 146. ic. 5. ⁂ (*stipulae nullae*).

β. *macrocarpa*, robustior, leguminibus magnis.

Vicia sativa β. *macrocarpa* Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 17.

V. sativa Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 425.

γ. *segetalis*, foliolis (praeter inferiora obcordata obovatave) lineari-oblongis longisque.

Vicia segetalis Thuill. Fl. paris. (ed. 2.) p. 367. DC. Fl. fr. Suppl. p. 579. Lois. Fl. gall. 2. p. 150.

Ic. — Vicia segetalis Hoppe in Sturm. Fl. germ. fasc. 31.

δ. *angustifolia*, foliolis (praeter inferiora obcordata obovatave) anguste linearibus; floribus amoene purpureis.

Vicia angustifolia All.! Fl. ped. 1. p. 325. Roth. Tent. Fl. germ. 1. p. 310. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 246. DC.! Fl. fr. Suppl. p. 579.

Ic. — Vicia angustifolia Hoppe in Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 31.

Caulis flexuosus, striato-angulatus, pubescens, plus minusve, e basi praesertim, ramosus, inferne interdum glabratus. Folia inferiora uni-trijuga, in aristas vel cirrhos breves simplicesque subindeve cirrhi aut aristae loco in foliolum impar abeuntia: folia caetera quadri-septemjuga, cirrhis bi-trifidis ramosisve, raro aliquot ex supremis in varietate *macrocarpa* octojuga: foliola plus minusve mucronulata, utrinque aut subtus, vel nervo dumtaxat medio et margine pubescentia aut puberula, in foliis infimis obcordata brevioraque, in caeteris vel pariter obcordata vel elliptica, oblonga aut oblongo-linearia, retuso-emarginata et sensim plus minusve longiora, in varietate *angustifolia* anguste linearia summaque aliquot interdum acutiuscula. Stipulae semisagittatae, dentatae, macula atro-purpurea, fusca aut lutescente notatae, supremae interdum integrae. Flores axillares, brevissime pedunculati, solitarii et gemini, raro aliquot terni, in

varietate γ omnino et amoene purpurei, in caeteris purpureo-coerulei seu vexillo coeruleo aut purpureo-violaceo alis carinaque purpureis. Calix tubulosus, semiquinquefidus, dentibus anguste lineari-lanceolatis, tubo vix brevioribus, inter se subaequalibus. Legumina juniora breviter pubescentia, adulta sensim glabrata; in varietate *macrocarpa* eximie nervoso-reticulata, quatuor-quinque lineas lata, uncias duas aut paullo ultra longa; in caeteris laevia aut vix nervoso-reticulata, duas et semis-tres lineas lata, duodecim-viginti lineas, raro duas uncias longa, omnia demum (apud nos) nigricantia. Semina in singulis varietatibus modo globulosa, modo leviter compressa, nunc rufescentia, nunc atro-rufa vel rufo- aut nigro-maculata.

Inter segetes et ad sepes in herbosis: var. *angustifolia* in sylvestribus montanis: usque ad 1500 metr. circiter supra maris superficiem.

Fl. a martio ad junium. ①

Ital. *Veccia. Veccia buona. Veccia dolce. Veccia nostrale.*

Vern. s. *Pappasòlu. Pisi pisi.*

Viciae sativae semina qua donantur faecula amylacea alimentum praestare valent: ejus herba perinde ac leguminosarum pleraeque gratum pecudi pabulum praebet.

373. VICIA LATHYROIDES

V. foliis plerisque 2-3-jugis, imorum foliolis obcordatis, superiorum oblongo-obovatis linearibusve, retusis; cirrhis simplicissimis; stipulis semisagittatis, integris; calicis dentibus subaequalibus; leguminibus solitariis, brevissime pedunculatis, glaberrimis, 5-10-spermis; seminibus tuberculatis.

Vicia lathyroides Linn. Sp. p. 1037. Willd. Sp. 3. p. 1106. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 362.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 71. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 429. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 362. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 246. Savi Bot. etr. 1. p. 233. Bertol. Fl. alp. apuan. in Amoen. p. 392. All.! Fl. ped. 1. p. 326. (*excl. iconibus*). DC. Fl. fr. 4. p. 594. Lois. Fl. gall. 2. p. 150. Cambess. En. pl. balear. p. 72.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ervum soloniense Linn. Herbar. non Sp.

Ic. — Engl. bot. 1. tab. 30. Fl. dan. tab. 58. (*planta junior, cirrhis nullis*). Jacq. Miscell. 2. tab. 18. Hoppe in Sturm. Fl. germ. fasc. 31. (*optimae*).

Vicia minima Riv. Tetr. irr. tab. 55.

Caules exiles, ramosi, diffusi, palmares, pedales. Folia ima unijuga, interdum cum impari, caetera bi-trijuga, raro quadrijuga: foliola mucronulata, infimorum foliorum obcordato-cuneata, caeterorum obtusa retusave, infimis sensim longiora, oblongo-obovata, summa saepe lineari-oblonga et nonnunquam acuta. Stipulae semisagittatae, integrae. Cirrhi simplicissimi eorumque loco interdum arista in foliis omnibus, praeterquam in supremis cujusque rami. Flores solitarii, fere sessiles, parvi, vexillo coeruleo aut coerulescente, alis et carina pallidioribus. Calicis dentes tubo vix breviores, inter se subaequales, anguste lineari-lanceolati. Legumen turgidiusculum aut compressum, demum patulum deflexumve, sesquilineam-duas lineas latum, septem-terdecim longum. Semina globoso-cubica, cinerea, rufa aut nigrescentia, tuberculata. — Planta pubescens leguminibus glaberrimis.

In pascuis maritimis Orri, insulae Asinara et in montanis monte Linas, Morgongiori, Laconi, Desulo, Arizzo, Genargentu.

Fl. martio, majo. ①

Exstat *Vicia lathyroides* Linn. in All. Herbario *Viciae angustifoliae* All. Roth. admixta: neutram bene referre valent speciem icones *Viciae lathyroidis* All. Fl. ped. tab. 59. ic. 2.✝ et Iconogr. taurin. 17. tab. 71.✝

574. VICIA PEREGRINA

V. foliis plerisque 4-6-jugis, foliolis omnibus anguste linearibus, truncato-emarginatis; stipulis lineari-semisagittatis, integris; calicis dentibus superioribus binis surrecto-conniventibus, brevioribus; leguminibus solitariis, breviter pedunculatis, pubescentibus, 5-7-spermis.

Vicia peregrina Linn. Sp. p. 1038. Willd. Sp. 3. p. 1108. Sering. in DC. Prod. 2. p. 362.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 72. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 430. et Suppl. p. 226. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 362. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 246. All.! Fl. ped. 1. p. 326. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 39. DC. Fl. fr. Suppl. p. 580. Lois. Fl. gall. 2. p. 150.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

V. megalosperma M. B. Fl. taur.-caucas. 2. p. 161. et Suppl. p. 471. (*ex specim. clariss.* Steven. *et* Fisch. *in Herbar.* DC.).
V. leptophylla Rafin. Carat. p. 71. Sering. in DC. Prod. 2. p. 365.

Ic. — Hoppe in Sturm. Fl. germ. fasc. 32. Iconogr. taurin. 25. tab. 75.
Vicia peregrina, angustissimis foliis, siliqua lata, glabra Pluk. Phyt. tab. 233. ic. 6. (*bona, etsi stipulae nullae*).

Caules ramosi, graciles, sesquipedales, tripedales, procumbentes. Folia infima uni-trijuga, caetera quadri-sexjuga: foliola omnia linearia lineamque dimidiam vel lineam lata, tres-novem longa, breviter petiolulata, facie glabra, subtus ad nervum medium puberula, basi cuneata, apice emarginato-retusa mucronulataque. Cirrhi in inferioribus foliis aristaeformes aut brevissimi simplicesque, in caeteris bi-trifidi ramosive. Stipulae exiguae, semisagittatae, integrae, acutae. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, fructiferi calicem longitudine subaequantes, deflexi curvative. Calicis puberuli dentes lanceolato-acuminati, superiores duo breviores, surrecto-conniventes, laterales versus superiores binos convergentes, infimus caeteris tenuior paulloque longior. Corolla purpureo-violacea. Legumen plano-compressum, puberulum, quatuor circiter lineas latum, unciam-sesquunciam longum. Semina compressa, orbiculata, laevia, rufa.

Inter segetes in montanis Laconi, Arizzo, Fonni.
Fl. majo, junio. ①

375. VICIA LUTEA

V. foliis plerisque 6-9-jugis, imorum foliolis obovatis, superiorum oblongo-linearibus lanceolatisve; stipulis semisagittatis bilobisve, supremis subindivisis; calicis dentibus superioribus duobus dimidio brevioribus, conniventibus; vexillo glaberrimo; leguminibus solitariis, brevissime pedunculatis, pilosis, 3-6-spermis.

Vicia lutea Linn. Sp. p. 1037. Willd. Sp. 3. p. 1107. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 363. Desf. Fl. atl. 2. p. 165. Forsk. Fl. aegypt. p. 70. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 99. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 72. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 210. Maur. Rom. pl. Cent. 13. p. 35. All.! Fl. ped. 1. p. 326. DC. Fl. fr. 4. p. 596. Lois. Fl. gall. 2. p. 151.

Ic. — STURM. Fl. germ. 1. fasc. 31. Engl. bot. 7. tab. 481. Iconogr. taurin. 6. tab. 19.

Vicia flore ochroleuco siliquis hirsutis, propendentibus MORIS. Hist. sect. 2. tab. 21. ic. 5. (*mala*).

* *hirta*, rigidior, hirsutior.

Vicia hirta BALB.! Herb. PERS. Syn. 2. p. 308. GUSS.! Fl. sic. Prod. 2. p. 425. et Suppl. p. 225. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 362. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 246. SAVI Bot. etr. 2. p. 255. DC. Fl. fr. Suppl. p. 581. LOIS. Fl. gall. 2. p. 151.

SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica.

V. lutea var. BALB. Misc. alt. ped. p. 22.

Caules semipedales, bipedales et ultra, diffusi vel ascendentes, e basi saepe ramosi. Folia inferiora, more congenerum, uni-paucijuga, in aristam brevem cirrhumve simplicem abeuntia, caetera sex-novemjuga, cirrhis bi-trifidis: foliola mucronulata, margine et subtus vel utrinque patenter pilosa, infima obovata, obtusa nonnullave subinde emarginata, quae proxime sequuntur elliptica aut lineari-elliptica, caetera sensim longiora, lineari-oblonga, summa lineari-lanceolata, acuta. Stipulae parvae, variant semisagittatae aut bilobae, integrae aut paucidentatae, superiores rubentes aut rufo-fuscae, summae saepe indivisae. Flores solitarii, erecti, fere sessiles. Calicis dentes acuminati, superiores duo dimidio breviores, infimus lateralibus paullo longior. Corolla lutea, vexillo emarginato, glabro, in utraque varietate subindeque in eadem planta modo rubente, modo non. Carina obtusa, apice utrinque macula atro-violacea, in β praesertim, notata. Legumina plus minusve pilosa, compressa, demum deflexa aut patentia, longitudine uncialia-sesquiuncialia, quatuor-quinque lineas lata, plus minusve pilosa aut hispida, pilis tuberculo calloso insidentibus. Semina compressa, suborbiculata, rufo-nigrescentia, (oculo armato) sericea, hilo lineari, albo.

Inter segetes: var. β in apricis collinis et submontanis: frequens.

Fl. martio, majo. ①

Icon *Viciae luteae* Engl. bot. 7. tab. 481. inter allatas nostras varietates ambigit. Icon *Vicia luteo flore sylv.* J. BAUH. Hist. 2. p. 313. ob foliola omnia obovata obtusaque, etsi haud emarginata, ad *Viciam hybridam* magis quam ad *luteam* accedit, neutram vero apte refert.

576. VICIA HYBRIDA

V. foliis plerisque 4-7-jugis, foliolis obovatis oblongisve, omnibus truncato-emarginatis; stipulis semisagittatis bilobisve, supremis indivisis; calicis dentibus superioribus brevioribus; vexillo pubescente; leguminibus solitariis, breviter pedunculatis, pilosis, 3-6-spermis.

Vicia hybrida Linn. Sp. p. 1037. Willd. Sp. 3. p. 1107. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 363.

Desf. Fl. atl. 2. p. 165. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 72. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 210. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 424. et Suppl. p. 225. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 363. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 246. Savi Fl. pis. 2. p. 189. et Bot. etr. 2. p. 255. Bertol. Pl. genuens. in Amoen. p. 173. All.! Fl. ped. 1. p. 326. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 39. DC. Fl. fr. 4. p. 596. Lois. Fl. gall. 2. p. 151.

Ic. — Sm. Engl. bot. 7. tab. 482. Jacq. Hort. vind. 2. tab. 146. (*stipulis omnibus indivisis*). Sturm. Fl. germ. fasc. 32. (*foliolis omnibus obcordatis*).

Vicia sylv. lutea cum galea fusca J. Bauh. Hist. 2. p. 314. ic. 1. ⍲ Chabr. Sciagr. p. 147. ic. 3. ⍲ (*etsi folia nonnulla decemjuga*).

Praecedenti affinis, omnino differt foliis plerisque quadri-septemjugis, non sex-novemjugis, foliolis omnibus obovatis oblongisve, truncato-emarginatis, nullis lineari-lanceolatis acutisque; vexilli dorso piloso, non glabro; leguminibus minus breviter pedunculatis, pilosis, numquam tuberculato-hirsutis; seminum hilo cinereo moxque nigrescente, non albo. — Variat vexillo luteo et pallide roseo.

In arvis.

Fl. aprili, majo. (1)

b. *Floribus longe pedunculatis.*

577. VICIA BITHYNICA

V. foliis inferioribus unijugis, foliolis obovato-ellipticis, caeteris bi-trijugis, foliolis oblongis lanceolatisve; stipulis semisagittato-lunatis, irregulariter dentatis, amplis; pedunculis 1-2-floris; calicis laciniis subaequalibus; leguminibus pubescentibus, 4-7-spermis.

Vicia bithynica Linn. Sp. p. 1038. Willd. Sp. 3. p. 1110. Sibth. et Sm. Fl.

graec. Prod. 2. p. 73. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 210. Urv. En. pl. Archip. p. 87. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 431. et Suppl. p. 226. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 247. Savi Fl. pis. 2. p. 191. et Bot. etr. 2. p. 256. All.! Fl. ped. 1. p. 325. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 39. DC. Fl. fr. 4. p. 597. Lois. Fl. gall. 2. p. 149.

Lathyrus bithynicus Lmck. Dict. 2. p. 706. Seringe.! in DC. Prod. 2. p. 374. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 355. Cambess. En. pl. balear. p. 73.

Ic. — Engl. bot. 26. tab. 1842. Jacq. Hort. vind. 2. tab. 147. All. Fl. ped. tab. 26. ic. 2. Iconogr. taurin. 14. tab. 97.

Cracca floribus albis, foliis circa radicem denticulatis Buxb. Cent. 3. tab. 45. ic. 2.

Caules dodrantales, bipedales, ramosi, diffusi, glabri aut pilosiusculi. Foliola mucronulata, facie glabra, subtus pilosiuscula, imorum foliorum elliptica aut obovata, obtusa aut obtusiuscula, duas-quatuor lineas lata, quatuor-sex longa, caeterorum sensim longiora, elliptico-oblonga vel oblonga aut lineari-lanceolata, unam-novem lineas lata, semunciam-duas uncias longa, saepe acuta. Stipulae amplae, versus apicem ciliatae, inferiores parcius dentatae minoresque. Cirrhi inferiorum foliorum simplices aut arista loco cirrhi, superiorum foliorum plerumque ramosi. Pedunculi uni-biflori, modo folio multo breviores, modo longiores. Calix pilosus, striatus, laciniis lanceolato-linearibus, acuminatis, inter se fere aequalibus, tubo longioribus. Corollae vexillum violaceum aut coerulescens, emarginatum, alae et carina coerulescentes aut albidae. Legumina quatuor-quinque lineas lata, longitudine uncialia-biuncialia, compressa, ad utramque suturam magis quam disco pubescentia, matura rufescentia. Semina sphaerica, nigrescentia rufoque-maculata.

In arvis et in pascuis humidis Muravera, Carbonara, Pula.

Fl. aprili, majo. ①

378. VICIA CALCARATA

V. foliis plerisque 6-8-jugis, foliolis lineari-oblongis linearibusve, obtusis, subemarginatis; stipulis bipartitis, partitionibus anguste lineari-lanceolatis, integerrimis divisisve; pedunculis 1-7-floris, folio brevioribus; calicis dentibus superioribus brevioribus; leguminibus glabris, 3-7-spermis.

Vicia calcarata Desf.! Fl. atl. 2. p. 166. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 360.
V. monantha Retz Obs. fasc. 3. p. 39. Willd. Sp. 3. p. 1109. non Desf.
V. triflora Tenor. Fl. neap. Prod. p. 42. et Fl. neap. Syll. p. 357. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 432.
Orobus viciaeformis Lag. Gen. et Sp. p. 22. DC. Prod. 2. p. 379.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 172.

Caules striati, adpresse puberuli, decumbentes vel ascendentes, e basi plerumque ramosi. Folia inferiora paucijuga, caetera sex-octojuga: foliola virentia, linearia aut lineari-oblonga, tres-decem lineas longa, a linea semis ad unam, raro nonnulla duas lineas lata, utrinque pubescentia, raro subtus glabra, omnia obtusa, pleraque emarginata, brevissime aut neutiquam mucronulata. Stipulae immaculatae, furcatae aut bipartitae, partitione utraque anguste lineari-lanceolata, acuta, integerrima subindeve altera bi-trifida. Cirrhi foliorum inferiorum simplices brevesque, caeterorum bi-trifidi. Pedunculi uni-septemflori, ad apicem plerumque aristati, folio plus minusve breviores. Flores purpureo-coerulescentes, secundi, pedicellati, pedicellis calicis tubo brevioribus: pedunculi cum quoque pedicello articulationes in gibberem brevem hinc saepe abeuntes. Calix puberulus, breviter quinquedentatus, dentibus superioribus duobus brevioribus, triangularibus. Corolla purpureo-coerulescens, calicem triplo circiter superans; vexillo profunde emarginato; alis vexillo paullo brevioribus; carina alis breviore, macula atro-purpurea, apice utrinque notata. Legumen compressum, quatuor circiter lineas latum, unciam-sesquunciam longum, leviter reticulatum, glabrum vel ad suturam alteram pilosiusculum. Semina globoso-compressa, atro-rufa.

In arvis Campidano di Cagliari, Serrenti, Guspini, Pula.

Fl. aprili, majo. ①

379. VICIA CRACCA

V. foliis plerisque 8-15-jugis, foliolis lineari-oblongis lanceolatisve, nervosis, rigidulis; stipulis semihastatis, integerrimis, summis indivisis; pedunculis confertim 15-30-floris, folio longioribus; calicinis dentibus superioribus brevissimis; leguminibus glabris, 5-7-spermis.

Vicia Cracca Linn. Sp. p. 1035. Willd. Sp. 3. p. 1098. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 357.

Desf. Fl. atl. 2. p. 162. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 70. Urv. En. pl. Archip. p. 88. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 357. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 243. Savi Due Cent. Fl. etr. p. 151. All.! Fl. ped. 1. p. 324. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 38. DC. Fl. fr. 4. p. 591. Lois. Fl. gall. 1. p. 148.

Ic. — Hoppe in Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 31. Fl. dan. tab. 804. Engl. bot. 17. tab. 1168.

Vicia perennis, multiflora, coerulea sepium Moris. Hist. sect. 2. tab. 4. ic. 1.

Radix longa, repens. Caulis pedalis, tripedalis et ultra, striato-angulatus, flexuosus, puberulus, ramosus, valde foliatus. Folia inferiora paucijuga, caetera 8-15-juga: foliola opposita alternaque, inter se proxima, brevissime petiolulata, lineari-oblonga aut lineari-lanceolata, adpresse pubescentia, juxta longitudinem nervosa, rigidula, acuta aut obtusiuscula, mucronulata. Cirrhi inferiorum foliorum simplices brevesque, superiorum bi-trifidi. Stipulae semi-hastatae aut bipartitae, partitione utraque anguste lineari-lanceolata integra, superiores lineari-lanceolatae, indivisae. Pedunculi folium superantes, raro aliquot ex superioribus subaequantes. Flores coerulescentes, quindecim-triginta et ultra, versus extrema pedunculorum longe racemosi, secundi, patentes aut nutantes, imbricati. Calicis puberuli subindeque coerulescentis dentes duo superiores brevissime triangulo-acuminati, laterales paullo longiores e basi triangula lanceolati acuminatique, infimus caeteris tenuior, lineari-lanceolatus, laterales vix superans. Alae carinam obtusam, apice utrinque macula violacea notatam valde superantes, vexillo paullo breviores. Legumina duas lineas et semis circiter lata, duodecim-quatuordecim longa, vix compressa, glabra. Semina subglobosa, rufo-nigrescentia, hilo rufo. — Planta rigidula et identidem (apud nos) surrecta, ad *Viciam tenuifoliam* Roth accedens, foliis autem minus angustis et vexillo breviore vix differens.

In montanis apricis la Trebina, Esterzili, Arizzo.

Fl. majo, junio. ♃

580. VICIA PSEUDOCRACCA

V. foliis plerisque 4-10-jugis, infimorum foliolis subovalibus, caeterorum lineari-oblongis oblongisve; stipulis semihastatis, subintegerrimis, supremis indivisis; pedunculis 1-20-floris; calicis dentibus superioribus brevissimis; leguminibus glabris, 2-8-spermis.

Vicia pseudocracca BERTOL.! Rar. Ital. pl. dec. 3. (ed. 1.) p. 58. et Amoen. p. 90. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 357. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 436. et Suppl. p. 226. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 358. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 244. DUBY Bot. gall. 1. p. 151.

V. litoralis SALZM.! SOLEIROL! Pl. siccat. e Corsica. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 359. LOIS. Fl. gall. 2. p. 148.

V. bivonea SERING.! in DC. Prod. 2. p. 357. non RAFIN.

V. microphylla URV.! En. pl. Archip. p. 87. SERING. in DC. Prod. 2. p. 358.

Radice annua nec perenni; foliis haud 10-15-jugis, foliolis flaccescentibus potius quam rigentibus; pedunculis numquam 20-30-floris; leguminibus saepe latioribus, a praecedente differt.

Foliola infimorum foliorum ovalia aut obovata, caeterorum linearia, lineari-oblonga obtusaque subindeve superiorum foliorum lineari-lanceolata acutaque, omnia inter se plerumque magis dissita quam in *Vicia Cracca*. Pedunculi folio saepe longiores et laxe floriferi, in planta luxuriante etiam 15-20-flori, in gracili, et praesertim litorea, pauciflori subindeve uni-biflori folioque multo breviores. Flores purpureo-coerulei vel albido-coerulescentes. — Herba plus minusve pubescens.

In campis et in collibus ad sepes et dumeta et in litoreis arenosis maritimis. Fl. martio, majo. ①

581. VICIA ATROPURPUREA

V. villosa; foliis plerisque 7-10-jugis, foliolis lineari-oblongis oblongisve; stipulis semisagittato-lanceolatis, dentatis integrisve; pedunculis confertim 3-12-floris; calicis laciniis lineari-setaceis, superioribus duabus brevioribus, surrecto-conniventibus; leguminibus hirsutis, 2-4-spermis.

Vicia atropurpurea DESF. Fl. atl. 2. p. 164. WILLD. Sp. 3. p. 1097. SERING.! in DC.

Prod. 2. p. 359. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 433. et Suppl. p. 226. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 360. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 244. DC. Fl. fr. 4. p. 592. Lois. Fl. gall. 2. p. 148.

Soleirol! Requien.! Pl. siccat. e Corsica.

Vicia bengalensis Linn. Sp. p. 1036.? Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 70. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 209.

Ic. — Vent. Hort. cels. tab. 84.

β. *rubella*, major, floribus rubellis roseisve.

Vicia trichochalyx Moris Stirp. sard. Elench. fasc. 3. p. 7.

Caules pedales, bipedales et ultra, decumbentes vel ascendentes, striati, simplices ramosive. Foliola virentia aut viridi-cinerascentia, mucronulata, inferiorum foliorum elliptica aut oblongo-elliptica, superiorum sensim longiora, oblonga aut lineari-oblonga, summorum acutiuscula vel acuta, caeterorum obtusa. Stipulae semisagittato-lanceolatae, acutae, variant basi dentatae vel integrae subindeve in β inciso-dentatae. Cirrhi bi-trifidi ramosive, infimorum foliorum breves simplicesque. Pedunculi folio subaequales aut paullo breviores, racemis densifloris, floribus 3-12-secundis, patulis deflexisve. Calicis villosissimi laciniae lineari-setaceae, superiores duae breviores et surrecto-conniventes, caeterae superioribus quidem longiores at longitudine sic variantes ut carinam modo subaequent, modo ea duplo breviores sint, infima laterales modo superet, modo non. Alae vexillo subemarginato paullo breviores, carina ad apicem utrinque atropurpurea paullo longiores. Legumen ascendens patulumve, hirsutum, decem-sexdecim lineas longum, quatuor-quinque latum, compressum. Semina in quoque legumine duo-quatuor, nec plura, globoso-compressa, nigro-rufa. — Planta villoso-pubescens, in β robustior, foliolis plerisque tres-quatuor lineas latis, floribus puniceis aut roseis, in α gracilior foliis unam-duas, raro (aliquot) tres lineas latis, floribus purpureis aut purpureo-coeruleis.

Ad sepes et dumeta et inter segetes.

Fl. aprili, majo. ①

Obs. Viciae atropurpureae nostrae β specimina robustiora speciem ab α distinguendam referre videntur: gradus vero inter utramque intermedii et qui-

dem plurimi, alteram varietatem in alteram abire ostendunt: alterutra autem ad *Viciam bengalensem* Linn. fortasse referenda, siquidem hanc Stoecadum nec Bengalae indigenam significavit Linnaeus, aliaque ejusdem generis ad Stoecades pertinens hactenus desideratur, quae magis quam nostra, linnaeanae speciei accommodari queat, cujusque linnaeani characteres quibusdam saltem cum speciminibus magis consentiant. Quamobrem *Viciam atro-purpuream* Desf. *Viciae bengalensi* Linn. adscripsere clariss. Bory et Chaub. l. c. Specimina plantae in Stoecadibus a Sibthorpio lectae et in Herbario Heritieri *Viciae bengalensis* nomine asservata, cum *Vicia atro-purpurea* Desf. consentiunt ex Desf. Fl. atl. 2. p. 164; eamdemque Stoecadum plantam ad *Viciam atro-purpuream* pariter retulere clariss. DC. et Lois. l. c. Caeterum *Viciae bengalensis* specimina Herbarii Allionii, Balbis aliorumque cum nostra *Vicia atro-purpurea* β *rubella*, nec cum α congruunt, atque ob corollam rubellam vel puniceam potius quam atro-purpuream aut purpureo-coeruleam, linnaeanae *Viciae bengalensi* propiora fortasse sunt. Demum *Vicia bengalensis hirsuta et incana siliquis Pisi* Herm. Hort. lugd.-bat. tab. 625. *Viciae* nostrae *atro-purpureae* specimina pauciflora satis aemulari videtur, calicis vero dentibus brevissimis nullisve differt.

382. VICIA GLAUCA

V. foliis plerisque 3-5-jugis, foliolis cineraceo-glaucescentibus, pubescentibus, subovalibus oblongove linearibus; cirrhis nullis, simplicibusve; stipulis semisagittatis, integris; pedunculis 3-8-floris; calicinis laciniis lineari-setaceis, subaequalibus; leguminibus glabris, 3-5-spermis.

Vicia glauca Presl Delic. Prag. 1. p. 37. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 442.

Ic. — Tab. lxix.

Radix crassiuscula, longa. Caules ex eadem radice plures, palmares, pedales, procumbentes vel decumbentes, graciles, inferne quatenus in terra vel inter saxa rupiumve fissuras excurrunt aphylli, et interdum radicantes, glabri, mox foliati, puberuli. Foliola adpresse pubescentia, cineraceo-glaucescentia, mucronulata, a dimidia linea ad sesquilineam lata, unam-quinque longa, forma admodum varia, modo omnia obovata aut ovalia, modo lineari-oblonga aut lineari-lanceolata, obtusa aut acutiuscula vel inferiorum foliorum elliptica

aut obovata, superiorum lineari-oblonga aut lineari-lanceolata. Stipulae semisagittatae, integrae. Cirrhi simplicissimi, breves, seu cirrhorum loco, vel in foliis inferioribus, vel in omnibus, foliolum interdum impar. Pedunculi tri-octoflori, folio saepe longiores. Flores patuli, secundi. Calicis villoso-pubescentis laciniae lineari-setaceae, subaequales, seu duae superiores caeteris vix breviores. Vexillum subemarginatum, rubescens; alae albidae; carina brevis, obtusissima, apice utrinque macula atro-purpurea notata. Stylus apice villosus ibidemque superne fasciculo pilorum praeditus. Legumen compressum, duas et semis-tres lineas latum, sex-novem longum, omnino glabrum vel ad suturas puberulum. Semina globoso-compressa, laevia, demum rufo-nigrescentia.

Inter fissuras rupium calcarearum montis albi Siniscola et montium Oliena, nec non in saxosis circa su Xuxu montis Genargentu.

Fl. majo, junio. ♃

383. VICIA MONANTHA

V. foliis plerisque 5-7-jugis, foliolis linearibus, retuso-emarginatis, mucronulatis; stipularum biformium altera lineari integerrima, altera palmatim capillaceo-multifida; pedunculis unifloris; calicinis dentibus subaequalibus; leguminibus glabris, 2-4-spermis, torulosis.

Vicia monanthos Desf. Fl. atl. 2. p. 165. Viv. Fl. lyb. sp. p. 42. Savi Bot. etr. 2. p. 254. non Retz nec Willd.

Ervum monanthos Linn. Sp. p. 1040. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 367. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 364. All.! Fl. ped. 1. p. 327. (*excl. icon. Iconogr. taurin.*). DC. Fl. fr. Suppl. p. 582.

Lag.! Pl. siccat. ex Hispan. in Herbar. DC.

Lathyrus monanthos Willd. Sp. 3. p. 1083. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 67.

Vicia articulata Willd. En. pl. H. Berol. p. 764. Lois. Fl. gall. 2. p. 149.

Ic. — Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 32. ic.

Caules pedales, bipedales, ascendentes aut procumbentes, ramosi. Foliola a linea dimidia ad sesquilineam lata, tres-novem longa, linearia, retuso-emarginata, mucronulata. Stipulae ad basim cujusque folii biformes, alia scilicet linearis acuta et sessilis, alia in infimis

foliis hastata seu bi-tripartita, in caeteris palmatim capillaceo-multifida et subpetiolata. Cirrhi in foliis inferioribus simplices, in caeteris ramosi. Pedunculi uniflori, mutici, folio subaequales subindeve superiores multo breviores. Flores pedicellati, pedicello adpresse puberulo. Calicis dentes e basi triangula subulati, aequales aut fere aequales. Corolla albido-coerulescens, vexillo lineis coeruleis striato, carina macula nigra ad apicem utrinque notata. Stylus versus apicem, oculo armato, breviter puberulus: stigma glabrum. Legumen late lineari-oblongum, compressum, glabrum, torulosum, tres lineas et semis latum, octo-quatuordecim longum. Semina majuscula, globoso-compressa, laevia, rufa: omnino autem matura non vidi. — Herba glabra, pedicellis puberulis.

In arvis montanis Arizzo ad *su runcu de sa scova.*

Fl. majo. ①

384. VICIA TETRASPERMA

V. foliis plerisque 4-6-jugis, infimorum foliolis ovalibus, caeterorum lineari-oblongis oblongisve; stipulis integris, semisagittatis, superioribus indivisis; cirrhis simplicibus ramosisque; pedunculis filiformibus, 1-6-floris, muticis; leguminibus anguste linearibus, 3-7-spermis.

Vicia tetrasperma Lois. Fl. gall. 2. p. 149.

Ervum tetraspermum Linn. Sp. p. 1039. Willd. Sp. 3. p. 112. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 367. α. Desf. Fl. atl. 2. p. 167. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 48. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 73. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 211. α. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 364. α. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 248. Savi Fl. pis. 2. p. 192. et Bot. etr. 3. p. 161. All.! Fl. ped. 1. p. 327. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 39. DC. Fl. fr. 4. p. 599.

E. Biebersteini Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 445. et Suppl. p. 228.

E. pedunculis subbifloris, seminibus globosis quaternis All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 93.

Ic. — Engl. bot. 17. tab. 1223. Fl. dan. tab. 95. Hoppe in Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 32.

Viciae sive Craccae minimae species cum siliquis glabris J. Bauh. Hist. 2. p. 315. ic. 2. ✢. Chabr. Sciagr. p. 147. ic. 6.

Cracca minor, siliquis gemellis Riv. Tetr. irr. tab. 53. ic. 1.

β. eriocarpa, leguminibus pubescentibus.

Ervum pubescens DC.! Cat. H. monsp. p. 109. Fl. fr. Suppl. p. 582. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 367. non TENOR.

Caules pubescentes, semipedales, bipedales et ultra. Foliola utrinque villosiuscula, mucronulata, a linea una ad tres et semis lata, a duabus ad decem longa, in infimis foliis ovalia, in proxime sequentibus oblonga sensimque longiora, in supremis lineari-oblonga, modo omnia obtusa aut obtusiuscula, modo inferiora dumtaxat obtusa, caetera acutiuscula acutave. Stipulae inferiores semisagittatae, superiores lineares, intermediae modo lineares, modo semisagittatae, omnes integrae, angustae, acutae aut acuminatae. Cirrhi foliorum inferiorum brevissimi simplicesve, seu arista loco cirrhi, in foliis superioribus alii simplices, alii bifidi, raro omnes simplices. Pedunculi uni-sexflori, filiformes, mutici, folio (in eadem et in variis plantis) modo breviores, modo longiores. Flores exigui: pedicelli calicis longitudinem aequantes aut vix superantes: corollae albido-coerulescentes: calicis dentes longitudine, in eadem etiam planta, varii, calicis tubo breviores aut longiores, superiores duo caeteris saepe breviores subindeve aequales. Stylus glaber, stigmate capitato, vix puberulo, demum glabro. Legumina lineam et semis circiter lata, quinque-septem longa, leviter compressa, glabra aut pubescentia, saepe torulosa. Semina rufo-fusca, laevia, globulosa.

Inter segetes, ad sepes et dumeta in maritimis montanisque: var. β in sylvestribus monte Santo Pula.

Fl. aprili, majo. ①

385. VICIA GRACILIS

V. foliis plerisque 2-4-jugis, imorum foliolis ovalibus, caeterorum lineari-lanceolatis; stipulis integris, semisagittatis, superioribus indivisis; cirrhis omnibus simplicibus; pedunculis filiformibus, 1-5-floris, subaristatis, folio multo longioribus; leguminibus anguste linearibus, 3-7-spermis.

Vicia gracilis LOIS. Fl. gall. 2. p. 148. CAMBESS. En. pl. balear. p. 72.

V. laxiflora BROT. Phyt. 1. p. 123.

Ervum gracile DC.! Cat. H. monsp. p. 109. Fl. fr. Suppl. p. 581. SEBAST. et

Maur. Fl. rom. Prod. p. 248. Savi Bot. etr. 3. p. 161. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 39.
E. tenuissimum Pers. Syn. 2. p. 309. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 444.
E. longifolium Tenor. Fl. neap. Prod. p. 59.
E. tenuifolium Lag. Nov. gen. p. 22.
E. aristatum Rafin. Prec. p. 38. Sering. in DC. Prod. 2. p. 367.
E. tetraspermum β. Sering. in DC. Prod. 2. p. 367. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 211. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 364.

Ic. — Lois. Fl. gall. tab. 12. Brot. Phyt. tab. 52.

A praecedente cui valde affinis, praeter quam ex allatis in diagnosi characteribus, differt habitu rigidulo, foliis superioribus angustioribus, constanter et magis acutis, corolla purpurascente, calicem duplo aut fere triplo constanter, apud nos, superante. — Variat leguminibus aliis glaberrimis, aliis puberulis. — Compluribus autem hujus et praecedentis seminibus collatis, constans in seminum hilo discrimen deprehendere non potui.

Ad sepes et dumeta in maritimis et in Sardinia centrali.
Fl. aprili, majo. (1)

386. VICIA LEUCANTHA

V. foliis plerisque 6-10-jugis, inferiorum foliolis ovalibus, superiorum oblongo-linearibus oblongisve, acutiusculis; stipulis semisagittatis, dentatis; pedunculis 2-12-floris; calicinis laciniis lineari-setaceis, subaequalibus; leguminibus 3-5-spermis, puberulis, demum glabris.

Vicia leucantha Biv. St. Sicil. Manip. 1. p. 3. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 227.
V. bivonea Raf.-Schmaltz Prec. somiol. p. 37. non Sering.
V. Bivonae Sm. ex Spr. Syst. veg. 3. p. 267. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 442. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 359.
Ervum agrigentinum Guss. Cat. sem. an. 1826. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 367.

Ic. — Tab. LXX.

Caules semipedales, bipedales, diffusi, ramosi. Foliola virentia, mucronulata, dimidiam lineam-duas lineas lata, unam-septem longa, inferiorum foliorum elliptica, obtusa aut obtusiuscula, superiorum oblonga aut lineari-oblonga, acuta vel acutiuscula. Cirrhi inferiores

aristaeformes aut breves simplicesque, superiores bi-trifidi. Stipulae semisagittatae, infimae subintegrae, caeterae sensim profundius dentatae. Pedunculi apice saepe breviter aristati, modo folio multo breviores, raro vix longiores, saepe folium aequantes, modo omnes uni-biflori, modo tri-quinque-duodecimflori. Flores secundi. Calicis villosi laciniae lineari-setaceae, fere aequales. Corolla pallide rosea, vexillo emarginato, lineis coeruleis striato, alas paullo superante: carina apice utrinque atro-purpurea, alis valde breviore. Legumina juniora puberula, adulta glabrata, compressa, levissime tenuiterque reticulata, novem-quindecim lineas longa, tres et semis-quatuor lata, pleraque tri-tetrasperma, raro aliquot pentasperma. Semina vix compressa, globulosa, nigra, laevia, (oculo armato) sericea. — Herba pubescens.

In arvis et in pascuis maritimis, nec non in collinis Sardiniae centralis Laconi, et septentrionalis Osilo.

Fl. martio, aprili. ①

+ VICIA DUMETORUM

V. pedunculis multifloris; foliolis reflexis, ovatis, mucronatis; stipulis subdentatis Linn. ex All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 103.

In Sardinia ex Allionio l. c.

CX. ERVUM

Ervorum sp. Linn. Ervorum sect. 1.ª Sering. in DC. Prod. 2. p. 366. Lens Tourn. Inst. tab. 210.

Calix 5-fidus aut 5-partitus, laciniis corolla paullo brevioribus eidemve aequalibus. Stylus filiformis. Legumen rhombeum, monodispermum.

387. ERVUM PARVIFLORUM

E. foliis plerisque 7-10-jugis; stipulis integris, semisagittatis, superioribus indivisis; pedunculis 2-3-floris, folio multo brevioribus;

calicinis laciniis superioribus duabus brevibus, surrecto-conniventibus; leguminibus dispermis, glabris, sutura superiore puberula.

Ervum parviflorum Bertol.! Obs. bot. in Amoen. p. 38. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 39.

Vicia disperma DC.! Cat. H. monsp. p. 154. Fl. fr. Suppl. p. 578. Sering. in DC. Prod. 2. p. 359. Guss. Fl. sic. Prod. Suppl. p. 227.

V. parviflora Lois. Fl. gall. 2. p. 149. non Mich.

Ic. — Tab. LXXI.

Habitu ad *Viciam leucantham* accedens, plane differt, praeter memoratas in diagnosi notas, calicinis laciniis superioribus triangulo-acuminatis, minus angustis atque brevioribus; floribus exiguioribus; leguminibus etiam junioribus glabris et superiore dumtaxat sutura puberulis, adultis tres circiter lineas, quatuor numquam, latis, haud ultra octo-novem lineas longis, dispermis (unicum, inter multa multorum speciminum legumina, trispermum vidi). — Flores purpureo-coerulescentes. Stylus versus apicem pubescens. Semina subglobosa, atro-rufa. Herba puberula variat stipulis superioribus indivisis, caeteris semisagittatis, vel aliquot dumtaxat ex infimis semisagittatis, caeteris omnibus lineari-lanceolatis indivisisque.

Inter segetes in submontanis collinisque Laconi, Samugheo, Morgongiori. Fl. aprili, majo. ①

+ ERVUM LENS

E. foliis plerisque 5-7-jugis, superioribus cirrhiferis; stipulis lineari-lanceolatis, integerrimis; pedunculis 1-3-floris, aristatis, folio subaequalibus; calicis laciniis corollam subaequantibus; leguminibus mono-dispermis, glabris, suturis subpuberulis.

Ervum Lens Linn. Sp. p. 1039. Sering. in DC. Prod. 2. p. 366.

Cicer Lens Willd. Sp. 3. p. 1114.

Lens esculenta Moench. Meth. p. 131.

Ic. — Hoppe in Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 32.

Lens Riv. Tetr. irr. tab. 35. Fuchs. Hist. p. 859. ic. ⁎ J. Bauh. Hist. 2. p. 317. ic. 2. ⁎ Chabr. Sciagr. p. 149. ic. 1. ⁎ Lob. Obs. p. 521. ic. 1. 2. ✦ et Icon. 2. tab. 74. ic. 1. 2. ✦ Dod. Pempt. p. 526. ic. 1. 2. ✦ Math. Valgr. p. 426. ic.

Caulis semipedalis, sesquipedalis, pubescens, erectus, ramis decumbentibus vel ascendentibus. Folia inferiora in aristam, superiora in cirrhum simplicem abeuntia: foliola vix mucronulata, infimorum foliorum ovalia aut ovali-oblonga, caeterorum lineari-oblonga, superiorum acuta. Stipulae lineari-lanceolatae, integrae, villosiusculae. Pedunculi uni-triflori, aristati, inferiores folio paullo longiores, superiores folio aequales aut paullo breviores. Flores albido-coerulescentes. Calix quinquepartitus, laciniis anguste lineari-lanceolatis, inter se subaequalibus, corollam aequantibus. Corollae vexillum emarginatum, lineis longitudinalibus coerulescentibus praeditum: carina ad apicem macula fusca utrinque notata, alas fere aequans, vexillo paullo brevior. Stylus versus apicem superna sui parte pubescens. Legumen tres lineas et semis latum, quinque-sex longum, ad alteram vel utramque suturam puberulum, caetera glabrum, mono-dispermum, apice subtruncatum. Semina rufa, laevia, compressa. — Herba pubescens.

Colitur et spontaneum occurrit in arvis circa Ales.

Fl. majo. ①

Ital. *Lente. Lenticchia.*

Vern. m. *Gentilla.* — Vern. s. *Lentizza.*

Lentes qua donantur faecula amylacea alimentorum numerum jamdiu auxere: earum farina resolventibus accensetur.

388. ERVUM NIGRICANS

E. foliis plerisque 2-4-jugis, summis subcirrhiferis, caeteris breviter aristatis; stipulis semisagittatis, dentatis; pedunculis 1-2-floris, aristatis, folio longioribus; calicis laciniis corollam aequantibus superantibusve; leguminibus glabris, mono-dispermis.

Ervum nigricans M. B. Fl. taur.-caucas. 2. p. 164. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 366. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 448. et Suppl. p. 228. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 363.

E. lentoides Tenor. Fl. neap. Prod. Suppl. 2. p. 68. et Cat. 1819. p. 56. Lois. Fl. gall. 2. p. 152.

Ic. — Tenor. Fl. nap. tab. 167. ic. 2. Tab. nost. lxxi. ic. 2. (*Jam haec incisa erat quum Florae neapolitanae adductam iconem accepi, secus praetermissem.*)

Caules graciles, semipedales, pedales et paullo ultra, ascendentes diffusive. Folium supremum unum alterumve in cirrhum simplicem saepe abiens, caetera in aristam brevem desinentia: foliola mucronulata, inferiorum foliorum obovato-cuneata, a linea ad sesquilineam circiter lata, proxime sequentium oblonga sensimque longiora, superiorum lineari-oblonga angustioraque, quatuor-quinque lineas longa, acutiuscula. Stipulae semisagittatae, infimae subintegrae, caeterae basi dentatae. Pedunculi filiformes, folio longiores, biflori subindeve aliquot uniflori, omnes aristati. Calix quinque-partitus, laciniis angustissime lineari-acuminatis, corollam saepius superantibus quam aequantibus. Vexillum purpureo-coerulescens: alae et carina pallidiores, subaequales, vexillo paullo breviores. Stylus superna sui parte versus apicem pubescens. Legumen calicem paullo superans, lineas duas latum, quatuor circiter longum, glabrum. Semina non vidi matura.

In aridis maritimis collinisque Sardiniae orientalis, Muravera, Tertenìa. Fl. aprili. (1)

389. ERVUM LENTICULA

E. foliis aristatis, plerisque 2-4-jugis; stipulis semihastatis indivisisve, integerrimis; pedunculis unifloris, folio longioribus; laciniis calicinis corollae aequalibus brevioribusve; leguminibus puberulis, mono-dispermis.

Ervum Lenticula Schreb. Herb. ex Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 32. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 366.

E. uniflorum Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 248. Bertol. Obs. bot. in Amoen. p. 37. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 447.

E. diphyllum Besser in Herb. Balb. et in Cat. Hort. taur. (1813.) App. 1. p. 11. Sering. in DC. Prod. 2. p. 367.

Cicer ervoides Brignol.! Fasc. rar. pl. forojul. p. 27.

Ic. — Sturm. l. c. fasc. 32. ic. (*stipulis lanceolatis nec semihastatis*). Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. tab. 5. ic. 2.

Pedunculis unifloris, rarissime uno alterove bifloro, non aristatis, vel raro aliquot in aristam brevem abeuntibus; floribus multo exi-

guioribus, calicis laciniis corollam numquam superantibus, legumine triplo circiter quadruplove brevioribus; foliis supremis in cirrhum non abeuntibus et stipulis integris a praecedente differt. — Variat foliolis infimorum foliorum obovatis aut obcordatis, proxime sequentium retusis obtusisve, superiorum obtusis aut acutiusculis. Stipulae superiores saepissime lanceolatae et indivisae, caeterae in eadem et in variis plantis nunc semihastatae aut obsolete semihastatae, nunc indivisae lanceolataeque. Stylus vel superna sui parte, vel interdum etiam inferna versus apicem vix puberulus subindeve glaber. Legumina mono-disperma (trisperma non vidi). Semina lenticularia, laevia, rufa, modo nebula cinerea punctisque nigris adspersa, modo non.

In arvis et in pascuis maritimis Tortolì, Muravera, insulae Tavolara, et in montanis Oliena.

Fl. aprili, majo. ①

390. ERVUM HIRSUTUM

E. foliis plerisque 6-9-jugis, superiorum cirrhis ramosis; stipulis semisagittatis indivisisve; pedunculis 2-8-floris, folio brevioribus aequalibusve; laciniis calicinis corolla brevioribus; leguminibus pubescentibus glabrisve, dispermis, torulosis.

Ervum hirsutum Linn. Sp. p. 1039. Willd. Sp. 3. p. 1113. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 366.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 74. Urv. En. pl. Archip. p. 89. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 446. et Suppl. p. 228. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 364. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 247. Savi Fl. pis. 2. p. 193. et Bot. etr. 3. p. 162. All.! Fl. ped. 1. p. 327. DC. Fl. fr. 4. p. 599. Lois. Fl. gall. 2. p. 152.

Soleirol ! Pl. siccat. e Corsica.

Vicia hirsuta Koch Syn. Fl. germ. et helv. 1. p. 191.

Ic. — Engl. bot. 14. tab. 970. Fl. dan. tab. 639. Hoppe in Sturm. Fl. germ. 1. fasc. 32.

Cracca minor Riv. Tetr. irr. tab. 53. ic. 2.

Aracus sive Cracca minima Lob. Obs. p. 522. ic. 2. ✧ et Icon. 2. p. 76. ic. 1. ✧

Craccae alterum genus Dod. Pempt. p. 542. ic. 2. ✧

Vicia parva sive Cracca minor cum multis siliquis hirsutis J. Bauh. Hist. 2. p. 315. ic. 1. ✦ Chabr. Sciagr. p. 147. ic. 5. ✦ (*etsi stipulae nullae*).

β. *lejocarpon*, leguminibus glabris; stipulis plerisque indivisis linearibusque.
Ervum Terronii Tenor.! Fl. neap. Prod. App. v. p. 22. et Ind. sem. H. R. neap. 1829-1830.
E. pubescens β. *lejocarpum* Tenor. Fl. neap. Syll. p. 364.
E. sardoum Spr. Syst. veg. cur. post. p. 346.

Caules dodrantales, tripedales, procumbentes, glabri aut vix puberuli. Foliola mucronulata, glaberrima seu margine et subtus ad nervum medium leviter puberula, inferiorum foliorum ovalia, caeterorum linearia, a lineae tertia parte ad sesquilineam lata, tres-octo lineas longa, obtusa vel retusa emarginatave. Stipulae insigniter variae, semisagittatae subindeve bifidae aut bipartitae, integrae aut basi dentatae, superiores lineares indivisae, in β infimae aliquot subsagittatae, caeterae omnes lineares integerrimae. Cirrhi in superioribus foliis ramosi, in inferioribus simplices vel loco cirrhi arista brevis. Pedunculi puberuli, bi-octoflori, setula vel arista brevi subinde terminati. Flores secundi, exigui, albido-coerulescentes, carina apice coeruleo-violacea. Calix puberulus, laciniis anguste lineari-acuminatis, subaequalibus, corolla paullo brevioribus. Stylus modo glaber, modo superna aut inferna sui parte versus apicem vix puberulus. Legumina paullo plus quam lineam aut sesquilineam lata, tres et semis-quatuor et semis longa, disperma, torulosa, demum nigrescentia, in α pubescentia, in β glabra aut versus apicem ad suturas dumtaxat puberula. Semina rufo-nigrescentia, globulosa. — Var. β in horto culta legumina identidem aliquot puberula praebuit.

Ad sepes et inter segetes in maritimis, collinis montanisque: var. *lejocarpa* ad oras sylvarum locis umbrosis humentibus circa Arizzo.
Fl. aprili, junio. ①

CXI. PISUM

Pisum Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1184. Tourn. Inst. tab. 215. Gaertn. Fr. 2. tab. 152. Lmck. Ill. tab. 633.

Calix campanulatus, 5-fidus, laciniis foliaceis. Vexillum maximum. Stamina diadelpha. Stylus complicato-carinatus, superiore latere versus apicem barbatus. Legumen lineare, polyspermum.

+ PISUM SATIVUM

P. foliis plerisque 2-3-jugis, foliolis ovatis, integris, margine undulatis; stipulis semicordato-ovatis, basi dentatis; pedunculis bi-multifloris.

Pisum sativum Linn. Sp. p. 1026. Willd. Sp. 3. p. 1070. Sering. in DC. Prod. 2. p. 368.

Ic. — Pisum minus Dod. Pempt. p. 520. ic.

Ital. *Pisello comune.*

Vern. *Pisurci.*

β. *quadratum*, seminibus quadratis.

Ic. — Pisum siliqua curva Riv. Tetr. irr. tab. 36.

Ital. *Pisello grosso. Pisello reale.*

γ. *nanum*, caule nano, erectiusculo, leguminibus minoribus.

Ic. — Pisum nanum Riv. Tetr. irr. tab. 37.

Ital. *Pisello nano.*

δ. *umbellatum*, stipulis quadrifidis, acutis, pedunculis multifloris, terminalibus, subumbellatis.

Ic. — Pisum comosum Riv. Tetr. irr. tab. 37.

Ital. *Pisello a mazzetti.*

Vern. *Pisurci de Spagna.*

Colitur in hortis ad usum. ①

391. PISUM ARVENSE

P. foliis plerisque 2-3-jugis, foliolis ovatis ellipticisve, dentatis integrisve; stipulis semicordato-ovatis, basi dentatis; pedunculis uni-bifloris; seminibus punctatis.

Pisum arvense Linn. Sp. p. 1027. Willd. Sp. 3. p. 1071. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 368. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 62. et Fl. graec. 7. p. 79. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 356. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 243.

P. biflorum Rafin. Carat. p. 71. Guss.! Fl. sic. Prod. 2. p. 418.

P. variegatum Presl Fl. sic. 1. p. 13.

Ic. — Fl. graec. tab. 687. (*foliis bijugis*).

Pisi pulchra species, folio anguloso J. Bauh. Hist. 2. p. 297. ic. 2. ⩓ Chabr. Sciagr. p. 144. ic. 4. ⩓

Pisum pulchrum, folio anguloso Moris. Hist. sect. 2. tab. 1. ic. 4. (*mala*).

Caules uni-quadripedales, striati, cirrhis ramosis scandentes. Petioli teretes, inferiores unijugi, caeteri bi-trijugi. Foliola ovata aut elliptica, breviter mucronulata, plus minusve dentata, subangulosa subindeque nonnulla integra, in summis petiolis interdum acuta vel acutiuscula, in caeteris obtusa vel retusa. Stipulae semicordatae, basi dentatae, foliolis majores, obtusae aut acutiusculae, mucronulatae. Pedunculi biflori et mutici aut uniflori aristati, longitudine varii, modo folium subaequantes, inferiores quadri-sexunciales, superiores breviores sesqui- aut biunciales, modo omnes folio duplo triplove breviores, inferiores unciales-sesquiunciales, superiores semiunciales-unciales. Calicis laciniae foliaceae, mucronulatae, superiores duae majores oblongae, inferiores lanceolatae. Corollae vexillum amplum, emarginatum, roseo-coerulescens: alae atro-purpureae: carina pallide rosea. Legumen quatuor lineas aut fere quatuor et semis latum, uncias duas-duas et semis longum, glabrum, nervoso-reticulatum subindeque verrucis sparsis praeditum, octo-decaspermum. Semina globuloso-angulosa, rufo-nigrescentia, tenuissime, oculo armato, punctata. — Planta glaucescens, glaberrima, variat foliis superioribus omnibus bijugis; pedunculis omnibus unifloris.

Ad sepes et dumeta Sardiniae maritimae et centralis: frequens.

Fl. aprili, majo. ①

Vern. s. *Pisellu areste*.

CXII. LATHYRUS

Lathyrus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1186. Juss. Gen. p. 359. DC. Prod 2. p. 369. Tourn. Inst. tab. 216. 217. Gaertn. Fr. 2. tab. 152. Lmck. Ill. tab. 632. Clymenum, Ochrus et Aphaca Tourn. Inst. tab. 218. 219. 220. 225.

Calix campanulatus, 5-fidus aut 5-dentatus. Vexillum magnum. Stamina diadelpha. Stylus linearis vel sursum dilatatus, latere superiore planus ibidemque versus apicem pilosus. Legumen lineare aut lineari-oblongum, polyspermum.

SPECIES

a. *Perennes, caulibus apteris.*

Lathyrus pratensis.

* *Perennes, caulibus alatis.*

L. sylvestris.	L. heterophyllus.

b. *Annui, caulibus alatis.*

L. Ochrus.	L. annuus.
L. tenuifolius.	L. Cicera.
L. tingitanus.	L. sativus.
L. hirsutus.	

* *Annui, caulibus apteris.*

L. hexaedrus.	L. Nissolia.
L. angulatus.	L. Aphaca.

a. *Perennes, caulibus apteris.*

392. LATHYRUS PRATENSIS

L. foliis unijugis; foliolis oblongo-lanceolatis; stipulis sagittatis, foliola magnitudine subaequantibus; pedunculis 2-12-floris, folio multoties longioribus; calicinis laciniis omnibus acuminato-subulatis; leguminibus linearibus, 7-8-spermis.

Lathyrus pratensis Linn. Sp. p. 1033. Willd. Sp. 3. p. 1089. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 370.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 68. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 208. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 415. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 353. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 243. Savi Fl. pis. 2. p. 186. et Bot. etr. 4. p. 10. All.! Fl. ped. 1. p. 331. DC. Fl. fr. 4. p. 583. Lois. Fl. gall. 2. p. 145.

Ic. — Engl. bot. 10. tab. 670. Fl. dan. tab. 527. Iconogr. taurin. 6. tab. 7. Riv. Tetr. irr. tab. 43.

Lathyrus luteus, sylvestris, dumetorum J. Bauh. Hist. 2. p. 304. ic. 2. ∧ Chabr. Sciagr. p. 145. ic. 4. ∧ (*etsi stipulae haud sagittatae*).

Radix repens. Caules pedales, cubitales, puberuli, ramosi, diffusi, ascendentes aut cirrhis scandentes. Foliola oblongo-lanceolata, acuta,

a linea una ad quatuor et semis lata, utrinque attenuata, nervosa, modo glabra, modo subtus aut utrinque puberula aut pubescentia. Stipulae e basi ovata lanceolato-acuminatae, petioli circiter longitudine, sagittatae, auriculis acuminatis, saepe inaequalibus. Cirrhi simplices et aliquot subinde bi-trifidi. Pedunculi duas et semis-novem uncias longi, versus apicem alterne bi-duodecimflori. Flores lutei, pedicellis calice brevioribus, bractea lineari-setacea ad basim stipatis. Calicis puberuli aut glabri, laciniae e basi triangulari omnes acuminato-subulatae, laterales superioribus incurvo-conniventibus vix longiores, infima laterales paullo superans. Vexillum ovale, venis fuscis juxta longitudinem notatum. Carina vexillo brevior, alas fere aequans. Legumen unciam circiter longum, compressum, 7-8-spermum, junius, oculo armato, puberulum, adultum glabrum. Semina non vidi matura.

In pascuis et in sylvestribus montanis Laconi, Fonni.

Fl. majo, junio. ♃

Ital. *Erba galletta gialla. Pisello de' prati.*

* *Perennes, caulibus alatis.*

393. LATHYRUS SYLVESTRIS

L. foliis unijugis, foliolis longe lanceolatis linearibusve, acuminatis; stipulis semisagittatis; pedunculis 3-12-floris, folio longioribus; calicinis dentibus superioribus duobus brevioribus, triangularibus; leguminibus linearibus, 15-20-spermis; seminibus verrucoso-punctatis.

Lathyrus sylvestris Linn. Sp. p. 1033. Willd. Sp. 3. p. 1089. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 369.

Desf. Fl. atl. 2. p. 161. Zeraph. Fl. melit. Thes. p. 26. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 68. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 414. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 353. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 243. Savi Fl. pis. 2. p. 187. All.! Fl. ped. 1. p. 331. DC. Fl. fr. 4. p. 583. Lois. Fl. gall. 2. p. 146.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica.

L. sylvestris et latifolius Moris Stirp. sard. Elench. 1. p. 13. et 14.

Ic. — Engl. bot. 12. tab. 805. Iconogr. taurin. 6. tab. 7.

L. sylvaticus Riv. Tetr. irr. tab. 39.

Ervum sativum Fuchs. Hist. p. 572. ic. ∴ (*etsi stipulae haud semisagittatae*).

Pisum graecorum TRAG. Hist. p. 615. ic.

Lathyri majoris species flore rubente et albido minore dumetorum sive germanicum J. BAUH. Hist. 2. p. 302. ic. ⚹

Lathyrus sylvestris CLUS. Hist. 2. p. 229. ic. 2. ✦ DOD. Pempt. p. 523. ic. 2. ✦ (*minus bonae*).

L. narbonensis latiore folio LOB. Obs. p. 517. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 68. ic. 2. ✦

Thyrus, Cicercula, Pisum graecorum CHABR. Sciagr. p. 145. ic. 1. ⚹

* *angustifolius*, foliolis anguste linearibus.

Lathyrus ensifolius BADAR. in Diar. phys.-chem. papiens. ann. 1824. n.° 13. et Pl. Ligur. occid. in MORETT. Bot. ital. p. 38.

L. membranaceus PRESL Delic. Prag. 1. p. 40.

L. longifolius TENOR. ad Fl. neap. Prod. App. v. p. 21. ex TENOR. Syll. l. c.

Radix longa, crassa, teretiuscula, collum versus anceps. Caulis sesquipedalis, orgyalis, procumbens vel scandens, e basi ramosus, tetragonus, angulis duobus oppositis alatis. Petioli alati, unijugi, foliolis multo breviores, infimi in cirrhum non abeuntes, caeteri cirrho semel iterumve trifido terminati. Foliola lanceolata aut linearia, duas-sex uncias longa, facie viridia, subtus pallentia, nervis ibidem prominentibus tribus-sex, longitudinalibus, aliis intermediis anastomoticis, infima acutiuscula, caetera sensim magis acuta acuminatave. Stipulae egregie semisagittato-lanceolatae, acuminatae, petiolo aequales paullove breviores. Pedunculi solitarii, axillares, angulosi, nudi, folio aequales aut saepe longiores. Flores racemosi, pedicellis calice longioribus, bractea lineari-setacea, decidua ad basim stipatis. Calicini dentes superiores duo triangulares, breviores, caeteri lanceolati, calicis tubo longitudine subaequales, infimus tenuior paulloque longior. Corolla speciosa, vexillo roseo-virente aut roseo, alis purpurascentibus, carina rosea aut pallescente. Legumen lineas tres-quatuor et semis latum, uncias duas et semis-tres et paullo ultra longum, juxta longitudinem nervoso-reticulatum, glabrum, 15-20-spermum. Semina subglobosa, verrucoso-punctata. — Planta glabra, variat foliolis lineam unam-sex latis, floribus minoribus majoribusve magnitudine ad illos *Lathyri latifolii* Engl. bot. 16. tab. 1108. etiam accedentibus, foliis autem egregie lanceolatis linearibusve, angustioribus differens.

Ad sepes et in sylvestribus Pula, Iglesias, Morgongiori, Oliastra, Arizzo.
Fl. majo, junio. ♃

Ital. *Ceserone. Cicerchia salvatica. Cicerchione. Erba galletta rossa. Ingrassa bue. Mocajone. Pisello salvatico. Rowiglie. Rubiglione. Veccione. Veggioloni.*

394. LATHYRUS HETEROPHYLLUS

L. foliis superioribus bijugis; foliolis oblongo-lanceolatis, mucronulatis; stipulis semisagittatis; pedunculis 5-10-floris, folio longioribus; calicis dentibus superioribus brevioribus, triangularibus; leguminibus linearibus, 15-20-spermis; seminibus verrucoso-punctatis.

Lathyrus heterophyllus Linn. Sp. p. 1034. Willd. Sp. 3. p. 1090. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 371.

All.! Fl. ped. 1. p. 331. DC. Fl. fr. 4. p. 583. Lois. Fl. gall. 2. p. 146.

(*Icones* Lathyrus major narbonensis, angustifolius J. Bauh. Hist. 2. p. 304. ic. 1. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 145. ic. 3. ⁂ *huc fortasse spectant, sed ipso fatente* J. Bauhino *malae, foliola enim nec apte inserta, nec ad naturam expressa.*)

Differt a praecedente cui affinis, foliis superioribus bijugis, foliolis brevioribus, in nostris speciminibus duas-tres uncias longis, quinque-octo lineas latis. Flores non vidi.

Ad sepes circa Iglesias.
Fl. majo, junio. ♃

b. *Annui, caulibus alatis.*

395. LATHYRUS OCHRUS

L. petiolis late foliaceis, aphyllis exstipulatis, supremis mono-pentaphyllis, alatis, stipulatis, cirrhiferis; foliolis ovatis ovalibusve; pedunculis unifloris, folio multo brevioribus; vexillo biauriculato; leguminibus linearibus, 5-7-spermis, sutura seminifera alatis; seminibus subglobosis, laevibus.

Lathyrus Ochrus DC.! Fl. fr. 4 p. 578. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 375. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 416. et Suppl. p. 225. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 556. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 241. Savi Bot. etr. 2. p. 251. Lois. Fl. gall. 2. p. 145. Cambess. En. pl. balear. p. 73.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica in Herbar. DC.

Pisum Ochrus Linn. Sp. p. 1027. Willd. Sp. 3. p. 1071. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 62. et Fl. graec. 7. p. 80. Savi Fl. pis. 2. p. 182. All.! Fl. ped. 1. p. 332. Badar. Pl. Ligur. occid. in Morett. Bot. ital. p. 38.
Ochrus pallida Pers. Syn. 2. p. 305.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 689.
Aracus niger Math. Valgr. p. 424. ic.
Ochrus sylvestris sive Ervilia Lob. Obs. p. 516. ic. 3. ✦ et Icon. 2. tab. 68. ic. 1. ✦ Moris. Hist. sect. 2. tab. 3. ic. 8. ✦ (*minus bona*).
Ervilia sylvestris Dod. Pempt. p. 522. ic. 1. ✦
Lathyri species quae Ervilia sylvestris Dodon. J. Bauh. Hist. 2. p. 305. 306. ic. 1. ✦ Chabr. Sciagr. p. 145. ic. 6. ✦

Caulis semipedalis, sesquipedalis, procumbens vel cirrhis scandens, simplex aut e basi ramosus, alatus, alis in petiolos confluentibus, margine saepe scabridis. Petioli foliacei, infimi in cirrhum non abeuntes, duas-quatuor lineas lati, proxime sequentes sensim ampliores, quinque-duodecim lineas lati, superiores folioliferi, alati. Cirrhi bi-tripartiti subindeve ramosi. Stipulae inferiores nullae, superiores triangulo-semihastatae, plerumque vero appendix, stipulae loco, ad petioli basim, forma varia. Pedunculi semiunciales-biunciales, folio semper multo breviores, uniflori, versus medietatem aut versus apicem articulati. Calicini dentes acuminati, calicis tubo longitudine subaequales, superiores duo triangulo-lanceolati caeteris lanceolatis saepe paullo breviores. Corolla calice subduplo longior, pallide flava, vexillo venis rubentibus striato, basi cornua duo brevia gerente. Legumen glabrum, reticulatum, quatuor lineas et semis-quinque et semis latum, viginti-vigintiseptem longum, ala utrinque ad suturam seminiferam foliacea. Semina sphaerica, nigro-rufa, nebula cinerascente obducta. — Planta glabra, glaucescens.
Ad sepes et inter segetes: frequens.
Fl. martio, majo. ①
Ital. *Cicerchia pisellina. Araco nero.*
Vern. m. *Pisu de coloru.*

396. LATHYRUS TENUIFOLIUS

L. petiolis infimis foliaceis, aphyllis, exstipulatis, caeteris tri-

enneaphyllis alatis, stipulatis, cirrhiferis; foliolis lineari-lanceolatis oblongisve; pedunculis 1-5-floris, folio subaequalibus brevioribusve; vexillo biauriculato; leguminibus linearibus, 5-7-spermis; seminibus truncatis.

Lathyrus tenuifolius DESF.! Fl. atl. 2. p. 160. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 375. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 416. et Suppl. p. 225. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 356. LOIS. Fl. gall. 2. p. 144.

L. Clymenum SERING.! in DC. Prod. 2. p. 375. DC.! Fl. fr. Suppl. p. 574. LOIS. Fl. gall. 2. p. 145. num et LINN.?

L. auriculatus BERTOL.! Rar. Ital. pl dec. 2. (ed. 1.) p. 38. et Amoen. p. 80.

L. alatus TENOR.! Fl. neap. Prod. p. 42. et Syll. Fl. neap. p. 355. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 66. et Fl. graec. 7. p. 85. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 375.

PH. THOMAS! Pl. siccat. e Corsica. LAG.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

L. spurius WILLD. En. pl. Hort. berol. 2. p. 760. SERING. in DC. Prod. 2. p. 375.

L. purpureus DESF. Ann. mus. Hist. nat. 12. p. 56. SERING. in DC. Prod. 2. p. 375.

L. articulatus SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 242. non LINN. nec SERING.

L. articulatus β. *auriculatus* SERING.! in DC. Prod. 2. p. 375.

Ic. — Lathyrus purpureus DESF. Ann. mus. vol. cit. tab. 7. L. alatus Fl. graec. 7. tab. 697. (*planta macrior*). TENOR. Fl. nap. tab. 175. ic. 1. L. Clymenum Iconogr. taurin. 15. tab. 25.

Caules pedales, orgyales, simplices ramosive, alati, procumbentes vel cirrhis scandentes. Petioli infimi lineari-lanceolati, foliacei, aphylli, caeteri folioliferi, alati, ala in supremis nonnullis plantae macrioris interdum fere evanida. Foliola lineam dimidiam-tres, in planta autem luxuriante, tres-sex lata, semunciam-sesquunciam longa, mucronulata, linearia, lanceolata aut oblonga, acuta vel obtusa, in petiolis folioliferis inferioribus numero unum alterumve, in caeteris numero sex-novem. Stipulae inferiores nullae vel petioli denticulo, loco stipulae, ad basim praediti, superiores autem lanceolatae aut ovato-acutae, vel semilunatae, basi raro dentatae, interdum attenuatae subindeque, in planta praesertim macriore, semisagittatae. Cirrhi infimorum petiolorum nulli, proxime sequentium simplices, caeterorum bi-trifidi ramosive. Pedunculi folio paullo breviores longioresve, bi-quinqueflori, in planta macriore uni-biflori. Calicis

dentes triangulares aut triangulo-lanceolati, superiores duo latiores, saepe breviores, infimus tenuior. Corolla calicem multo superans; vexillo purpurascente ad basim biauriculato; alis et carina coerulescentibus. Legumina lineas fere tres aut tres et semis lata, sexdecim-vigintitres longa, leviter compressa, glabra, sutura superiore sulcata. Semina angulosa, truncata, matura non compressa, fusca subindeque cinereo-maculata, verruca orbiculari, nigra, ad alteram hili extremitatem praedita. — Planta glabra, foliolorum numero forma et magnitudine valde varians: ei affinis *Lathyrus articulatus* LINN. SERING.! in DC. Prod. GAERTN. Fr. tab. 152. differt leguminibus torulosis, seminibus compressis, majusculis, suborbiculatis, non eximie truncatis, atro-purpureis et oculo armato pulchre sericeis, nec cinereo-maculatis.

Ad sepes et dumeta, nec non in aridis sterilibus aut arenosis maritimis. Fl. martio, majo. ①

597. LATHYRUS TINGITANUS

L. foliis unijugis, foliolis ellipticis oblongisve, obtusis, mucronulatis, superioribus oblongo-lanceolatis, acutiusculis; stipulis semisagittatis, basi subdentatis; pedunculis 1-3-floris, folio longioribus; pedicellis ebracteatis; leguminibus linearibus, 6-8-spermis, torulosis.

Lathyrus tingitanus LINN. Sp. p. 1032. WILLD. Sp. 3. p. 1084. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 374. DESF. Fl. atl. 2. p. 160.

Ic. — JACQ. Hort. vind. tab. 46. CURT. Bot. mag. tab. 100. Iconogr. taurin. 14. tab. 98.

Lathyrus tingitanus siliquis Orobi, flore amplo, ruberrimo MORIS. Hist. sect. 2. tab. 3. ic. 1. (*flores exiguiores, foliola acutiora*).

Caulis bi-quadripedalis, scandens, ramosus, angulis duobus oppositis alatis. Petioli crassiusculi, alati, unijugi, superiores in cirrhum ramosum abeuntes. Foliola viridia, parallele multinervia, pleraque a sesquncia ad uncias duas et semis longa. Stipulae lanceolato-semisagittatae, basi saepe dentatae, petiolo breviores. Pedunculi teretes, striati, folium plus minusve superantes. Flores versus pedunculorum summitates saepe duo-tres, alterni, remoti, raro unicus

terminalis. Pedicelli calice subduplo breviores. Bracteae nullae. Calicinae laciniae lanceolato-acuminatae, calicis tubum longitudine subaequantes, superiores duae caeteris vix breviores, basi paullo latiores, infima, more congenerum, tenuior. Corolla purpurea, ampla, calicem duplo et ultra superans. Legumina quatuor circiter lineas lata, uncias duas et semis-tres et semis longa, reticulata, glabra, demum torulosa. Semina non vidi matura. — Planta glabra variat foliis modo oblongis aut oblongo-lanceolatis, quatuor-sex lineas latis, modo (superioribus exceptis) ellipticis aut elliptico-obovatis, sex-decem-quindecim lineas latis.

Ad sepes circa Iglesias.

Fl. aprili, majo. (1)

398. LATHYRUS HIRSUTUS

L. foliis unijugis, foliolis lineari-oblongis lanceolatisve; stipulis semisagittatis; pedunculis 1-3-floris, folio longioribus; leguminibus linearibus, enerviis, hirsutis, 6-9-spermis; seminibus ruguloso-verrucosis.

Lathyrus hirsutus Linn. Sp. p. 1032. Willd. Sp. 3. p. 1086. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 373.

Desf. Fl. atl. 2. p. 159. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 68. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 208. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 411. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 355.? Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 242. Savi Fl. pis. 2. p. 185. et Bot. etr. 4. p. 11. All.! Fl. ped. 1. p. 330. (*excl. icon. 30. vol. 20. Iconogr. taurin.*). DC. Fl. fr. 4. p. 582. α. Lois. Fl. gall. 2. p. 145.

Ic. — Engl. bot. 18. tab. 1255. (*etsi legumen vix hirsutum*). Iconogr. taurin. 6. tab. 5.

Lathyrus siliqua hirsuta J. Bauh. Hist. 2. p. 305. ic. ⁁ Chabr. Sciagr. p. 145. ic. 5. ⁁ Riv. Tetr. irr. tab. 41.

L. arvensis, siliquis hirsutis Moris. Hist. sect. 2. tab. 2. ic. 8. (*mala*).

Caules sesquipedales, tripedales, ramosi, cirrhis scandentes. Foliola mucronulata, nervosa, lineam unam-novem lata, sesquunciam-tres uncias et paullo ultra longa, infima elliptico-oblonga, caetera sensim longiora, saepe obtusa, superiora angustiora, lineari-lanceolata, acutiuscula acutave. Stipulae lineari-lanceolatae, acuminatae,

semisagittatae, integrae aut basi unidentatae, petiolo plus minusve breviores. Cirrhi inferiores simplices, seu eorum loco appendix linearis, acuta, foliacea, superiores ramosi. Pedunculi folium superantes; ubi uni- aut biflori, saepe aristati; ubi triflori, mutici. Pedicelli bractea lineari-acuminata, exigua ad basim stipati, fructiferi calice longiores. Calix corolla duplo circiter brevior, laciniis omnibus acuminatis, duabus autem superioribus saepe paullo brevioribus. Vexillum purpureum: alae et carina coerulescentes. Legumen duodecim-decem et septem lineas longum, tres-tres et semis latum, compressum, pilis basi callosae insidentibus hirsutum, non reticulatum. Semina subglobosa, nigrescentia, ruguloso-verrucosa. — Herba sparsim pilosiuscula, pilis basi callosae insidentibus.

Ad sepes et dumeta in arvis Campidano di Cagliari et in collinis Morgongiori. Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Cicerchia pelosa.*

399. LATHYRUS ANNUUS

L. foliis unijugis, foliolis lineari-acuminatis; stipulis semisagittatis, angustissimis; pedunculis 1-3-floris; leguminibus linearibus, reticulatis, 6-10-spermis; seminibus ruguloso-verrucosis.

Lathyrus annuus Linn. Sp. p. 1032. Willd. Sp. 3. p. 1084. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 373.

Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 67. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 207. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 410. et Suppl. p. 225. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 355. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 242. Savi Bot. etr. 1. p. 174. DC. Fl. fr. 4. p. 581. Lois. Fl. gall. 2. p. 145.

Ph. Thomas! Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Ic. — Lathyrus hispanicus Riv. Tetr. irr. tab. 44.

L. luteus, latifolius Buxb. Cent. 3. p. 33. tab. 42. ic. 1.

Caules bi-quinquepedales, cirrhis scandentes, ramosi. Foliola longe lineari-acuminata, nervosa, unam-quatuor lineas lata, summa angustiora. Stipulae anguste lineari-semisagittatae, acuminatae, integrae aut unidentatae, petiolo duplo triplove, raro aliquot ex superioribus paullo dumtaxat breviores. Cirrhi inferiorum petiolorum simplices, caeteri ramosi. Pedunculi in eadem et in diversis plantis

longitudine varii, petiolum scilicet aequantes aut vix superantes, sex-octo lineas longi, saepe autem petiolo duplo triplove longiores, unciales-triunciales, uni-biflori, aristati vel mutici, aliquot subinde triflori. Pedicelli calice fructifero paullo longiores, bracteis subulatis, minimis ad basim stipati. Calix corolla lutea duplo circiter brevior, laciniis lanceolatis quarum superiores duae caeteris paullo latiores vixque breviores. Legumina quatuor lineas-quatuor et semis lata, duas circiter uncias nonnullaque fere duas et semis longa, hexa-decasperma, glabra, reticulata, leviter compressa. Semina ruguloso-verrucosa, fusca. — Planta glabra, foliis stipulis et appendicibus foliaceis, margine (oculo armato) scabridis.

In arvis et ad sepes Campidano di Cagliari; in Sardinia orientali Barì; in sylvaticis Iglesias et in collinis Morgongiori.

Fl. aprili, majo. (1)

400. LATHYRUS CICERA

L. foliis unijugis, inferiorum foliolis oblongis, caeterorum lanceolatis linearibusve, acuminatis; pedunculis unifloris, versus medietatem basimve articulatis; bracteis ad articulum oppositis, minimis obsoletisve; laciniis calicinis subaequalibus, calicis tubo longioribus; leguminibus lineari-oblongis oblongisve, 3-6-spermis, reticulatis, sutura seminifera vix marginatis; seminibus angulatis, laevibus.

Lathyrus Cicera Linn. Sp. p. 1030. Willd. Sp. 3. p. 1079. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 373.

Desf. Fl. atl. 2. p. 158. Viv. Fl. lyb. Sp. p. 43. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 65. et Fl. graec. 7. p. 83. Urv. En. pl. Archip. p. 87. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 19. Savi Fl. pis. 2. p. 185. All. Fl. ped. 1. p. 329.! DC.! Fl. fr. 4. p. 579. Lois.! Fl. gall. 2. p. 143. Cambess. En. pl. balear. p. 72.

L. sativus β. Lmck. Dict. 2. p. 705.

L. erythrinus Presl Fl. sic. 1. p. xxiii. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 409.

L. purpureus Presl Delic. prag. 1. p. 39. non Desf.

L. dubius Tenor. Adnot. in En. sem. H. R. neap. (ann. 1825.) p. 1. et Syll. p. 354.

L. pedunculis unifloris, cirrhis diphyllis, leguminibus ovatis, compressis, dorso canaliculatis All.! Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 97.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 694. Lathyrus dubius Tenor. Fl. neap. tab. 175. ic. 2.

Caules semipedales, cubitales, tenues, anguste subindeve inferne neutiquam alati, simplices aut e basi ramosi. Petioli vix angusteve alati. Foliola mucronulata, nervosa, infimorum foliorum oblonga, caeterorum lanceolato- aut lineari-acuminata, a dimidia linea ad tres lata. Stipulae semisagittato-lanceolatae, externo margine versus basim saepe unidentatae, petiolo subaequales aut plerumque longiores. Cirrhi in superioribus foliis bi-trifidi, raro simplices, in inferioribus aristaeformes, seu interdum nulli, seu appendix foliacea, linearis, aut foliolum loco cirrhi. Pedunculi in eadem et in variis plantis longitudine inter quatuor et duodecim lineas variantes petiolumque duplo quadruplove superantes, nunc versus eorum mediam partem, nunc versus basim articulati. Bracteae ad quamque pedunculi cum pedicello articulationem duae, oppositae, minimae subindeve obsoletae. Flores purpurei, vexillo saepe obcordato, carina pallide rosea, apice rubra. Calix profunde quinquefidus, laciniis foliaceis, acuminatis, subaequalibus. Legumina glabra, leviter reticulata, compressa, lineari-oblonga subindeve aliquot oblongo-elliptica, lineas tres et semis-quatuor et semis lata, ab uncia ad sesquunciam longa, ad suturam superiorem juniora canaliculata, matura planiuscula et vix marginata. Semina laevia, angulata, rufo-fusca, cineraceo nigroque saepe, circa hilum praesertim, maculata. — Planta modo pilosiuscula, modo glabra, stipulis et petiolis saepe ciliatis.

In pascuis et in arvis maritimis Orri, Pula, Cagliari, Guspini: Sardiniae centralis Laconi, Nurri: et in sylvestribus montanis monte Santo Pula.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Mochi. Cicercia moco.*

Lathyri Cicerae nec non *Lathyri sativi* semina edulia et satis nutrientia: diutino autem usu eorumque praesertim farinam majore proportione farinae Tritici ad panem conficiendum adsociatam, artuum inferiorum debilitatem atque paresim adduxisse auctores tradunt (V. Duvernoy *de Lathyri quadam venenata specie.* Basileae 1770. Targion. *sopra le Cicerchie.* Desparanches *in Bull. sc. med.* Ferussac 18. *p.* 453. *Journ. chim. med.* 5. *p.* 564.).

401. LATHYRUS SATIVUS

L. foliis uni-bijugis, imorum foliolis lineari-oblongis, caeterorum lanceolato-linearibus, acuminatis; pedunculis unifloris, versus apicem

articulatis; bracteis ad articulum oppositis, minimis obsoletisve; laciniis calicinis subaequalibus, calicis tubo longioribus; leguminibus late elliptico-linearibus, 3-4-spermis, sutura seminifera bialatis; seminibus angulatis, laevibus.

Lathyrus sativus Linn. Sp. p. 1030. Willd. Sp. 3. p. 1079. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 373.

Desf. Fl. atl. 2. p. 158. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 99. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 65. et Fl. graec. 7. p. 84. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 355. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 241. Savi Fl. pis. 2. p. 184. All. Fl. ped. 1. p. 329. DC. Fl. fr. 4. p. 579. Lois. Fl. gall. 2. p. 143. Cambess. En pl. balear. p. 72.

L. angulatus All. Herbar.

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 695. Iconogr. taurin. 6. tab. 2.

Ervum sativum Fuchs. Hist. p. 571. ic. ✦

Aracus sive Cicera Dod. Pempt. p. 523. ic. 1. ✦ (*excl. descript.*).

Lathyrus sive Cicercula Dod. Pempt. p. 522. ic. 2.

L. anguloso semine J. Bauh. Hist. 2. p. 306. ic. 2. ✦ Chabr. Sciagr. p. 146. ic. 1. ✦

L. angustiore gramineo folio Lob. Icon. 2. tab. 69. ic. 1.

L. siliqua latiore Riv. Tetr. irr. tab. 47.

A praecedente cui valde affinis differt floribus pallide roseis, coerulescentibus aut albidis, paullo majoribus; leguminibus quinque-septem lineas latis, alis ad suturam seminiferam foliaceis, conspicuis; seminibus numero tribus-quatuor, numquam quinque-sex, longe majoribus, albis (apud nos) et circa hilum rufo- aut fusco-maculatis. — Legumina juniora elliptica se praebent, margine superiore valde curvato, adulta lineari-elliptica aut etiam lineari-oblonga: variat foliis omnibus unijugis et superioribus bijugis, foliolis plus minusve angustis. Statura, stipularum forma, petiolorum ala et laciniae calicinae constans inter *Lathyrum Ciceram* et *sativum* non praebent discrimen.

In arvis circa Oristano.

Fl. aprili, majo. (1)

Ital. *Cicerchia comune. Cicercula.*

Semina *Lathyri sativi* etsi nutrientia: copia tamen et diutino usu artuum inferiorum debilitati atque paresi locum praebere perhibentur (Vid. notam ad *Lathyrum Ciceram*).

Obs. Icon *Arachi* sive *Cicerae* Dod. Pempt. p. 523. ab auctoribus ad *Lathyrum Ciceram* relata, eadem omnino ac illa *Ervi sativi* Fuchs. Hist. p. 571. et *Lathyri anguloso semine* J. Bauh. Hist. 2. p. 306. quas ad *Lathyrum sativum* pariter referunt et laudant auctores. Descriptio autem *Arachi* sive *Cicerae* Dod. Pempt. p. 522. *floribus e rubra purpura* in puniceum *inclinantibus; siliquis paullo minoribus* ac in *Lathyro* sive *Cicercula* ejusdem Dod. (*Lathyro sativo* Linn.); *granis minoribus, colore obsoletis nigroque proximis*, ad Lathyrum sativum Linn. spectat.

* *Annui, caulibus apteris.*

402. LATHYRUS HEXAEDRUS

L. foliis unijugis, foliolis lineari-acuminatis; pedunculis unifloris, aristatis, petiolum quadruplo sextuplo superantibus; leguminibus anguste linearibus, enervibus, 10-14-spermis; seminibus angulosis, tuberculatis.

Lathyrus hexaedrus Chaub. in Ann. sc. Obs. jun. 1830. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 206.

L. angulatus Willd. Sp. 3. p. 1081. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 372. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 353. DC. Fl. fr. 4. p. 580. non Linn.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

Caules semipedales, pedales, e basi ramosi, graciles debilesque, tetragoni, apteri, scandentes. Petioli vix alati. Foliola lineam dimidiam, sesquilineam lata, inferiora lineari-oblonga, breviora, caetera lineari-acuminata sensimque longiora, superiora angustissima. Cirrhi in foliis inferioribus aristaeformes brevesque, in superioribus longiusculi, modo simplices, modo bi-trifidi. Stipulae petiolo subaequales paullove longiores, lineari-lanceolatae, semisagittatae, subfalcatae, denticulo ad basim saepe auctae. Flores rubro-coerulei, pedunculis filiformibus, petiolum quadruplo sextuplove superantibus, versus apicem articulatis aristamque setaceam calices superantem ab articulo exserentibus. Calix corolla subduplo brevior, laciniis lanceolatis, inter se et calicis tubo longitudine subaequalibus, superioribus duabus surrecto-conniventibus. Legumina torulosa, compressa, enervia, quindecim-viginti lineas longa, a sesquilinea ad li-

neas duas lata. Semina rufo-fusca, tuberculosa, angulata. — Planta glabra aut pilis sparsis, paucis versus apicem praedita.

In pascuis et in arvis.

Fl. aprili, majo. (1)

403. LATHYRUS ANGULATUS

L. foliis unijugis, foliolis ensiformibus, rigidulis; pedunculis unifloris, aristatis, petiolo subaequalibus paullove longioribus; leguminibus anguste linearibus, nervoso-reticulatis, 7-14-spermis; seminibus laevibus.

Lathyrus angulatus Linn. Sp. p. 1031. (*excl. plur. syn.*). Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 66. Lindl. Fl. graec. 7. p. 84. (*excl. syn.* Willd. *et* DC.). Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 206.

L. sphaericus Retz Obs. p. 39. Willd. Sp. 3. p. 1081. Sering.! in DC. Prod. 2. p. 372. Urv. En. pl. Archip. p. 87. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 407. et Suppl. p. 224. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 354. B. Savi Bot. etr. 4. p. 11. DC. Fl. fr. 4. p. 580. Lois. Fl. gall. 2. p. 144.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

L. coccineus All.! Fl. ped. 1. p. 330. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 242.

L. axillaris Lmck. Enc. 2. p. 706.

L. nervatus Presl Delic. prag. 1. p. 39. ?

Ic. — Sibth. Fl. graec. 7. tab. 696. Lathyrus sphaericus DC. Ic. gall. rar. 10. tab. 32. Tenor. Fl. nap. tab. 179. ic. 1. Iconogr. taurin. 6. tab. 3.

A praecedente cui affinis, differt foliolis paullo longioribus cauleque rigidulis, stipulis ratione foliolorum angustioribus, rectis nec subfalcatis; cirrhis constanter simplicibus nec identidem divisis; pedunculis petiolum vel subaequantibus vel sesqui aut raro duplo nec quadruplo-sextuplo superantibus; floribus coccineis nec rubro-coeruleis; leguminibus nervoso-reticulatis, nec enervibus, utrinque et egregie attenuatis, longitudine sesqui-triuncialibus; seminibus haud tuberculatis, maturis non angulatis. — Herba modo glabra, modo patenter breviterque puberula.

In pascuis sterilibus maritimis et submontanis.

Fl. aprili, majo. (1)

404. LATHYRUS NISSOLIA

L. petiolis foliiformibus, lineari-lanceolatis, aphyllis, nec cirrhiferis; stipulis subulatis, minimis; pedunculis uni-bifloris.

Lathyrus Nissolia LINN. Sp. p. 1029. WILLD. Sp. 3. p. 1078. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 372.

SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 65. BORY et CHAUB. Exped. Mor. p. 205. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 407. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 353. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 241. SAVI Bot. etr. 2. p. 251. ALL.! Fl. ped. 1. p. 329. DC. Fl. fr. 4. p. 578. LOIS. Fl. gall. 2. p. 143.

Ic. — Engl. bot. 2. tab. 112. Iconogr. taurin. 17. tab. 72. ic. 3.

Ervum sylvestre LOB. Obs. p. 518. ic. 2.✦ et Icon. 2. tab. 71. ic. 1.✦ DOD. Pempt. p. 529. ic. 1.✦ (*stipulis nullis*).

Catanance leguminosa quorumdam J. BAUH. Hist. 2. p. 309. ic. ⅄ CHABR. Sciagr. p. 146. ic. 3. ⅄ (*malae*).

Nissolia parva, flore purpureo BUXB. Cent. 3. tab. 45. ic. 1.

Lathyrus angustifolius, erectus, folio singulari sine capreolis MAGN. Hort. monsp. tab. 16.

L. sylvestris minor MORIS. Hist. sect. 2. tab. 3. ic. 7. (*mala*).

Caulis pedalis, bipedalis, gracilis, subtetragonus, striatus, erectus. Petioli lineam unam-duas lati, duas-quinque uncias longi, erectiusculi, folia graminea, sessilia, lineari-lanceolata, nervosa, acuminata, integerrima, aemulantes. Cirrhi omnino nulli. Pedunculi filiformes longi, folio tamen breviores, cum pedicello versus apicem articulati ibidemque bracteam aristaeformem gerentes. Calix corolla rubella duplo et ultra brevior, laciniis lanceolatis, subaequalibus, calicis tubum longitudine fere aequantibus. Legumina lineam et semis lata, duas circiter uncias longa, compressa, glabra, juxta longitudinem nervoso-reticulata, 12-18-sperma. Semina subovalia, tuberculata, fusca, hilo laterali. — Planta glabra, pedunculis versus apicem puberulis.

In arvis circa Arizzo.

Fl. majo, junio. ①

405. LATHYRUS APHACA

L. petiolis cirrhiformibus, aphyllis; stipulis foliiformibus, latis, triangulo-ovatis, basi auriculato-sagittatis; pedunculis unifloris.

Lathyrus Aphaca LINN. Sp. p. 1029. WILLD. Sp. 3. p. 1077. SERING.! in DC. Prod. 2. p. 372.

DESF. Fl. atl. 2. p. 157. DELIL. Fl. aegypt. Ill. p. 99. VIV. Fl. lyb. Sp. p. 43. ZERAPH. Fl. melit. Thes. p. 26. SIBTH. et SM. Fl. graec. Prod. 2. p. 64. BORY et CHAUB. Exped. Mor. p. 205. GUSS. Fl. sic. Prod. 2. p. 406. et Suppl. p. 224. TENOR. Fl. neap. Syll. p. 353. SEBAST. et MAUR. Fl. rom. Prod. p. 241. SAVI Fl. pis. 2. p. 250. ALL.! Fl. ped. 1. p. 329. DC. Fl. fr. 4. p. 577. LOIS. Fl. gall. 2. p. 143. CAMBESS. En. pl. balear. p. 72.

L. pedunculis unifloris, cirrhis aphyllis, stipulis sagittato-cordatis ALL. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. taur. 1. p. 96. et Florul. corsic. ibid. 2. p. 212.

Ic. — Engl. bot. 17. tab. 1167. (*flores majores, calicis laciniae breviores ac apud nos*). Iconogr. taurin. 6. tab. 10.

Aphaca LOB. Obs. p. 518. ic. 1. ✦ et Icon. 2. tab. 70. ic. 1. ✦ DOD. Pempt. p. 545. ic. ✦

Vicia quae Pitinae Anguillarae, lata siliqua, flore luteo J. BAUH. Hist. 2. p. 316. 317. ic. 1. ⁂ CHABR. Sciagr. p. 148. ic. 5. ⁂

V. lutea, fol. Convolvuli minoris MORIS. Hist. sect. 2. tab. 4. ic. 7. (*calicibus brevissimis brevissimeque dentatis peccans*).

Caules semipedales, sesquipedales, tetragoni, graciles flexilesque, e basi ramosi, diffusi vel cirrhis scandentes. Stipulae magnae foliaque aemulantes, glaucae, nervosae, erectae, oppositae, integrae, basi auriculato-sagittatae et inferno utrinque latere denticulo saepe auctae. Petioli filiformes, aphylli, folio longiores, in cirrhum, plerumque simplicem, abeuntes. Pedunculi cirrho paullo longiores, exiles, versus apicem articulati, uniflori. Bractea perexigua ad quamque pedunculi cum pedicello articulationem. Pedicelli calice breviores. Calicinae laciniae lineari-lanceolatae, inter se subaequales, calicis tubo longiores, corolla lutea paullo breviores. Legumina lineas duas-duas et semis lata, septem-undecim lineas longa, glabra, torulosa, compressa, leviter incurva, penta-heptasperma. Semina compressa, laevia. — Planta glabra, pedunculis adpresse interdum pilosiusculis.

Inter segetes et ad dumeta.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Afaga. Fior galletto. Majorella. Pitine. Veccia lustra.*

Vern. *Piseddu.*

SECTIO V.

PHASEOLEAE

Stamina mono-diadelpha. Legumen continuum, uniloculare. Cotyledones crassae, demum epigeae. Folia digitata aut pinnatim trifoliolata, primordialia opposita.

+ PHASEOLUS

Phaseolus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1180. Juss. Gen. p. 356. Savi Osserv. Phaseol. e Dolich. Mem. 1.ª p. 9. DC. Prod. 2. p. 390. Lmck. Ill. tab. 610.

Calix campanulatus, bilabiatus, labio superiore emarginato, inferiore tridentato. Carina cum staminibus diadelphis in spiram contorta vel falcata uncinatave. Appendices lineares, e toro exsertae, crassae, connatae, ovarii stipitem, instar annuli, circumambientes. Legumen lineare aut oblongum, polyspermum.

+ PHASEOLUS VULGARIS

P. volubilis; foliolis ovato-acuminatis, racemis folio brevioribus; legumine subtoruloso; seminibus ovalibus, subcompressis, ventre recto, areola umbilicali elliptica, marginata, glandula basilari obcordata, sulcata, micropylo oblongo, protuberantia obtusa.

Phaseolus vulgaris Savi Gen. Phaseol. e Dolichos. Mem. 3.ª p. 14. DC. Prod. 2. p. 392.

Ic. — Savi l. c. ic. 13. a. b. c. d. (*semina*).

Ital. *Fagiolo*.

Vern. *Fasòlu*.

Species Indiarum orientalium indigena, variat seminibus versicoloribus aut unicoloribus, nigris, atro-coerulescentibus, amethystinis, pullis, luteis, helvolis, rubescentibus: colitur in hortis et in arvis ad usum. (1)

+ PHASEOLUS ROMANUS

P. subvolubilis; foliolis ovato-acuminatis; racemis folio brevioribus; legumine subtoruloso; seminibus compressis, ventre concavo

subrectove, areola ovato-oblonga, immarginata, glandula basilari obcordata, leviter sulcata, micropylo circulari, protuberantia elongata.

Phaseolus romanus SAVI Gen. Phaseol. e Dolichos. Mem. 3.ª p. 17.
P. compressus DC. Prod. 2. p. 392.

Ic. — SAVI l. c. ic. 20. a. b. c.

Species ignotae patriae in hortis et in arvis passim colitur. (1)
Semen album sapidius ac in praecedente variat majus (ital. *Fagiolo romano*; vern. *Fasòlu fà*) aut minus (ital. *Fagiolo galletto*; vern. *Fasòlu biancu*). — Num praecedentis varietas?

+ PHASEOLUS SPHAERICUS

P. volubilis; foliolis ovato-acuminatis; racemis folio brevioribus; legumine toroso; seminibus rotundo-ellipticis, subtruncatis, areola elliptica, argute marginata, zonata, glandula basilari obcordata, biloba, micropylo semielliptico, protuberantia nulla.

Phaseolus sphaericus SAVI Gen. Phaseol. e Dolichos. Mem. 3.ª p. 20. DC. Prod. 2. p. 393.

Ic. — SAVI l. c. ic. 18. a. b. c.

Colitur in arvis et in hortis (1) patria ignota: num *Phaseoli vulgaris* varietas?
Variat seminibus bicoloribus et unicoloribus, rubro-violaceis, rubello-flavescentibus et albis (non omnino) cum macula ventrali, ampla, rubro-violacea. Legumina adulta nec matura, in partes divisa coctaque in jusculis comeduntur.
Vern. *Fasòlu.* — Fonni *Fasòlu mongia.*

Phaseolus multiflorus WILLD. Sp. 3. p. 1030. SAVI Gen. Phaseol. e Dolichos. Mem. 2.ª p. 11, Americae meridionalis indigena species ex MULLERO, *foliolo intermedio cordato; racemis folio longioribus; pedicellis subternis; leguminibus scabris*, colitur ornamenti gratia ad peristromata topiaria conficienda.
Ital. *Caracollo. Fagiolone.*
Vern. *Caragòlus.*

+ DOLICHOS

Dolichos SAVI Gen. Phaseol. e Dolichos. Mem. 2.ª p. 15. DC. Prod. 2. p. 396. Dolichos sp. LINN.

Calix campanulatus, bilabiatus, labio superiore emarginato, inferiore tridentato. Vexillum intus basim versus bicallosum. Appendices

lineares, crassae, connatae, e toro exsertae, ovarii stipitem, instar annuli, circumambientes. Stamina diadelpha. Legumen lineare, polyspermum.

+ DOLICHOS MELANOPHTHALMUS

D. glaberrimus; caule subvolubili; foliolis late ovatis; pedunculis paucifloris, folio longioribus; leguminibus longis, subcompressis, polyspermis, obtuse rostratis, rostro subincurvo.

Dolichos melanophthalmus DC. Prod. 2. p. 400.

Floris vexillum intus albidum, basi et extus luteolum, venis versus apicem nigrescentibus: alae albae: carina alba subindeve versus apicem ochroleuca. Semina ovali-reniformia, alba, circa hilum album circulo nigerrimo notata.

Colitur in hortis et in campis. ①

Semina frequenti usu veniunt et optima sunt.

Ital. *Fagiuolo dall'occhio nero.*

Vern. *Fasòlu nieddu.*

CXIII. LUPINUS

Lupinus Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1176. Juss. Gen. p. 354. DC. Prod. 2. p. 406. Tourn. Inst. tab. 213. Gaertn. Fr. 2. tab. 150. Lmck. Ill. tab. 616.

Calix bilabiatus. Vexillum lateribus reflexis. Stamina monadelpha; antheris 5 exiguis, subrotundis, praecocioribus; 5 oblongis, serioribus. Legumen coriaceum, lineari-oblongum, compressum, oblique torulosum.

406. LUPINUS TERMIS

L. foliolis subtus margineque villosis, inferiorum foliorum obovato-superiorum oblongo-cuneiformibus; floribus alternis; bracteis ovatis oblongisve; calicis labio superiore subbidentato, inferiore subtridentato.

Lupinus Termis Forsk. Fl. aegypt.-arab. p. 131. Willd. Sp. 3. p. 1023. DC. Prod. 2. p. 407. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 98. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 397. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 350.

Soleirol! Pl. siccat. e Corsica.

L. prolifer Desr. in Lmck. Dict. 3. p. 622. Biv. Sic. Cent. 1. p. 55.
L. Bivonii Presl Fl. sic. 1. p. xxiv.

Radix crassa, fusiformis. Caulis pedalis, tripedalis, erectus, superne saepe ramosus. Folia alterna, longiuscule petiolata: foliola quina-septena, inferiorum foliorum oblongo-obovata, caeterorum sensim longiora angustioraque, superiorum obverse lanceolata. Stipulae anguste longeque lineari-acuminatae, virides aut viridi-violaceae. Flores plus minusve longe racemoso-spicati, pedicellis calice brevioribus, bractea ad basim stipatis, ad inferiores pedicellos ovata, ad superiores oblonga, acuta acuminatave. Calicis labium superius obsolete bidentatum, inferius vix tridentatum, in floribus autem supremis utrumque labium subinde integrum. Bracteolae lineares, acutae, adpressae, ad latera tubi calicis originem ducentes tubumque superantes. Corollarum alae et vexillum coerulescentia, basi pallentia, carina apice atro-coerulea. Legumina dense hirsuta, matura non vidi. — Planta villosa foliolis superne glabris.

In pascuis maritimis et in collinis apricis Sardiniae centralis.
Fl. aprili, majo. ①

407. LUPINUS HIRSUTUS

L. foliolis utrinque villosis, imorum foliorum obovato- superiorum oblongo-cuneiformibus; floribus superioribus subverticillatis, caeteris alternis; bracteis anguste linearibus; calicis labio superiore bipartito, inferiore trifido.

Lupinus hirsutus Linn. Sp. p. 1015. Willd. Sp. 3. p. 1023. DC.! Prod. 2. p. 407.
Desf. Fl. atl. 2. p. 154. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 99. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 60. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 204. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 399. Tenor. Fl. nap. 2. p. 142. et Syll. p. 350. DC. Fl. fr. 4. p. 508. Lois. Fl. gall. 2. p. 117. Cambess. En. pl. balear. p. 73.
Soleirol! Pl. siccat. e Corsica. Urv.! Pl. siccat. ex Archip. graec. in Herbar. DC.
L. digitatus Forsk. Descr. Fl. aegypt.-arab. p. 131. ex Delile.

Ic. — Tab. lxxii. ic. 1.
Lupinus exoticus, hirsutissimus J. Bauh. Hist. 2. p. 289. ic. ✦ Chabr. Sciagr. p. 142. ic. 4. ✦

Radix fusiformis. Caulis plerumque simplex, modo solitarius ere-

ctusque, modo ex eadem radice duo-tres, quorum centralis erectus, laterales ascendentes, bi-quadriunciales, raro semipedales. Petioli longi. Foliola obtusa aut obtusiuscula, saepe cum brevi mucronulo, numero quina-septena subindeve in foliis inferioribus terna-quaterna. Stipulae anguste lineari-acuminatae. Flores racemosi, superiores subverticillati, caeteri alterni. Pedicelli calice multo breviores. Bractea anguste lineari-lanceolata aut linearis pedicellorum basim stipans iisque multo longior. Bracteolae perexiguae pariterque lineares, e superiore calicis tubi parte ubi in labia finditur, utrinque originem ducentes tubumque superantes. Corolla calicem plus minusve superans, coerulea, alis vexillo paullo brevioribus, carina vix longioribus. Legumina piloso-hirsuta, compressa, lineas quatuor-quatuor et semis lata, quindecim-decem et novem longa, tri-tetrasperma. Semina ovata, luteola, laevia. — Planta villoso-hirsuta, villis rufescentibus.

In apricis frequens.

Fl. aprili, majo. ①

Ital. *Lupino peloso.*

408. LUPINUS LUTEUS

L. radice tuberosa; foliolis utrinque piloso-villosis, inferiorum foliorum obovato- superiorum oblongo-cuneiformibus; floribus verticillatis; bracteis obovatis; calicis labio superiore bipartito, inferiore tridenticulato.

Lupinus luteus Linn. Sp. p. 1015. Willd. Sp. 3. p. 1025. DC. Prod. 2. p. 407. Desf. Fl. atl. 2. p. 153. (*excl. icon.* Dod.). Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 61. et Fl. graec. 7. p. 78. Guss. Fl. sic. Prod. 2. p. 401. et Suppl. p. 224. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 350. Fiorini App. ad Fl. rom. Prod. p. 19. DC. Fl. fr. 4. p. 508. Lois. Fl. gall. 2. p. 118.

Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 686.

Lupinus flore luteo Riv. Tetr. irr. tab. 26.

L. flavo flore Clus. Hist. 2. p. 228. ic. 3. ✣

L. flore luteo Lob. Icon. 2. p. 65. ic. 1. ✣ (*stipulis nullis*).

L. luteo flore, semine compresso, vario J. Bauh. Hist. 2. p. 290. ic. ⁂ Chabr. Sciagr. p. 141. ic. 5. ⁂

L. luteus italicus Barr. Ic. tab. 1032.

Radix fusiformis, paullo infra collum in tuberculum unicum, interdum duo aut tria, avellanae circiter magnitudine, incrassata. Caules saepe plures, quorum centrales erecti, laterales ascendentes aut decumbentes, semipedales, pedales, simplices ramosive. Foliola senanovena, utrinque villosa, pleraque mucronulata, inferiora obovato-cuneata, obtusa, caetera sensim longiora, superiora oblongo-cuneata vel obverse lanceolata, interdum acutiuscula. Stipulae lineares, acutae. Racemi terminales, duas-sex uncias longi: verticillis duobus-sex, plus minusve remotis, raro unico. Flores ad quemque verticillum tres-sex, raro duo, brevissime pedicellati, odori. Bracteae concavae, obovatae, calice duplo breviores, intus glabrae, extus, ut reliqua herba, villoso-pubescentes, cito deciduae. Calix corolla duplo brevior. Bracteolae anguste lineari-oblongae ex calicis tubo, ubi in labia finditur, utrinque originem ducentes. Corolla lutea, carina apice nigro-purpurascente. Legumina non vidi.

In apricis montanis S. Lussurgiu: 800 metr. circiter supra maris superficiem; et in arena mobili, ad maris litus, inter Terralba et Oristano.

Fl. aprili, majo. (1)

409. LUPINUS ANGUSTIFOLIUS

L. foliolis linearibus, subtus villoso-pubescentibus; floribus alternis; bracteis ovato-acutis; calicis labio superiore bipartito, inferiore tridentato.

Lupinus angustifolius Linn. Sp. p. 1016. Willd. Sp. 3. p. 1024. DC.! Prod. 2. p. 407. Desf. Fl. atl. 2. p. 154. Forsk. Fl. aegypt. p. 70. Delil. Fl. aegypt. Ill. p. 99. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 61. et Fl. graec. 7. p. 78. Chaub. et Bory Exped. Mor. p. 204. Urv. En. pl. Archip. p. 86. Guss. Fl sic. Prod. 2. p. 402. et Suppl. p. 224. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 350. Sebast. et Maur. Fl. rom. Prod. p. 237. DC. Fl. fr. 4. p. 507. Lois. Fl. gall. 2. p. 117.

Ph. Thomas! Pl. siccat. e Corsica. Lag.! Pl. siccat. ex Hispania in Herbar. DC.

L. varius Savi Fl. pis. 2. p. 178. non Linn.

L. linifolius Tenor. Fl. nap. 2. p. 142. ex Syll. l. c.

L. calicibus alternis appendiculatis; labio superiore bipartito, inferiore integro All. Fasc. stirp. sard. in Misc. soc. priv. taur. 1. p. 97.

Ic. — Fl. graec. 7. tab. 685.

Lupinus flore coeruleo, minore Riv. Tetr. irr. tab. 29.

Radix tereti-fusiformis. Caulis pedalis, sesquipedalis, erectus, simplex aut breviter ramosus. Foliola septena-novena, a dimidia linea ad sesquilineam lata, obtusa, basi leviter attenuata. Stipulae angustissime lineares. Bracteae membranaceae, ovato-acutae aut ovato-acuminatae, extus pubescentes, versus apicem pallide coerulescentes, cito deciduae. Pedicelli calice multo breviores. Bracteolae e calicis tubo originem ducentes, exiguae, lineares. Calicis labium superius bipartitum, inferius plus minusve profunde, vel obsolete (in eadem etiam planta) tridentatum subindeve bidentatum. Corolla calice duplo longior, coerulea. Legumina matura non vidi. — Planta villoso-pubescens, variat foliis cinerascentibus aut virentibus, angustioribus et plerumque canaliculatis, vel minus angustis et saepius planis.

In pascuis et inter segetes: frequens.

Fl. aprili, majo. ①

SECTIO VI.

CASSIEAE

Corolla (apud nos) nulla. Stamina libera. Legumen indehiscens, transverse multiloculare, isthmis pulpa farctis.

CXIV. CERATONIA

Ceratonia Linn. Gen. ed. Schreb. n.° 1612. Juss. Gen. p. 347. DC. Prod. 2. p. 486. Gaertn. Fr. 2. tab. 146. Lmck. Ill. tab. 859. Siliqua Tourn. Inst. tab. 344.

Calix minimus, 5-partitus. Corolla nulla. Stamina 5, calicem longe superantia. Legumen magnum, lineare, compressum, coriaceum, polyspermum, transverse multiloculare, isthmis pulpa farctis. — Flores polygami aut dioici.

410. CERATONIA SILIQUA

C. inermis; foliis tri-quinquejugis, foliolis coriaceis, ovalibus, planis, subemarginatis.

Ceratonia Siliqua Linn. Sp. p. 1513. Willd. Sp. 4. p. 1130. DC. Prod. 2. p. 486. Desf. Fl. atl. 2. p. 395. Forsk. Florul. melit. in Fl. aegypt.-arab. p. 14. Zerapn. Fl. melit. Thes. p. 12. Sibth. et Sm. Fl. graec. Prod. 2. p. 162. Bory et Chaub. Exped. Mor. p. 278. Presl Fl. sic. 1. p. xxiv. Tenor. Fl. neap. Syll. p. 117. Cavan. Ic. et Descr. Pl. Hispan. 2. p. 8.

Ic. — Cavan. l. c. tab. 113. Duham. Arb. 2. p. 262. tab. 69.
Siliquae Math. Valgr. p. 237. ic.
Ceratia Siliqua Lob. Obs. p. 541. ic. 1. ✦ et Icon. 2. p. 104. ic. 1. ✦
Ceratonia Dod. Pempt. p. 787. ic. ✦ (*etsi foliis ut in icone* Mathioli *imparipinnatis*).

Arbor altitudinem pedum viginti-triginta attingens, ramis robustis in comam ovatam orbiculatamve dispositis, ligno rubescente, durissimo, cortice cinereo-rufescente, in junioribus ramulis adpresse tenuiterque pubescente, mox glabrato, adulto fisso. Folia alterna, perennantia, glabra, abrupte pinnata, tri-quinquejuga, rachide superne canaliculata: foliola brevissime petiolulata, decem-decem et octo lineas lata, quatuordecim-vigintisex longa, obtusissima, pleraque emarginata, facie nitida, viridia, glabra, subtus pallida, basi fere cuneata. Racemi florum erecti, sesquiunciam-duas uncias et semis longi, solitarii aut aggregati, rachide et pedicellis brevissimis, adpresse, oculo armato, pubescentibus. Calix rubescens. Stamina, in floribus masculis et hermaphroditis, calice demum multo longiora, antheris flavis: in foemineis staminum rudimenta: ovarium incano-tomentosum, intra calicem pedicellatum: stigma sessile, peltato-capitatum, subbilobum, glabrum. Legumen quatuor-sex uncias longum, rectiusculum aut arcuatum, pendulum, demum ferrugineo-fuscum. Semina obovata, compressa, rufa, laevia.

In sylvestribus et incultis maritimis.

Fl. exeunte aestate autumnoque. ♄

Ital. *Baccegli dolci. Baccegli greci. Carate. Caroba. Carobole. Carubbio. Guainella. Siliqua. Siliqua dolce.*

Vern. *Carrùbba.*

Pulpa mellea quam *Ceratoniae* legumina (Siliquae dulces Offic.) recondunt, leniter nutriens, demulcens et laxans est. Legumina optimum pecudi alimentum praebent. *Ceratonia* autem robusta arbor, in ipsis aridis locis prospere vegetans, peropportuna foret Sardiniae spatiis maritimis nunc incultis, cum utilitate conserendis. Quod quidem in agro Orri, *sylvestres Ceratonias* inserendo latiusque diffundendo, jam praestare coepit de sardoa agricultura merititissimus Marchio a Villahermosa

INDEX

ORDINUM ET GENERUM

(Nomina literis obliquis expressa synonyma sunt.)



V. ex deleg. D. D. Arch.
Ghiringhello.

V. Imprimatur:
Vachino pro Magna Cancellaria.
Augustae Taurin. die 21 apr. 1837.


New York Botanical Garden Library
3 5185 00293 2083